





1585

*Handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.*

AR  
lis C  
IOGI  
homi  
Gr

Porphy  
Aristote  
Dei i  
Prioru  
Poster  
Topica  
De rept

*Handwritten initials or symbols.*

BA

*Handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side.*

*Tom. 1<sup>o</sup>*

# ARISTOTE- lis Organum, siue

LOGICA, A' DOCTISS.

*hominibus, Ioach. Perionio, Nicolao*

*Grouchio, Firmino Durio, La-  
tinè conuersa.*

Quorum hæc est series:

Porphyrij institutiones ad Chrysaorium.	Lib. I.
Aristotelis Categoria, seu Prædicamenta.	I.
<i>Περὶ ἰσχυρίας, id est, de Interpretatione.</i>	I.
Priorum Analyticorum,	II.
Posteriorum Analyticorum,	II.
Topicorum,	VIII.
De reprehensionibus Sophistarum,	I.

*pp Camallulensis Eremitæ Vanzanensis*

BASILEAE, EX OFFI-  
cina Oporiniana.

*Joannis Franciscus  
Cornice Lubovici*

CVL. QVERENTAEI AD

Nicolaum Grouchium.

Exibit tandem, pulsoq; erumpet in auras  
Invidia fumo clarus Aristoteles.  
Protagorasq; sua redimios pellet ab arce:  
Et tumida illorum sub pede colla premet.  
Qui tamen exertis uibrabunt sibila linguis,  
Et flatu inficient proxima queq; suo.  
Sed spirent quod adhuc restat, spargantq; uenenum:  
Iam fraudis penas, stultitiq; dabunt.  
Agnoscent iuuenes uana mendacia lingua,  
Verbaq; iam furo non bene tecta suo.  
Tum tibi debebunt, Grouchi, quod soluere nunquam  
Aut ipsi, aut post hos secula longa queant:

Bien. A. VIII. 10



nos L  
ganti  
rem e  
legere  
chij fir  
fido, a  
tum,  
lius  
magn  
In tam  
men e  
tatem  
neis e  
esse in  
cum e  
cuita  
gniti  
gna la  
fimi: e

3

GVL. GVEREN

*teus Lectori.*



**Q**UOD diu multumq; ab om-  
 nibus Philosophiæ stu-  
 diosis efflagitatum est, ut  
 quæ Aristoteles de ratione  
 differēdi Græcè scripsit, ea  
 nos Latine reddita, nō modò uerbis ele-  
 gantibus, sed etiam proprijs, & ad autho-  
 rem explicandū accōmodatis sententijs  
 legere possēmus: id iam Nicolai Grou-  
 chij singulari industria perfectū esse con-  
 fido, ac studijs doctorum ita ab eo satisfa-  
 ctum, ut nihil sit, quod in eo genere am-  
 plius possit desiderari. Quod etsi dictū  
 magnum est, de re præsertim tam ardua,  
 in tam multiplici hominum iudicio: ta-  
 men eā esse eius uiri ingenij uim & facul-  
 tatem exploratum habeo, ut doctos om-  
 nis existimaturos nō dubitem, nullum  
 esse inter tot Aristotelis interpretes, qui  
 cum eo uel elegātia sermonis, uel perspi-  
 cuitate interpretationis, uel rei ipsius cō-  
 gnitione sit conferendus. Inter quos ma-  
 gna laus est Ioachimi Perionij, uiri doctis-  
 simi: qui primus philosophiā à barbarie,

tanquam acerbissima seruitute, vindica-  
 uit. Sed quod ijs solet contingere, quorū  
 operæ ac industriæ nouæ successus plus  
 æquo, consilio institutoq; respondet: ac  
 maturitatem iudicij, præceps hominum  
 commédatio præuertit: ut eo hominum  
 de se iudicio, ueluti uento quodâ secun-  
 do, faciliè se auferri patiantur: ac ultrò ab  
 omnibus oblatam laudē, ingenita qua-  
 dam nobis erga nos indulgentia libèter  
 arripiant: id, ni fallor, Perionio contigit.  
 Qui postquam ijs, quæ primū ex Aristo-  
 tele in Latinum uerterat, mirum in mo-  
 dum studia hominū erexit: ac incredibi-  
 lem sui opinionē expectationemq; con-  
 citauit: cum eam maximè labore diligen-  
 tiaq; tueri debuisset, cœpit aliquāto secu-  
 rius in id studium incūbere: & perinde ac  
 si nihil ipsum in eo genere posset fallere,  
 aut eadem esset omnī Aristotelis libro-  
 rum ratio: ita in reliquis edendis se gere-  
 re, uole sua existimatione, aut hominū  
 iudicio, nō admodū metuere uideretur.  
 Hinc factum est, ut ea emiserit, quæ in fer-  
 uentissimo illo omnium studio pauci a-  
 nimaduertent: ubi deferbuit, eruditi  
 uiri non omnino probauerunt. Res tam  
 nota

nota  
 ra, ut  
 dū fr  
 Quid  
 terpro  
 splēd  
 sunt?  
 neph  
 immi  
 glori  
 ita tē  
 docto  
 nam  
 abhin  
 regio  
 mira  
 stote  
 ipse t  
 in co  
 re, qu  
 ipsius  
 rabat  
 metu  
 dum  
 sum  
 Peri  
 Iueri

nota est, tam sermone omnium peruulgata, ut non mihi cuiusquam odium timendum sit, si quid etiam paulò liberius dixerò. Quid quod nonnulli nouas post eum interpretationes, ediderunt, suaque opera splendori illius tenebras offundere conati sunt? Id autem Nic. Grouchius impiū ac nephariū ratus, cuiusuis hominis famam imminuere, nedum clarissimi uiri summam gloriam labefactare: hanc suam editionem ita temperauit, ut expectationi desiderioque doctorum satisfecerit, nec ullo modo gloriam Perionij minuerit. Nam cum paucis abhinc annis in Lusitania philosophiam in regio gymnasio, cum summa laude & admiratione omnium profiteretur: libros Aristotelis, quos nondum Perionius uerterat, ipse transtulit: in alijs id fecit, quod malo in cogitatione iudicioque aliorum relinquere, quam in oratione mea ponere: quod ipsius factum, quo magis ab omnibus desiderabatur, eo minus reprehensionem debet metuere: nisi forte id aliquis reprehendum putat, quod negligi non potuit sine summo Reipublice incommodo. Nam quod Perionij interpretationem emendare maluierit, quam nouam edere: tantum abest

6  
ut hoc illi uitio uertendū sit, ut magnam  
eo facto modestiæ & humanitatis com-  
mendationem, apud equos iudices eum  
consecuturū speret: qui, si diligenter per-  
spexerint, quid ipse in eo genere possit,  
ac in ijs quæ transtulit, non aliam cuius-  
quam operam requiri: modestissimè ab  
eo factum iudicabunt, quòd gloriam Ari-  
stotelicæ interpretationis, quam in se to-  
tam transferre poterat, ita sibi cum alijs  
communè esse uoluerit, ut maiore partè  
ipsis relinqueret. Ita q; letor quidem, ipsi  
Grouchio, uiro doctissimo, & mihi ami-  
cissimo, occasione quærendi nominis, in  
re tam illustri oblatâ esse: sed multo ma-  
gis studiosis philosophiæ adulescētibus  
gratulor, quòd habituri sint sermonis ele-  
gantiam, coniunctâ cum uera & certa ra-  
tione differendi: longè aliter quàm no-  
stro tempore à quibusdâ fieri uidemus,  
qui neglecto Aristotele, omnis memoriæ  
sapiētissimo differendi artifice, suas ine-  
ptias adulescentibus inculcant, & quod  
dici solet, pro thesauro carbones indi-  
cant. quod aliquando optimi adulescen-  
tes intelligent, & moniti meliora se-  
quentur. Vale.

INSTITI-

IN  
PO



stran-  
dem  
que  
misi  
que  
ne lo  
ip/a p  
se, ut  
auul  
bus,  
pret  
sibi  
ip/si  
xim  
serin

INSTITVTIONES  
PORPHYRII, IOACHIMO PER-  
rionio interprete: per Nicolaum  
Grouchium correctæ &  
emendatæ.



VIA necessaria est, Chry-  
saori, ad Categoriarum raa-  
tionem, qua ab Aristotele  
tradita est, generis, differen-  
tia, speciei, proprii, acciden-  
tisq; cognitio: earumq; reru  
tractatio & ad definiendum,  
& ad diuidendi ac demon-  
strandi raouem magnum affert adiumentum: tibi qui-  
dem institui breuiter, & ut institutionis ratio postulat,  
qua à maioribus didici, exponere. In quo ego, præter  
missis obscurioribus questionibus, eas interim tractabo,  
qua ad sensum popularem accommodantur. Ac primùm,  
ne longè abeam, de generibus ac formis, cohereant ne  
ipsa per sese, an in solis animis sint: & si cohereant per  
se, utrum corporea sint, an corpore expertia: & num  
auulsa sint & distracta ab ijs qua subiecta sunt sensi-  
bus, an in ijs ipsis habeant ac nitantur: haec inquam,  
prætermittam omnia: præsertim cum hoc arduum sit,  
subtilioreq; egeat disputatione. Quo autem pacto de his  
ipsis, illisq; qua diximus, cum ueteres omnes, tum uel ma-  
ximè Peripatetici, probabiliter differuerint, quidq; sen-  
serint, docebo.

Genus & species non uno modo dicuntur. Nam genus dicitur, aliquorum, & qui ad unum quiddam, & qui inter sese quodammodo affecti sunt, & cognatione quadam coniuncti, multitudo. Qua quidem significatione, Herculeorum genus, ex unius Herculis collatione appellatum est, multorumq; hominum inter se affectione, qui inter se coniuncti sunt ea societate, quæ ab illo ducta est: qua appellatione ab alijs generibus distinguitur. Dicitur etiam alio modo genus, unde alicui ortus principium est, siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quisq; ortus est. Sic enim & Orestem à Tantalo, & Hylum ab Hercule duxisse genus dicimus, itemq; Piridarum Thebanum genere, Platonem Atheniensem. Dat enim, ut pater, sic patria, ortus cuiq; initium. Quæ mihi quidem prima uidetur occurrere significatio. Nam & Herculei dicuntur ij, qui ab Hercule genus habuerunt: & Cecropidæ ij, qui à Cecrope, itemq; his finitimi. Primumq; certè uocatum id genus est, quod cuique dat ortus causam & initium: deinde multitudo eorum, qui ab uno principio, ut ab Hercule, quasi quodam capite manarunt. Quam quidem multitudinem definiuimus, seiunximusq; à cæteris, cum uniuersam multitudinem quæ ab Hercule fluxisset, Herculeorum genus nominarem. Iam alio etiam modo genus appellatur, id cui subijcitur species, quæ ex illis ducta uidetur appellatio. Nam & initium est genus id formarum, quæ ei subiectæ sunt: & uidetur uniuersam multitudinem quæ ipsi subiecta est, continere. Sed cum his tribus modis genus notetur, tamen de tertio apud Philosophos tantum oratio

INSTITVTIONES.

9

oratio est. idq; hoc modo definiunt: Quod de multis, specie autem differentibus dicitur, cum quid quicq; sit quaeritur: ut animal. eorum enim quæ dicuntur, partim de uno tantummodo dicuntur, ueluti indiuidua, cuiusmodi est Socrates, hic homo, hæc res: partim de multis, ut genera, ut species, ut differentia, ut propria, ut accidentia ea quæ communiter in multis, non proprie in uno insunt. Est autem genus, ut animal: species, ut homo: differentia, ut rationis particeps: proprium, ut aptum ad risum: accidens, ut id quod album est, quodq; nigrum. Genera autem ab ijs differunt, quæ in uno solum dicuntur, quod in multis ipsa dicuntur. Ab ijs item quæ in multis sunt, hoc modo: a specie quidem, quod species, etsi de multis illa quidem dicatur, sed tamen specie minus differentibus, uerum numero. Homo enim cum species sit, de Socrate & Platone dicitur: qui non specie, sed numero solum inter se differunt. At uero animal cum nomen generis obtineat, de homine, boue, equoq; dicitur: qui specie etiam, non solum numero differunt. Porro autem inter genus & proprium hoc interest, quod proprium de una modo specie, cuius proprium est, dicitur, ijsq; indiuiduis quæ species continet: ut ridens de solo homine, singulisq; hominibus dicitur. Genus autem non solum de una specie dicitur, sed de multis, ijsq; differentibus. Postremo, genus & differentia, communiaq; accidentia hoc inter se differunt, quod etsi de multis etiam specie differentibus & differentia dicantur, & communia accidentia, non tamen in quaestione dicuntur ea, qua quid quicq; sit: sed in ea, qua quale quicq; sit, quaeritur. Si qui enim rogent, quidnam sit illud tandem,

quo de hæc dicantur omnia, genus respondemus: differentias & accidentia non respondemus: quippe cum hæc de re dicantur, non in quaestione qua quid quicque sit, sed quale quicque sit, quaeritur. Nam & cum qualis sit homo, quaerit aliquis, rationis eum participem: & cum rogamur, qualis sit coruus, nigrum esse respondemus. quorum Rationis particeps, differentia est: Niger autem, accidens. At cum interrogamur quid sit homo, Animal respondemus, quod genus est. Quamobrem genus hoc ipso quod in multis dicitur, ab ijs separatur omnibus, quæ de uno tantummodo dicuntur: quod de specie differentibus, ab alijs quæ ut species dicuntur, & propria. Quod uero in quaestione dicitur, Qua rei natura indagatur, & à differentijs secernitur, & ab accidentibus communibus, quæ non in quaestione qua uis & natura rei, sed qua qualitas aut modus inuestigatur, dicuntur omnia de ijs, de quibus quicque dicitur. Nihil igitur redundans, nihil parum explicatum continet, quæ generis notioni constituta est definitio.

## De Specie. I I.

Species autem, in uniuscuiusque forma dicitur. Ex quo illud, Primum quidem species est digna quæ imparet. Vocatur etiam id species, quod subest generi. Hinc soliti sumus dicere, hominem speciem esse animalis, quod genus est: & candorem coloris speciem, & triangulum figuræ. Quod si speciei fecimus mentionem, cum generis uim definiendo explicaremus, hoc modo, Quod de multis, specie autem differentibus, in rei natura quaerenda dicitur: & generis, cum speciem definiremus his uerbis, Species est quod subest generi, nemo reprehendat.

INSTITUTIONES.

dat. Illud enim intelligendum est, quoniam genus alia cuius genus est, & species alicuius species, utendum fuisse necessario utroque nomine, cum uis & natura utriusque definiendo aperiretur a nobis. Speciem etiam definiunt hoc modo: Species id est, quod generi subijcitur, & de qua genus in quaestione qua quid quicque sit queritur, dicitur. Rursus etiam hoc modo: Species est, quod de multis numero differentibus dicitur, in quaestione qua rei natura exquiritur. Quanquam speciei ultimæ, quæq; tantummodo species est, non etiam genus, hæc propria definitio est: aliæ, earum omnium quæ non sunt ultimæ. Quod hinc sciri potest, quia in quaq; categoria quiddam primum est, & quiddam ultimum: inter quæ duo alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt, & species. Est autem primum genus, supra quod, aliud genus esse nunquam potest: ultimum uero, post quod nulla alia species sequitur. Inter primum autem & ultimum alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt, & species, sed si cum alio alioq; conferantur. Idq; in una categoria perspicitur potest. Substantia enim genus est illa quidem, quæ corpus complectitur: & corpus, corpus animatum: corpus animatum, animal: animal, animal rationis particeps: animal rationis particeps, hominem: homo, Socratem, Platonem, & singulos homines: ita tamen, ut eorum omnium primum genus sit substantia, solumq; genus: homo uero species ultima, & modo species: corpus autem & substantiæ species, & animati corporis sit genus: itemq; animatum corpus, species corporis est, genusq; animantis. Rursum animal species est animati corporis, genus ratione utentis

utentis animantis: & animal ratione utens, species animalis est, & genus hominis. At uerò homo, animalis ratione utentis est ille quidem species, sed hominum singulorum est species tantummodò, non etiam genus. Ita quicquid ante indiuidua proxime dicitur, id omne non generis, sed modò speciei nomen obtinet. Ut igitur substantia quæ in summo sita est, propterea summum genus habetur, quòd genus est nullum ea antiquius: sic homo quia species est, qua nulla sit posterior, nec ulla natura quæ in species & formas diuidi queat, sed sola indiuidua (indiuiduum enim est Socrates, itemq; Plato, & hoc quod album est) ob eam causam in speciei numero modò, & ultimæ, atque (ut diximus) infimæ, non etiam generis, habetur. At uerò quæ in medio locata sunt, superiorum species & formæ, posteriorum genera dicuntur. Itaq; duæ ex his comparationes affectionesq; ducuntur: una, qua ad superiora affecta sunt, ex qua eorum formæ speciesq; appellantur: altera, qua ad inferiora, ex qua eorum genera nominantur. Summa autem & extrema uno modo solùm comparantur. Genus enim principale, cum sit summum omnium, ad ea affectum est quæ completitur: ad ea autem quæ eo antiquiora sunt, quoniam summum est primumq; principium, atque id, ut diximus, cuius nullum esse genus ullo modo potest, ad ea inquam nullo modo affectum est. Atque etiam infima species unam comparationem habet, eam qua superiora & priora respicit, quorum species est: itemq; eam, qua cum inferioribus conferitur, non diuersam, siquidem indiuiduorum etiam species nominatur. Sed indiuiduorum propterea species dicitur, quòd

quod ea cōplectitur : eorum autem quæ superiora sunt, species etiam dicitur, sed quod eam illa continent. Primum quidem genus definiunt hoc modo: Quod cum genus sit, non est species. Item hoc modo: Cuius genus aliud esse nullum potest. Speciem autem ultimam hoc modo: Quod sic species est, ut non etiam genus sit. item, Quod ita species est, ut in species diuidi nullo modo queat. item hoc modo: Quod de multis, ijsq; numero differentibus dicitur, cum rei natura querendo inuestigatur. Quæ autem inter extrema interiecta sunt (ἑσώτερα ἢ ἑξώτερα genera ac species nominant) unumquodque eorum ponunt esse genus & speciem, sed si ad aliud & aliud comparatur. Nam ea omnia quæ superiora sunt & antiquiora ultima specie, ascendendo usque ad summum genus, ἑσώτερα genera & species uocantur. ut Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides, & extremum Iouis. Et in ortus quidem & familiarum descriptione, ad unum ferè initium, & quasi caput, uerbi gratia ad Iouem, cætera referunt. Generum autem & formarum non est eadem ratio: propterea quod id quod est, non est commune genus omnium: nec omnia quæ sunt, ut placet Aristoteli, ad unum primum genus caputq; referuntur: sed ponenda sunt, ut ipse in Categorijs docet, decem prima genera, quasi decem initia & capita rerum. Nam si quis omnia esse dicat, ambiguet (inquit) non una ratione appellabit. Si enim id quod est, commune genus esset omnium rerum, una ratione ac modo esse dicerentur. Cum uerò sint decem prima, nominis est solum, non etiam rationis quæ nomini constituta est, societas & communio. Ac prima quidem decem sunt formarum

formarum autem infimarum certus est numerus, non inã  
 finitus: indiuiduorum, quæ formas ultimas sequuntur,  
 infinitior. Quocirca iubebat Plato, eos qui à summis ge-  
 neribus ad infimas species descendissent, insistere: de-  
 scendere autem per media ijs differentijs quæ speciem  
 complent, diuidendo: indiuidua uerò omittere omnino,  
 quòd scientia comprehendi nullo modo possent. Ac eos  
 quidem qui descendunt ad infimas species, necesse est  
 multitudinem dissipatiò decurrere: qui autem ad sum-  
 ma nituntur genera, in unum multitudinem concludant  
 necesse est. nam cum species, tum genus, uel multo etiam  
 magis, multa in unam naturam colligit. Singulæ autem  
 res contrà, unum in multa partiuntur. Nam & species  
 communiõne ac societate unum efficitur ex multis: &  
 singulorum natura, ex una & communi re multæ fiunt.  
 Ut enim res singulæ diuidendi, sic quod commune est,  
 uim comprehendendi efficiendiq; unum habet. Sed  
 cum quid genus esset, quid species, explicatum sit à no-  
 bis, cumq; unum genus sit, species multæ (semper enim  
 in multas partes genus diuiditur) genus quidem semper  
 de specie dicitur, & superiora omnia de inferioribus:  
 species autem neq; de genere proximo, neq; de superio-  
 ribus ullis dicitur, quòd non reciprocetur. Aut enim pa-  
 ria de partibus dici oportet: ut quod ad hinniendum à-  
 ptum est, de equo. aut maiora de minoribus: ut de ho-  
 mine, animal. At minora de maioribus dici, non con-  
 uenit. neq; enim ut hominem esse animal dicitis, sic ani-  
 mal esse hominem rectè possis dicere. In quibus autem  
 species dicitur, in ijs etiam speciei genus, & generis ge-  
 nus, ad primus usque dicitur necessario. Si enim uerè  
 dicitur

Dicitur Socrates esse homo, & homo animal, animalq; substantia: uere etiam Socrates dicitur esse animal & substantia. Quando enim superiora de inferioribus dicuntur, & species de indiuiduo, & genus de specie indiuiduoq; dicitur. Summum etiam genus tum de genere dicitur, aut de generibus si multa sunt media, tum de specie, tum de indiuiduo. Nam & summum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduisq;, quæ ei subiecta sunt, dicitur: & genus, quod infima specie prius antiquiusq; est, de omnibus formis infimis & indiuiduis: Quæ autem species est modò, de indiuiduis omnibus: & indiuiduum, de uno solùm singulorum. indiuiduum autem Socrates dicitur, & hoc quod album est, & hic qui accedit Sophronisci filius, si modò Socratem solùm filium habeat. Quæ indiuidua nominantur ex eo, quòd ex proprietatibus suis quicq; constat, quæ omnes in alio eadem esse nullo modo possunt. Socratis enim proprietates nunquam in alio eadem esse possunt: at hominis communis & uniuersi proprietates, eadem esse possunt in multis, aut potius in omnibus singulis, quia homines sint. Quare & indiuiduum à specie, & species à genere continetur: quippe cum genus quiddam totum sit, pars indiuiduum: species partim pars, partim totum: ita tamen, ut pars sit alterius, totum non alterius. Sed in alijs sit. Siquidem totum in partibus inest. Ac de genere quidem & specie, quidq; sit summum genus, quid infima species, quæq; eadem genera sint & species, quæ indiuidua, quotq; modis genus & species dicantur, dixi-

Differentia autem communiter, proprie, & maxime proprie dicitur. Aliud enim ab alio differre communiter dicitur, quod sumpto undecunque discrimine, uel à se differt, uel ab altero. Nam inter Socratem & Platonem interest aliquid: & à se ipse differt Socrates, cum puer est, & cum in media etate: cum quid agit, & cum nihil. Idque genus differentie semper in discriminibus spectatur ijs, in quibus rei modus & affectio consistit. Proprie autem inter aliqua interest, cum alia affectio, uel accidens, id quod elui funditus non potest, dissimilitudinem facit. Est autem affectio, quæ se parari non potest: qualis est cæcitas oculorum, nasi aduncitatis, aut cicatrix quæ ex uulnere quasi callum obduruit. Ea autem maxime proprie inter se differunt, quæ differentia distant ea quæ speciei est efficiens: uelut, hoc homo equo præstat, quod est rationis particeps. Omnino igitur differentia omnis eum in quo sit, diuersum ab altero facit. Sed hoc interest, quod communis & propria dissimilem, ea autem quæ est propria maxime, omnino alium eum in quo insit, efficit: ita fit, ut quæ alium efficiunt eum in quo sitæ sunt, eæ speciei efficientes appellentur: quæ autem dissimilem omnino, differentie. Nam & rationis particeps, si ad animal addatur, id ad aliud genus transferet, speciemque animalis conficiet: at motus tantummodo ei dissimilem facit, qui non mouetur. Ita differentia illa ad aliud genus animal transtulit, hæc modò dissimiles inter se res facit. Ac ijs quidem differentijs quæ aliud genus efficiunt, & genera in partes diuiduntur, & conficiuntur defi-

definitiones: quoniam ex generibus & differentijs omnis constat conficiturq; definitio. Ex ijs autem quæ dissimiles modò efficiunt, uarietates solum & commutationes oriuntur. Ergo, ut paulò altius repetam, illud quidè iam perspicuum est, differentias aliàs separari posse ab eo in quo sint, aliàs non posse. quandoquidem moueri, stare, ægrotare, ualere, & cætera eiusdem generis, separari possunt: ad uncitas autem nasi, & narium, ut ita dicam, simitas, & particeps expersq; rationis, euelli distrahique non possunt. Sed earum quæ sciungi non possunt, aliqua distinctio est. aliæ enim ex se & ui sua conueniunt rebus, aliæ casu & fortuito. Nam homini per se conuenit rationis particeps, & mortalis, & quòd aptum animum habet ad percipiendam scientiam: ad uncæ autem & simæ nares, temerè & casu, non ui sua. Quocirca quæ per se insunt, eæ in definitione qua rei uis & natura explicatur, adhibentur, ijsq; res alia efficitur: at quæ fortè temerè, nec ad definitionem generis adduntur, nec aliam rem faciunt, sed modo dissimilem. Deinde, quæ ui sua & per se rei conueniunt, nec amplificari, nec minui possunt: quæ casu etiam si separari non possunt, tamen & contentionem capiunt, & remissionem. Nam nec genus, de formis suis cum dicitur, illis magis & minus sibi adiungi patitur: nec differentia generis, quibus diuiditur in partes: cum præsertim ex his definitio eiusque perficiatur: & rei nullius uis & natura, quæ una eademq; est, imminui possit, nec amplificari. At uerò ad uncis simisq; naribus magis & minus esse, & colore aliquo quis leuiter uel multum infici, imbuiq; potest. Iam ergo, cum tria differentiarum genera esse perspicimus,

& alia quæ abesse possunt, alia quæ non possunt: rursus  
 sumq; eorum quæ abesse non possunt, quædam quæ ut  
 naturæq; sua adsunt, nonnulla quæ casu & fortuito rursus  
 ex ijs differentijs quæ per se in hærent, alia sunt quibus  
 genera in partes & formas diuidimus, alia quæ speciem  
 efficiant: uelut quoniam animalis per se differentia  
 tiæ hæ sunt, animatum, sensus, rationisq; particeps, &  
 expers rationis, mortale & immortale: hæ quidem duæ  
 differentia, animatum & sensus particeps, animalis  
 uim naturamq; ac speciem absoluent (est enim animal  
 nihil aliud, quam natura animata, sensus compos.) hæ  
 autem, mortale & immortale, rationis particeps &  
 rationis expers, genus in partes diuidunt: his enim in  
 formas & species genera partimur. Sed quæ genera  
 dispersiunt, eadem formas speciesq; complent: cum  
 præsertim his differentijs, particeps rationis & expers  
 rationis, mortale & immortale, animal distribuatur  
 in partes: ita tamen, ut particeps rationis & mortale,  
 hominis: particeps rationis & immortale, Deorum: expers  
 rationis & mortale, beluarum genus compleant.  
 Eademq; ratione cum summæ substantiæ differentia di  
 uidentes hæ sunt, animatum, inanimatum: sensus par  
 ticeps, sensus expers: ex his duæ illæ, animatum, &  
 sensus particeps, ad substantiam additæ, animal com  
 plent: hæ autem, animatum & sensus expers, plantam.  
 Quoniam igitur hæ omnes uno modo sumptæ & in  
 tollectæ, efficientes sunt formarum, alio modo diuiden  
 tes: factum est, ut procreatrices formarum omnes sint  
 appellatæ. quarum quidem in generum diuisionibus,  
 rerumq; naturis definiendo explanandis usus est maxi

nis, at earum quæ ut casu & fortuito conueniant, sepa-  
 rari non possunt, non item: ac earum multo etiam mi-  
 nor, quæ abesse possunt. Has autem definiunt hoc mo-  
 do: Differentia est, qua forma & species genus supe-  
 rat. Homo enim ratione & mortalitate uincit animal.  
 nam animal nullam omnino earum continere, non est  
 rerum: unde enim formæ, differentiis haberent? ne-  
 que uerò omnes habet contrarias, quoniam isto pacto  
 eadem res simul contrarias formas haberet: sed ut sua  
 in se differentias quæ eis subiectæ sunt, genera comple-  
 etuntur, re uera & actu nullam. Ita fit, ut nec quipa-  
 riam ex ijs quæ nulla sunt, fiat: nec in eodem sint simul  
 formæ contrariæ. Atque etiam hoc modo eam defini-  
 unt: Differentia est, quæ de multis, specie autem diffe-  
 rentibus, in quæstione qua quale quid sit indagatur, di-  
 citur. Nam rationis particeps, & mortale, de homine  
 dicuntur: sed in quæstione qua quale quicq; sit, non in ea  
 qua quid quicq; sit, quæritur. Cum enim quid sit homo,  
 interrogamur, aptè respondemus, Animal: cum uerò  
 quale sit animal, rogamur, Particeps rationis, & mor-  
 tale, rectè respondeamus. Nam res omnes ex materia  
 & specie constant, aut ex ijs quæ proportionem materiæ  
 & speciei dicuntur. Ut enim statua ex æris materia fit,  
 & ex figura tanquam ex specie: sic homo & commu-  
 nis, & sub ratione speciei, ex genere proportionem mate-  
 ria, & ex differentia proportionem speciei efficitur. At-  
 que ut illic totum quiddam est statua, sic hic animal  
 rationis particeps, mortale, homo. Definiunt eam e-  
 tiam hoc modo: Differentia id est, quod uim habet ad  
 ea secernenda, quæ subiecta sunt sub idem genus.

Rationis enim particeps, & expertus rationis, hominem equumque, qui eidem generi quod est animal, subiecti sunt, inter se distinguit, & separat. Et hoc modo: Differentia est, quo quicque distinguitur. Neque enim genere inter se homo & equus differunt, quod & nos & equi sumus animantes: sed particeps rationis cum accessit, nos ab illis separavit. Item, rationis participes sumus nos quidem & angeli: sed cum additum fuit mortale, nos ab illis distinxit. Sed illud intelligi par est, eos qui accuratius & subtilius differentiae perspiciunt ac persequuntur rationem, non quiduis eorum quae separant omnia quae eidem generi tributa sunt, in differentiarum numero habere, sed quod ad rem eiusque vim & naturam aperiendam pertineat, quodque sit pars rei. Non enim aptum esse ad nauigandum, differentia hominis est, etiamsi hominis sit proprium. Dicamus enim licet, animantium alios aptos esse ad nauigandum, alios non esse, hominem ab alijs separantes: sed tamen aptum esse ad nauigandum, non explet naturam hominis, nec eius pars est, uerum consequens naturae uis quaedam: quod non sit differentia talis, quales sunt ea quae efficientes formarum appellauimus. Quamobrem differentiae procreatrices specierum sunt omnes quae species inter se distinguunt, quaeque in rei natura explananda adhibentur. Ac de differentia quidem satis fere dictum est.

## De Proprio. IIII.

Proprium autem diuidunt quadripartitò. Nam & quod uni soli speciei, neque toti conuenit, ut homini mederi, uel geometrae fungi munere, proprium appellantur.

lant: & quod toti speciei, etsi non soli, uelut homini bipedem esse: & quod in sola totaq; specie, idq; interdum reperitur, ut omni homini in senectute canescere. & quartum, id, in quod hæc omnia concurrunt & conueniunt, quod in sola totaq; specie, idq; semper, intelligitur: ut in homine, natum esse ad risum. Quãquam enim non ridet semper, tamen ridens dicitur: non quòd semper rideat, sed quòd semper in sitam habeat ridendi facultatē. Quod ei æque naturale est, atq; equo aptum esse ad hinnitum. Atq; hæc illi propria maximè appellant, quòd reciprocentur. Si enim equus sit, etiam aptus erit ad hinnendum: & si quid aptum sit ad hinnendum, cõtinuò equus sit necesse est.

De Accidente. V.

Accidens uerò est, quod adest & abest sine eius rei in qua situm est interitu. Cuius genera duo sunt: alterum, quod separari potest: alterum, quod non potest. Ac dormire quidem in ijs est quæ separari possunt: nigror sic in coruo & Aethiope inest, ut separari non possit. potest enim & coruus albus, & Aethiops intelligi mutato colore, sine interitu rei cui inhaeret. Diffiniunt illud etiam hoc modo: Accidens est, quod & inesse in eadem re, & non inesse potest. Item, Quod nec genus est, nec differentia, nec species, nec proprium, semperq; in subiecto inhaeret. Expositis his omnibus quæ nobis propo-

sita erant ad dicendum, uelut quid genus esset, quid species, quid differentia, proprium & accidens: iam quid commune inter se habeant, quid proprium, differamus.

De communitatibus & differentijs quinq;  
uocum. VI.

Commune est quidem omnium, ut dixi, de multis dici: sed ita tamen, ut genus ac differentia de formis & indiuiduis, quæ sunt eis subiecta, dicantur: species autem de suis indiuiduis: proprium de specie, cuius sit proprium, & de indiuiduis, quæ speciei subiecta sint: accidens & de formis, & de indiuiduis. Nam animal de equo & boue, quæ species sunt, & de hoc equo & hoc boue, quæ sunt indiuidua, dicitur. Rationis autem expers, tum de equo ac boue, tum de singulis dicitur. Sed species, qualis est homo, de singulis hominibus modo dicitur. At proprium, & de specie cuius est proprium, & de indiuiduis illi speciei subiectis dicitur: ut quod aptum est ad risum, de homine, & de hominibus singulis: quod uerò nigrum est, de specie coruorum, & de singulis coruis, quod accidens est quod separari non potest, dicitur. & moueri, quod accidens est quod potest separari, de homine equoq; dicitur: sed ita, ut primum de indiuiduis, secundo autem loco de ijs etiam quæ indiuidua continent.

De communitatibus & differentijs Generis  
& Differentiæ. VII.

Communis est autem generi cum differentia, formarum complexio. Differentia enim species complectitur, et si non omnes quas genus. Particeps enim rationis, et si non continet ea quæ sunt expertia rationis, ut animal: at certè hominem & angelum, qui species sunt, continet. Quæq; de genere, quia genus sit, dicitur, omnia de  
formis

formis ijs quæ illi subiectæ sunt, dicantur necesse est. Sicuti quæ de differentia ut differentia est, dicuntur, eadem etiam de specie quam illa efficit dicuntur. Nam quoniam animal genus est, de eo quasi genere dicitur essentia, & quod animatum est, & quod sensum habet. Quinetiam de formis omnibus quæ animali subiectæ sunt, hæc ipsa usq; ad indiuidua dicuntur. Quoniamq; particeps rationis differentia est, de eo differentia nomine dicitur id quod ratione utitur: nec de eo solū quod est particeps rationis, sed de ijs etiam formis, quas id quod rationis est particeps complectitur. Hoc etiam commune illorum est, quod generibus differentijsq; sublati, tolluntur unà ea omnia quæ illis subiecta sunt. Ut enim, si nullum sit animal, nec equus est, nec homo: sic, si nihil sit rationis particeps, animal quod ratione utatur, constare nullo modo potest. Proprium autem generis est, in pluribus dici quàm differentiam, quàm speciem, quàm proprium, quàm accidens: cum enim animal in homine, equo, aue, & angue dicatur, tamen quadrupes de ijs tantum quæ quatuor pedes habent, & homo in solis indiuiduis: quod ad hinnitum natum est, in solo equo, & singulis. Itemq; accidens in paucioribus dicitur. Sumendæ autem sunt differentia, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis uim naturamq; complent. Deinde differentiam generis uis sua continet: quandoquidem animalium aliud rationis particeps, aliud expers, differentia autem non continet genus: nam antiquiora prioraq; sunt genera ijs differentijs, quæ illis subiectæ sunt. Itaque si tollantur, tollunt differentias, nec ab illis unà tolluntur. Sublati enim

animantibus, rationis compositibus & expertibus nihil loci relinquitur. At uero genera non tollunt differentia: ut enim omnes tollantur, tamen substantia animata, sensus compos, quod animal est, mente & cogitatione intellegitur. Præterea genus in quaestione qua natura rei inuestigatur, dicitur: differentia in quaestione, ut dixi, qualitatis. Genus etiam in quaque forma & specie unum est: ut in homine genus est animal, differentia multæ: ut quod rationis est particeps, quod mortale, quod ad mentem & scientiam percipiendam natum est, quibus à cæteris animantibus distinguitur. Postremo genus materiæ simile est, formæ differentia. Multa sunt præterea quæ generis differentia: propria sunt & communia, sed hæc satis multa sunt.

De communitatibus & differentijs Generis & Speciei. VIII.

Genus quidem & species communem habent eam dicendi rationem, qua in multis, ut dixi, reperiuntur. In quo speciem illam intellectam uolo, quæ species modò est, non etiam genus, cum accedit speciem atque genus esse. Hoc etiam illorum commune est, quòd priora sunt ijs de quibus dicuntur, & quòd utrunque quiddam totum est. Sed hoc differunt, quòd genus species complectitur: species continentur, nec genera continent: quippe cum in pluribus genus quàm forma dicatur. Præterea genera præponi oportet, quæ differentijs ijs quas efficietes formarum diximus, quasi efformata, species compleant & absoluant. Itaque priora sunt naturæ ordine genera, tolluntque, neque tolluntur. Si enim sit species, genus etiam omnino est: at si genus sit, non continuo species

species est. Genera etiam una ratione de omnibus formis quæ ei subiectæ sunt, dicuntur: formæ de generibus non item. Iam hoc superant formis genera, quòd formas complectuntur: formæ autem genera, quòd proprias differentias. Præterea nec species summum, nec genus infimum locum obtinere potest.

De communitatibus & differentijs generis & proprij. XIX.

Generi cum proprio hoc commune est, quòd species sequuntur. Vt enim si quid sit homo, idem animal: sic si quid sit homo, continuo ad risum aptum sit necesse est. Illud etiam, quod æquè genus de formis dicitur, atque proprium de ijs indiuiduis quæ ipsum participant. æquè enim homo & bos animantes sunt, & Anytus & Melius æquè apti ad risum. Atq; etiam illud commune est, quòd una ratione & genus de suis formis, & proprium de ijs quorum proprium est, dicitur. Inter ea autem interest, quòd genus prius est, posterius proprium. Primum enim animal esse debet, deinde differentijs proprijsq; distingui ac diuidi. Et genus quidè de multis formis dicitur, proprium autem de una aliqua forma cuius sit proprium. Præterea proprium uicissim comeat retro, cum de eo dicitur, cuius est proprium: at genus, de nullo uicissim dicitur. Nō enim si quid sit animal, id continuo sit homo: neq; si quid animal, idcirco aptum sit ad risum: sin aliquid sit homo, continuo etiam aptum animus ad risum habeat necesse est: uicissimq; si quid aptum animum ad risum habeat, homo. Præterea inest proprium in tota specie cuius proprium est, & in sola ea, idq; semper: genus uero, etsi in tota specie cuius genus

b s est,

est, & semper, attamen non in sola ea reperitur. Præterea si propria tollantur, non etiam genera secum unâ tollūt: cum interim sublatis generibus, formæ eæ, quarū sint propria, constare nullo modo possint: ita sublatis ijs quorum sunt propria, ipsa etiam tollantur necesse est.

De communitatibus & differentijs generis & accidentis. X.

Communis est generi cum accidente, de multis, ut dixi, dicendi ratio, siue in ijs sit accidentibus quæ separari possunt, siue in ijs quæ non possunt. Nam & moueri in multis dicitur, & quod nigrum est, in coruis & Aethiopicis, alijsq; nonnullis quæ sine animis sunt. Hoc autem inter genus accidensq; interest, quod genus formis prius sit & antiquius, accidentia posteriora formis. Ut enim accidens statuatur id quod abesse non potest, certè id accidente prius est, cui inhaeret: hoc etiam, quod æquè genere participant ea, quæ illo participant, accidens non æquè. Contentionem enim, remissionemq; capit accidentium communitio: generum non item. Item, quod primum in indiuiduis accidentia inhaerent, genera & species naturæ ordine priora sunt indiuiduis substantijs. Et quod genera in quæstione naturæ de ijs quæ illis subiecta sunt, dicuntur: accidentia uero, in quæstione qualitatis uel modi cuiusuis rei. Si enim rogatus fueris, qualis sit Aethiops, nigrum esse respondebis: aut quomodo affertus sit Socrates, ægrotare eum uel ualere dices. Ac genus quidem quid à cæteris quatuor differat, diximus. unumquodq; autem eorum à quatuor cæteris etiam differre uidebitur: ita cum quinque sint, & unumquodq; à cæteris quatuor distet, effici uidetur, ut quater quinque ducta,

ducta, uiginti differentias omnes explicant. Non ita est:  
 sed quoniam deinceps enumerantur, adeoq; in ijs quæ  
 secundo loco accipiuntur, una differentia, quia iam sum-  
 pta sit, relinquitur: in ijs uerò quæ tertio loco, duæ: in ijs  
 quæ quarto, tres: in ijs quæ quinto, quatuor emittuntur  
 differentia: profecto ex quatuor, tribus, duabus, & u-  
 na, decem fiunt. Nam quoniam quid genus à differen-  
 tia, quid à specie, quid à proprio & accidente differret,  
 dictum est, idcirco quatuor hinc oriuntur differentia.  
 Quid autem differetia à genere differret, tum dixi, cum  
 quid ab ea differret genus ostendi. Reliquum est igitur,  
 ut quid à specie, proprio & accidente differat, doceam  
 mus: ex quo tres nascuntur. Rursum quid species à diffe-  
 rentia interesset, dixi, cum quid differentia à specie dista-  
 ret dicrem: quid etiam differret à genere species, docui,  
 cum quid genus à specie differret docerem. Ita restat, ut  
 quid species à proprio & accidente differat, differam  
 mus: quæ duæ fiunt differentia. Illud tandem ad dispu-  
 tandum relinquetur, quid inter proprium inter sit &  
 accidens: quando quidem quid à specie, quid à differetia  
 & genere differret, antè docui, cum eorum inter se diffe-  
 rentiam traderem. Si ergo quatuor generis, differentia  
 tres, species & caterorum duæ distinctiones in unum  
 conferantur, si deniq; proprii ab accidente una, certè ex  
 omnibus decem fiunt: quarum quidem quatuor, generis  
 & caterorum iam ostendimus.

De communitatibus & differentijs Speciei  
& Differentia. XI.

Communis igitur differentia cum forma, par æquaq;  
 communio est. Singuli enim homines æque participes  
 sunt

sunt hominis, differentiæq; rationis, ex qua participes rationis nominantur. Hoc etiam eis cōmune est, quod semper adsunt ijs quibus ipsorum conuenit communicatio. semper enim Socrates & rationis est particeps, & homo. Proprium autem differentiæ est, in quæstione dici qua quale quicq; sit: speciei uerò, in ea qua quid quicq; sit queritur. Nam etsi homo uelut qualitate aliqua affectus sumatur & intelligatur, non omnino quale quidpiam significat, sed quia differentiæ generi accommodatæ cum talem fecerint. Iam in multis formis sepe differentia cernitur, uelut quadrupes in pluribus animantibus specie differentibus: species autē sola indiuidua quæ sub specie subiecta sunt, completitur. præterea prior est differentia ea specie quæ ex ipsa nominatur: quandoquidem sublato eo quod rationis est particeps, homo constare nullo modo potest: at homine sublato, quod rationis est particeps, minimè tollitur, cum angelus cohereat. Præterea coniungitur differentia cum alia differentia. Siquidē quod rationis est particeps, quodq; mortale, in uim naturamq; hominis concluduntur. Species autem cum specie non copulatur, ut aliud inde genus oriatur. equam enim quandam si certus asinus cōtrectet, inde mula nascetur: at si omnino equus cum asino coniungatur, nunquam ex eo muli natura constabit.

De communicatibus & differentijs Proprij & Differentiæ. XII.

Differentiæ autem cum proprio hoc commune est, quod æquē illis participant ea quibus cum communicantur. Aequē enim id omne quod particeps est rationis, est compos rationis: & quæ nata sunt ad risum, æquē nata sunt

sunt omnia. Illud etiam ijs cōmune est, & semper conuenire, & omnibus quæ continent. Quamuis enim animal bipes debilitatum quid habeat, ad id certè ad quod natum est, semper accommodabitur. Et id quod ad risum natum est, etiamsi non rideat semper, tamen ex eo ad quod natum est, semper intelligitur. Differentiæ autem proprium est plerunq; in multis formis contineri: ut rationis particeps in angelo & homine dicitur. Proprium autem in una specie, cuius est proprium. Et differentia quidem ex ijs consequens est, quorum differentia, et si id uicissim retrò non commeat. Proprium autem uicissim etiam retrò commeat, quòd reciprocetur ipsum, & ea quorum proprium est.

De communitatibus & differentijs accidentis & differentiæ. XII.

Hoc differentiæ cum accidenti commune est, quòd in multis dicuntur. Cum eo etiam quòd separari non potest, illud commune est differentiæ, quòd semper & omnibus quæ complectuntur, conueniunt. Nam bipes semper homini cōuenit, & nigror coruïs omnibus. Sed hoc differunt, quòd formas differentia continet, nec continetur. (nam & angelum & hominem particeps rationis complectitur) accidens uerò quodammodo complectitur, quia sit in multis: quodammodo continetur, quòd nõ unum aliquod accidens, sed multa recipiant ea quibus in herere solent. Præterea nec intendi differentia, nec remitti potest: at accidentia & intentionem capiunt, & remissionem. Cumq; contraria differentia misceri iungiq; inter se non possint, tamen contraria sæpe accidentia coniunguntur. Ac differentia quidem & aliorum hæ sunt

hæ sunt communitates ac proprietates. Species autem quid à genere differret, & differentia, dictum est tum, cum quid genus & differentia à cæteris distaret, ostendimus. Restat ut quid à proprio & accidente intersit, dicamus.

De differentijs & communitatibus speciei & propriij. XIII.

Hoc igitur speciei cum proprio cõmune est, quod inter se recipiuntur. Nam si quid homo sit, etiam aptum ad risum erit: & si quid aptum ad risum sit, homo. Nam sæpe diximus, quod aptum est ad risum, ex eo quod natum sit ad risum, intelligendum esse. Atq; etiam illud commune est, quod æquè conueniunt. Aequè enim & species insunt in ijs quibus cum cõmunicantur, & propria in ijs quorum sunt propria. Hoc uerò differunt, quod species aliorum esse genus potest, proprium aliorum proprium esse non potest: quodq; species ante coheret quàm proprium, proprium speciei innascitur. Sit enim homo necesse est, ut sit aptus ad risum. Cumq; species semper in subiecta re insit re ipsa, proprium interdum potentia inest, atque interdum solum adesse potest. Homo enim semper estocrates, non semper ridet, quanquam semper ad risum aptum animum habeat. Præterea quorum definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt. Cumq; speciei sit, subesse generi, de multisq; dici in quaestione qua rei natura quaeritur, quæq; sunt eiusdem generis: proprij est uni ali cui, eiq; omni, semperq; conuenire.

De communitatibus & differentijs speciei & accidentis. XV.

Hoc autem commune speciei cum accidente est, quod

in multis dicuntur. Raræ autem sunt aliæ communitates, quod id quod accidit, & id cui quid accidit, distent inter se plurimum. Proprium autem speciei est, in questione qua quid quicq; sit quaeritur, de ijs dici quorum est species: accidentis autem, in ea qua quale quid sit, aut quomodo affectum sit. Illud etiam speciei proprium est, quod uni cuiusq; rei natura unius est formæ particeps: accidentis, quod multorum accidentium, & eorum quæ separari possunt, & eorum quæ non possunt. Præterea species ante intelliguntur quam accidentia, etiam si non possint seiungi (rem enim subijci oportet, ut ei quid accidat) accidentia uerò posterius nascuntur, habentq; naturam suam omnem in substantia coherentem. Species etiam æqua est parq; communio, accidentium autem eorum quæ seiungi non possunt, non item. Quoniam Aethiops alius alio, colore nigro potest magis minusq; imbuti & infici. Nunc superest, ut de proprio & accidente differamus. Quid enim proprium à specie, quid à differentia & genere differret, diximus.

De communitatibus & differentijs Proprij & Accidentis. X V I.

Commune est illud proprio cum accidenti indiscreto, quod illa in quibus cernuntur, constare sine ipsis nullo modo possunt. Ut enim constare homo sine eo non potest quod ad risum aptum sit: sic esse sine nigro colore Aethiops nullo pacto potest. Et quemadmodum in ijs omnibus, quorum est proprium, & semper inest proprium ita accidens, quod seiungi non potest. Hoc uerò differunt, quod proprium uni modo speciei conuenit, uelut homini id quod ad risum aptum est: accidens autem, quod

Seiungi

seiungi non potest, uelut niger, non solum Aethiopi conuenit, sed coruo etiam, et carboni, & ebano, alijsq; nonnullis. Iam proprium, & id cuius est proprium, reciprocantur, in omnibusq; aequè inest proprium: accidens autem id quod separari non potest, nõ reciprocatur. Propriorum etiam aequa est parq; communitio: accidentium alia maior, alia minor. Sunt præterea alia multæ communitates & proprietates eorum omnium quæ adhuc commemorauimus: sed hæc satis multæ sunt ad ea discernenda, eorumq; inter se comprobandas communitates.

## F I N I S.

## ARISTOTELIS STAGIRITÆ

Categoryæ, interprete Ioachimo Perionio

Benedicino Cormæriaceno: per Nic.

Grouchium correctæ &

emendatæ.



**M**ōvva dicuntur, quorum nomen solum cōmune est: definitio autem naturæ, nomini congruens, alia atq; alia, ut animal, id quod homo est, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo societate coniūcta, definitione ea quæ naturam eorum, uimq; nominis explicat, differunt. Si quis enim quæ sit utriusq; eorum natura, quia animalia sint, dicat, utriusq; propriam constituet definitionem.

Synonyma autem dicuntur, quorum & nomen commune est, et eadem nomina attributa naturæ definitio: ut animal, id quod homo est, et id quod est bos. Nam & animal

animal communi nomine eorum utrumq; appellatur, et eadem est quæ naturam explicat definitio. Etenim si quis reddat definitionem, quæ quid sit utrumq;, quatenus animalia sunt, explicet: certè eandem attribuet utrique. Paronyma autem uocantur ea, quæ orta ab uno uariè commutantur: ut à grammatica grammaticus, fortis à fortitudine.

Eorum quæ dicuntur partim coniuncta sunt, partim simplicia. Ac coniuncta quidem, ut homo currit, homo uincit: simplicia sunt, homo, bos, currit, uincit.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt ullo, ut homo: de subiecto enim dicitur quopiam homine, in subiecto autem nullo inest. Alia in subiecto sunt illa quidem, sed de subiecto nullo dicuntur. In subiecta autem re esse dico id, quod in re aliqua inest, non tanquam pars, nec ab eo cui inest seungi separariq; potest. ueluti grammatica aliqua in subiecto inest animo, sed de subiecto nullo dicitur. Eodemq; modo hic uel ille candor, est ille quidem in subiecto corpore (est enim in corpore color omnis) attamen de nullo subiecto dicitur. Quædam & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto: ut scientia in subiecto animo inest, ac de subiecta grammatica dicitur. Nonnulla nec in subiecto sita sunt, nec de subiecto dicuntur ullo: ut singuli homines ut singuli equi. Nihil enim eius generis neq; in subiecto est, neq; de subiecto ullo dicitur. Omnino autè & indiuidua, & res singula, de subiecto nullo illa quidem dicuntur, sed eorum nonnulla in subiecto esse nihil prohibet. Nam grammaticæ singulis sunt in ijs quæ in subiecto insunt, nec de subiecto ullo dicuntur. Cum alte-

rum de altero tanquam de subiecto dicitur, quicquid de  
 prædicato dicitur, id omne de subiecto quoque dicitur. ut  
 luti, quia homo de quopiam homine dicitur, & animal  
 de homine: ob eam etiam causam animal de singulis ho-  
 minibus dicitur. Singuli enim homines, & homines  
 sunt, & animalia. Quando genera diuersa sunt, nec u-  
 num ab altero continetur, eorum etiam differentie spe-  
 cie differunt, ut animalis & scientie. Animalis enim dif-  
 ferentie sunt, terrenum & bipes, & uolucres, & aqua-  
 tile. At uero harum nulla scientia est: quonia inter scien-  
 tiam & scientiam hoc ipso quod bipes fit, nihil interest.  
 Eorum autem generum, quorum unum altero continet-  
 tur, nihil prohibet easdem esse differentias. Nam superio-  
 ra genera de ijs, quæ ijs subiecta sunt, generibus dicuntur.  
 Ita fit, ut omnes quæ sunt prædicati, subiecti etiam  
 sint futuræ differentie. Quæ autem simplicia sunt, ea  
 uel substantiam significant, uel quantitatem, uel qualita-  
 tem, uel quæ cum aliquo comparantur, uel locum, uel tem-  
 pus, uel situm, uel habere, uel facere, uel pati. Est autem  
 Substantia, ut populariter dicam, ut homo, ut equus.  
 Quantitas, ut quod duorum cubitorum est, quodque  
 trium. Qualitas, ut candor, grammatica. Quæ cum aliis  
 quo comparantur, ut duplum, ut simplum, ut maius. In  
 loco, ut in foro, in Lycio. In tempore, ut cras, anno supe-  
 riore. Situm esse, ut iacere, ut sedere. Habere, ut arma-  
 tum esse, uestitum esse. Facere, ut secare, urere. Pati, ut  
 secari, uri. Nihil autem eorum quæ enumerata sunt, per  
 se affirmationem aut negationem facit: sed ex eorum  
 mutua quadam coniunctione, omnis & affirmatis &  
 negatio nascitur. Nam & omnis affirmatio et negatio,

aut uera est, aut falsa: & nihil eorum quæ simplicia sunt, non coniuncta, uerum est, aut falsum: ut homo, ut candor, ut currit, ut uincit.

## De Substantia.

Substantia autem, quæ & proprie & primum, & maximè appellatur, ea est, quæ nec de subiecto ullo dicitur, nec in subiecto ullo inest: ut quidam homo, quidam equus. Secundo autem loco substantiæ uocantur species eæ, in quibus quæ primæ nominantur naturæ, insunt: itemq; earum formarum genera. uelut quispiam homo, specie quidem hominis continetur, speciei autem genus est animal. Hæ igitur secundæ naturæ substantiæq; nominantur: ut homo, ut animal. Perspicuum est autem ex ijs quæ dicta sunt, eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse esse & nomen de subiecto dici, & definitionem: ut homo de subiecto quopiam homine dicitur, & nomen etiam dicitur. Siquidem quempiam hominem, tu hominem rectè appellabis. Atq; etiam hominis de aliquo homine dicitur definitio. Homo enim quispiam, & homo est, & animal rationis particeps, mortale. Ergo & nomen de subiecto dicitur, & definitio. At uerò eorum quæ in subiecto continentur, permulta sunt, quorum neque nomen neque definitio de re subiecta dicitur: nonnullorum nomen nihil prohibeat dici de subiecto interdum, etiam si non possit definitio. ueluti candidum cum sit in subiecto corpore, de subiecto dicitur. candidum enim corpus dicitur: et candidi definitio nunquam de corpore dicitur. Cætera uerò omnia uel de primis substantiis subiectis dicuntur, uel in ijs subiectis continentur. Quod perspicui exemplis potest. ueluti animal de homine

homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dices-  
tur. Si enim de singulorum hominum nemine, ne de ho-  
mine quidem dicitur omnino. Rursum inest color in cor-  
pore, ergo & in aliquo corpore. Nam si in nullo est sin-  
gulorum corporum, neq; in uniuerso corpore. Ergo hoc  
iam apparet, reliqua omnia aut de subiectis primis sub-  
stantijs dici, aut in eis inesse subiectis. Quocirca sublatis  
primis naturis atq; substantijs, nihil loci relinquitur cæ-  
teris omnibus. Porro secundarum substantiarum species  
magis substantia est, quam genus: quoniam ad primam  
naturam propius accedit. Si enim quid sit prima essen-  
tia quispiam explicet, planius id & aptius faciat usus  
specie, quam si genus adhibuisset: ueluti aperius cuius-  
dam hominis naturam explicabit, qui hominem esse di-  
cet, quam qui animal. Est enim magis propria species  
cuiuspiam hominis, at genus communius. Item si quis,  
quid sit aliqua arborum singularum aperiat, apertius  
docebit si arborem dicat esse, quam si plantam. Iam pri-  
mæ substantiæ, quia cæteris omnibus subiectæ sunt, re-  
liqua q; omnia de eis dicuntur, aut in eis sunt, idcirco ma-  
ximè substantiæ naturæ q; nominantur. Quam autem  
habent rationem ad cætera omnia primæ essentia, ean-  
dem habet species ad genus. Subijcitur enim generi spe-  
cies, quippe cum de speciebus genera dicantur, nec spe-  
cies generibus ex hac parte respondeant. Ita fit etiam ex  
his, ut species magis quam genus nomen obtineat sub-  
stantiæ. At uerò species nulla, earum quæ genera non  
sunt, magis quam altera substantia est. Nemo enim cui-  
quam singulorum hominum, nomen hominis adhibebit  
aptius, quam bonis, cuiuspiam bouum singulorū. Similiter q;

in pri-  
stantia  
uerius  
prima  
de nom-  
nis sit p-  
si quis  
homi-  
dem se-  
si ani-  
nium  
minim-  
currer-  
ex reli-  
uocant  
subst-  
nia di-  
pales  
omnia  
prima  
nim cæ-  
nem g-  
cum &  
tem om-  
Eto. na-  
iecto u-  
in null-  
piam s-  
enim in  
subiect

in primis essentijs ac naturis, nihil magis aliud alio substantia est: neq; enim quisquam singulorum hominum uerius essentia est, quam bos aliquis. Iure autem post primas essentias, species solæ ac genera essentia secundæ nominantur. Hæc enim sola eorum quæ dicuntur, quæ uis sit primæ substantiæ explicant, atq; declarant. Nam si quis uelit explicare quæ uis sit & natura cuiuspiam hominis, isq; uel speciem afferat uel genus, apte ille quidem fecerit: licet planius, si hominem esse dicat, quam si animal, fecisse uideatur. At si quid cæterorum omnium afferat, alienum id futurum est, & ad eam rem minime accommodatum: ut si candidum eum dicat, uel currere, aut aliud quiduis generis eiusdem. quapropter ex reliquis rebus omnibus hæc solæ merito substantiæ uocantur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ substantiæ subiectæ sunt, quoniamq; reliqua de eis omnia dicuntur, uel insunt in ipsis, ob eam causam principales dicuntur substantiæ. Quod autem sunt ad cætera omnia primæ substantiæ, hoc & genera sunt & species primarum substantiarum ad reliqua omnia. de his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem grammaticum dices, sic & hominem grammaticum & animal; similiterq; in cæteris omnibus. Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto. nam nec in subiecto prima substantia est, nec de subiecto ullo dicitur. De secundis etiam id perspicuum est, eas in nullo esse subiecto. Homo enim, etsi de subiecto quospiam homine dicitur, tamen in nullo subiecto inest, neq; enim in quodam homine homo inest. Itemq; animal de subiecto quospiam homine dicitur, cum interim animal

in aliquo homine non insit. Iam uero eorum quæ in subiecto insunt, nihil impedit, quo minus nomen illud quidem interdum de subiecto dicatur, sed tamen nunquam definitio potest. At secundarum substantiarum & definitio de subiecto, & nomen dicitur. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itemq; animalis. Non igitur in ijs quæ in subiecto insunt, esse substantia ullo modo potest. Sed non est substantiæ hoc proprium: quin etiam sunt in ijs, quæ non sunt in subiecto, differentiæ. Nam gradus & bipes de subiecto aliquo homine dicuntur, nec sunt in subiecto ullo. neq; enim in homine bipes inest, neq; gradus. Atque etiam de eo differentiæ definitio, cuius est differentia, dicitur: ut si gradus de homine dicatur, dicitur etiam de homine gradientis definitio. est enim homo gradus. Nec uero conturbare nos debent substantiarum partes, quasi insint in totis ut in subiectis, ne quando eas substantiis negare cogamur. Ea enim in subiecto esse negauimus, quæ ut partes inessent. Hoc autem essent ijs ipsis & differentijs tributum est, ut de quibus ipsa dicuntur, & uerba dicantur. Omnes enim quæ ex illis ducuntur dicendi rationes, aut de indiuiduis, aut de formis dicuntur. Ex prima enim substantia, quoniam de subiecto nullo dicitur, nulla dicendi ducitur ratio. At secundarum substantiarum formæ, de indiuiduis dicuntur: genus autem & de speciebus, & de indiuiduis. Itemq; differentiæ de formis, indiuiduisq; dicuntur. Atq; etiam primæ substantiæ, & formarum sibi uendicant & generum definitionem, & species illam generis. Quæ enim de prædicato dicuntur, de subiecto quoq; dicuntur omnia.

Eodemq;

Eodem  
diuidu  
ta sunt  
tio. On  
fifican  
tia, qui  
dem ess  
quiddat  
duum,  
prima  
ter, fi  
dicitur  
quali  
iecta  
malq;  
gific  
nihil  
stant  
lem a  
ra ex  
pbra  
substa  
prima  
cupia  
nim a  
Sed  
pleriq;  
tate.  
quicq;  
quam

Eodemq; modo differentiarum definitio formis & in-  
 diuiduis accommodanda est, Synonyma autem definitio-  
 ta sunt ea, quorum nomen commune est, eademq; definitio-  
 tio. Omnia igitur quæ à substantijs & differentijs pro-  
 ficiscuntur, ~~omnes~~ dicuntur. Omnis etiam substan-  
 tia, quiddam hoc uel illud significat. Ac in primis qui-  
 dem essentijs non est id dubium: sed uerum est eas hoc  
 quiddam significare, uel illud, præsertim cum indiuisi-  
 duum, quodq; unum numero est, declaretur illis, & ex-  
 primatur. Secundæ autem uidentur illæ quidem simili-  
 ter, figura appellationis, hoc quippiam significare, cum  
 dicitur homo, uel animal: non tamen id uerum est, sed  
 qualitatem potius significant. Neque enim res una sub-  
 iecta est, ut in primâ substantia: sed de multis homo ani-  
 malq; dicuntur, quanquam non omnino qualitatem si-  
 gnificat, sicut album. nomen enim albi, nisi qualitatem,  
 nihil significat omnino. At genus & species cum sub-  
 stantia, qualitatem adsignificant: significant enim ta-  
 lem aliquam substantiam. Sed genere, quàm specie, plu-  
 ra explicantur: quoniam qui nomen animalis profert,  
 plura quàm is qui hominis complectitur. Iam hoc etiam  
 substantijs insitum est, ut ipsis nihil sit contrarium. Nam  
 primæ quidem substantiæ, ut cuiusdam homini, uel  
 cuiusdam animali, quid contrarium esse possit? nihil es-  
 nim eis repugnat: ne homini quidem, aut animali.  
 Sed hoc proprium non est substantiæ, quin etiam in  
 plerisque alijs rebus hoc cernitur, ueluti in quantita-  
 tate. Neque enim rei duorum cubitorum, aut trium,  
 quicquam contrarium est: neque decem, nec cuius-  
 quam rei eiusdem generis, nisi forte dicat aliquis, multa

paucis esse contraria, aut magna paruis: sed illud profecto uerum est, definitis quantitibus nil aduersari. Illud præterea substantijs conuenit, ut nec elationem nec summisionem suscipere possint. Quod non ita dictum uelim, quasi substantia alia, alia nec magis nec minus substantiæ nomen obtineat: hoc enim concessum est. Sed hoc uolo, nullam substantiam, id ipsum quod suapte natura est, nec magis nec minus sibi uendicare. ueluti si homo substantia est, nec ipse seipso magis aut minus est, nec alter altero magis est aut minus homo. Neque enim alter altero nomen hominis magis obtinet: sicuti res alba alia, alia albior est, & minus alba: & honestum aliud alio honestius est, & minus honestum. Quia etiam idem se ipsum magnitudine aliqua & exiguitate superare dicitur: ut corpus cum candidum sit, hoc tempore quam antea albius uocatur: & quod calidum est, magis minusque calidum. At uero essentia nec magis nec minus essentia nominatur, neque enim homo nunc magis quam antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ substantiæ appellantur. Quare non patitur substantia illud magis aut minus sibi tribui. Sed hoc substantiæ est proprium maxime, una eademque cum sit numero, uim habere accipiendi contraria: ita ut cæterorum omnium quæ non sint substantiæ, nihil quisquam afferre possit, quod unum idemque manens contraria possit accipere. ut color cum sit unus & idem numero, niger non dicitur, & albus: neque eadem actio, uitiiosa & recta. Eadem est cæterorum omnium ratio, quæ substantiæ non uocantur. At substantia cum una sit eademque numero, uim habet accipiendi contraria. ueluti

unus idemq; homo aliàs albus, aliàs est niger : interdum  
 calidus, interdum frigidus : nonnunquam bonus, non-  
 nunquam improbus : quod in cæteris omnibus non re-  
 peritur. Nisi forte aliquis occurrat, confirmans contra-  
 ria accipere & orationem posse, & opinionem: uidetur  
 enim eadem uera & falsa oratio. ut si uera est oratio,  
 sedere aliquem : cum is surrexerit, hæc ipsa oratio falsa  
 erit. Eademq; est ratio opinionis. si quis enim uerè sedea-  
 re aliquem sentiat, cum surrexit, malè existimabit, se  
 eandem de eo habeat opinionem. Quòd si cui hæc pro-  
 habuntur, attamen ratione quadam magna est dissimi-  
 litudo. Nam substantiæ ipsæ mutatæ, uim habent acci-  
 piendi contraria : cum enim ex calido quippiam fit fri-  
 gidum, ipsum immutari solet, quoniam & quod ni-  
 grum fit ex albo commutatur, & bonum ex malo. Is-  
 tèmque cætera omnia commutatione accedente con-  
 traria accipiunt. At uerò oratio & opinio, ma-  
 nent ipsæ quidem immobiles omni ex parte : sed re ea-  
 quæ subiecta est immutata, in eis contraria nascuntur.  
 Manet enim hæc eadem oratio, sedere aliquem : re uerò  
 mutata, interdum uera, interdum falsa est. Eadem est ra-  
 tio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium  
 erit substantiæ, immutatione sui ipsius accipere posse  
 contraria. Quamquam autem quis orationem & opi-  
 nionem contraria accipere comprobet, profecto non is-  
 ta est. Neq; enim ex eo quòd aliquid acceperint, con-  
 traria suscipere dicuntur oratio & opinio : sed, quia in  
 re alia, aliqua affectio nata est. Nam quia res est, aut  
 non est, idcirco uera est aut falsa oratio, non quia possit  
 ea accipere in se contraria. Omnino enim à nemine nec

oratio mutatur, nec opinio. Nunquam igitur contraria accipient, nisi in eis aliqua affectio gignatur. At substantia, quod contraria in ea sunt, ex eo uim habere dicitur accipiendi contraria. Nam & morbus in ea esse & ualeatudo potest, & candor & nigror; quæ cum omnia in se accepit, uim habere accipiendi contraria dicitur. Quare nature ac essentiæ hoc proprium est, uim habere accipiendi contraria, immutatione sui, cum unum & idem numero maneat. Ac de substantia quidem hæc tenus.

## De Quantitate.

Quantorum autem aliud deiunctum est, aliud coniunctum: & partim ex partibus constant quæ situm quendam inter se habent, partim ex ijs quæ non habent. Est autem deiunctum, ut numerus, ut oratio: continuum, ut linea, extremitas, corpus, & præterea locus & tempus. Nam numeri partium terminus communis nullus est, quo eius partes coniungantur. uelut si quinque sint partes decem, nullo communi termino quinque & quinque coniuncta sunt, sed separata: neque tribus & septem ullus communis terminus accommodatur. Nec possis omnino in numero communem ullum partium terminum reperire, sed semper secreta sunt ac separata. Ita numerus in eis est quæ secreta sunt. Similis est ratio orationis. Nam quantam esse orationem ex hoc perspicere potest, quod syllaba breui longaque ponderatur. Id quod de uocis oratione intellectum uolo. Partes enim eius nullo communi termino & fine coaptantur: quoniam terminus communis nullus est, quo syllabæ cohæreant, uerum per se quæque secreta est. Linea autem continuata est. Li

eet enim communem sumere terminum, punctum uide-  
 licet, quo eius partes coniungantur, & extremitatis li-  
 neam. nam extremitatis partes ad certum communem  
 terminum omnes pertinent. Item in corpore potes repe-  
 rire communem terminum, lineam, uel extremitatem,  
 qua coniunctæ sint partes corporis. Atque etiam locus  
 & tempus sunt generis eiusdem. Nam & id tempus  
 quod adest, quodq; præsens est, cum præterito & fu-  
 turo copulatur: & locum certum corporis partes occu-  
 pant, quæ aliquo communi termino coaptantur. Loci  
 ergo partes quæ singulas corporis partes continent, eo-  
 dem termino quo corporis partes copulantur. Ita in  
 continuatis est locus, quandoquidem ad certum com-  
 munem terminum eius partes pertinent. Præterea alia  
 ex partibus constant, quæ habent situm inter se: alia ex  
 ijs quæ non habent: ueluti lineæ partes situm certum  
 tenent, quoniam unaquæque alicubi sita est, potesq; u-  
 bi quæque sita sit in plano explicare, quaq; cum parte  
 reliquarum omnium coaptetur. itemq; plani partes si-  
 tum certum obtinent: æquæ enim doceri potest, ubi sin-  
 gula sita sint, & quæ inter se aptæ. Eadem est ratio so-  
 lidi corporis & loci partium. At uerò in numero, quem  
 eius partes inter se situm habeant, aut ubi sita sint, aut  
 quæ inter se uinctæ atque aptæ, docere nemo potest: ne  
 temporis quidem. pars enim nulla manet temporis.  
 Quod autem non manet, qui situm certum habeat, &  
 quin potius ordinem certum id obtinere possis dicere,  
 quia temporis pars alia prior, alia posterior est. Simi-  
 literq; in numero, quod unum prius quam duo, & duo  
 ante quam tria numerantur. ita ordinem quandam cer-  
 tum

tum obtinent, situm autem eorum nunquam certe postis reperire. Eadem est ratio orationis, nulla enim eius pars manet; sed prolata & missa uox, iam reuocari nullo modo potest. non igitur situs ullus erit eius partium, si quidem nulla manet. Alia igitur ex partibus constant, quæ ipsæ certo quodam situ constant, alia ex ijs quæ non constant. Sed propriè quanta nominantur, ea quæ diximus: impropriè & casu cætera omnia. Hæc enim spectantes & intuentes, cætera quanta appellamus: ueluti multum album aliquid dicimus, quod extremitas magna sit: actionem & motionem diurnam, quod multum interiectum sit temporis. Neque enim quicquam eorum per se quantum dicitur: ut si quis doceat quanta sit actio, eam tempore explicabit, anni unius, aut sic quodammodo. Et qui res quàm sit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. nam quàm longa est extremitas, tam album aliquid esse confirmauerit. Ita fit, ut sola ea quæ enumerata sunt, propriè quanta dicantur: reliqua omnia non per se illa quidem, sed casu & fortuito. Iam quantis nihil cōtrarium est, nam certis ac definitis perspicuum est nihil repugnare, ut rei trium aut duorum cubitorum, uel extremitati, neque ulli eorum quæ sunt generis eiusdem. nihil enim eis contrarium est. Nisi forte dicat aliquis; & multa paucis, & magna paruis esse contraria. Atqui non sunt hæc in quantis, sed in ijs quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per se magnum aut paruum dicitur, sed quod cum alio comparatur. ut mons paruus, milium magnum: quia hoc maius sit omnibus ijs quæ sunt eiusdem generis: ille, quia minor alijs eiusdem generis. Fit igitur cum altero collatio.

Nam

Nam si per se magna aut parua dicerentur, nunquam certe mos paruus, nec milium magnum uocaretur. Præterea in uico multos esse, Athenis paucos, cum sint multo plures, dicimus: & domi multos, in theatro paucos, esse fit multo maior numerus. Iam res duorum & res trium cubitorum, cæteraq; eiusdem generis, quantum sit alia quid significant: magna autem & parua non quantum sit significant, sed potius comparisonem. Nam ex altero spectatur quod magnum est, & quod paruum. Perspicuum est igitur, ea in ijs esse quæ cum aliquo comparantur. Præterea siue quis hoc ponat in quantis, siue non ponat, tamen nihil eis est contrarium. Quod enim non potest per se intelligi, cum aliquoq; comparatur, qui potest ei quicquam esse contrarium? Præterea si magna paruis contraria sunt, in eodem simul contraria erunt, & idem sibi ipsi aduersum. accidit enim ut res eadem sit simul magna & parua: est enim ad hanc parua, eadem magna ad alteram. Eadem igitur res eodem tempore & parua est, & magna. ita simul contraria accipit. Nihil autem simul contraria accipit: ut in substantia perspici potest, in qua cum esse contraria possint, tamen nulla simul in morbo est, & ualet: nec alba & nigra simul est, nec aliud quicquam est in quo simul contraria esse possint. Atque etiam eadem res sibi ipsa aduersa erit. Si enim res magna parue contraria est, eadem etiam simul & magna & parua, certe eadem res sibi erit contraria. At fieri non potest, ut aliquid sibi sit contrarium. Non igitur sunt parua magnis contraria, nec multa paucis. Ex quibus efficitur, ut etiam si quis hæc non dicat in ijs esse quæ cum aliquo comparantur, sed in quantis,

quantis, tamen eis nihil sit contrarium futurum. Sed quantorum repugnantia in loco apparet maxime. Summum enim locum infimo contrarium ponunt, mediam regionem infimum locum appellantes, quod inter medium & mundi terminos longissimum interiectum sit interuallum. Atque etiam ex his ducta uidetur ceterorum contrariorum definitio. Contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum differunt. Nec uerò illud magis aut minus, in quantis reperitur. ut res duorum cubitorum non asciscit alia magis rei huius naturam atque rationem. Quod eodem modo iudicandum est de numero: ueluti tria non magis quam quinque numeri nomen obtinent, nec quinque potius quam tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Quanta igitur nec magis nec minus dicuntur. At quantorum maxime proprium est paria & imparia nominari: quanta enim quæ diximus, omnia uel paria uel imparia uocantur, ut corpus par uel impar dicitur. itemque numerus & tempus, par & impar. Similiterque singula quæ dicta sunt, uel æqua uel non æqua dicuntur. Cætera uerò quæ non sunt in quantis, non admodum æqualia uel inæqualia nominantur. ut commutatio non admodum dicitur æqua uel non æqua, sed potius similis uel dissimilis: & res alba non ferè æqua uel non æqua, sed similis uel dissimilis. Est igitur hoc quantorum maxime proprium, ut paria uel imparia dicantur.

De ijs quæ cum aliquo conferuntur.

Ea autem cum aliquo conferuntur, quæ id quod sunt aliorum

aliorum esse dicuntur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur. ueluti manus quicquid ipsum est, id omne alteri tribuit: aliquo enim manus dicitur. & duplum, id ipsum quod est, ad alterum refertur, quoniam alicuius rei duplum est: itemq; cætera omnia eiusdem generis. Sunt etiam hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur: ut habitus, ut dispositio, ut scientia, ut situs. Hæc enim omnia quicquid sunt, aliorum sunt, aut quomodo-  
 cunque aliter cum altero conferuntur, ac nihil præterea. Nam & habitus, alicuius habitus dicitur: & scientia, alicuius scientia: & situs, rei cuiuspiam situs. Eadem est cæterorum omnium ratio. Sunt igitur quæ cum aliquo conferuntur ea, quæ id quod sunt, alterius esse dicuntur, uel quoquo modo ad alterum referuntur: ut mons ad alterum magnus dicitur, quippe cum ad aliquid mōs magnus nominetur. Quod simile est, alicui etiam simile dicitur: cæteraq; omnia generis eiusdem, eodem modo cum aliquo conferuntur. Sunt autem quædam situs genera, accubatio, status, sessio: situs autem in ijs est, quæ cum aliquo conferuntur. Sed iacere, stare, sedere, non sunt ipsa quidem situs: ab ijs autem generibus situs quæ diximus, orta sunt. Reperitur etiam in ijs quæ cum aliquo conferuntur, repugnantia, ut uirtus uitio est contraria, cum utrunque in ijs sit quæ cum aliquo comparantur & ignorantia scientia. Nec uerò omnibus data sunt contraria. duplo enim nihil aduersatur, nihil triplo, nec ulli eiusdem generis. Illud autem magis & minus in ijs reperitur, quæ cum aliquo conferuntur. Nam & quod simile ac dissimile est, similis dissimiliusq; dicitur: & quod par et dispar est, aliud alio magis par & dispar, et utrumq;

utriūq; in numerum eorum ueniat, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim simile est, cuiusdam simile: & quod par est, alicui par esse dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo comparantur, illud magis & minus admittunt. neq; enim duplum magis aut minus duplum, quàm aliud habetur: nec quicquam eiusdem generis.

Omnia uerò quæ in hoc genere sunt, recipiuntur: uelut seruus, domini seruus: uicissimq; dominus, serui dominus esse dicitur. Et ut duplum simpli, sic uicissim simplicum dupli simplicum habendum est. Itemq; & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadem est ratio cæterorum: nisi quòd interdum casus dissimilitudo rationem dicendi commutabit. Quanquam enim scientia, rei quæ sub scientiam cadit, dicatur: tamen res quæ scientiæ subiecta est, scientiæ non dicitur, sed sub scientiam cadere dicitur. Et sensus, rei quæ sub sensum cadit, sensus est: uicissimq; res subiecta sensui, non dicitur sensus, sed sub sensum cadere. At enim recipi nonnunquam ista non uidebuntur: quoties non accommodatum ad id quod dicitur, uerbum exprimit is qui rem declarat. ut si quis pennam auis esse dixerit, non uicissim dicat auem pennæ esse: cum præsertim primum quod dedit, non esset uerbum proprium, cum scilicet dixit pennam auis esse pennam. non enim hoc ipso quia auis sit, penna eius propria est, sed quia pennigera sit: si quidem plerisque alijs pennæ attributæ sunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo si aptè & accommodatè ad rationem dicendi uerbum exprimat, continuo recipiuntur. uelut, penna pennigeri penna, uicissimq; penniger penna penniger. Atq; etiam hoc loco

inter-

interdu  
men  
gubern  
probè fi  
bernacu  
bernacu  
tio. nauis  
ratio dic  
structæ  
bernacu  
Similis  
quàm  
habeat  
cillime  
propria  
deductæ  
id quod  
ut a per  
culo res  
& acco  
sicum a  
per se re  
quidem  
consensu  
na: siqu  
ad quod  
ti seru  
iussu  
inter eo  
dici po

interdum sanè si nullum accommodatum sit rebus nomen impositum, nomina faciendâ sunt necessariò: ut si gubernaculum dicatur nauis esse gubernaculum, haud probè fiat. neque enim hoc ipso quòd nauis sit, eius gubernaculum esse dicitur, cum naues sint quæ nulla gubernacula habeant. Itaque non est hoc loco reciprocatio. nauis enim non solet dici gubernaculi nauis: aptiorque ratio dicendi fiat, si gubernaculum rei gubernaculo instructæ esse dicatur: quandoquidem res instructa gubernaculo ob id dicitur, quòd gubernaculum habeat. Similis est ratio cæterorum. ut caput aptius capitati, quàm animalis: quippe cum non quia animal sit, caput habeat: carent enim capite multa animalia. Sed ita facillimè nomina imponentur rebus, quarum nulla sunt propria, si à primis, eorum etiam declinatione quadam deducantur nomina, quibus cum ipsa prima cõparantur. Id quod in ijs perspici potest, de quibus modò diximus: ut à penna pennigerum, à gubernaculo quod gubernaculo regitur. Quare quæ cum aliquo cõferuntur, si aptè & accommodatè dicantur, recipiuntur omnia. Nam si cum alio aliquo conferantur quàm quod propriè ac per se respiciant, non recipiuntur. Dico autem, ne ea quidem uicissim inter se respondere posse, quæ omnium consensu recipiuntur, etiamsi imposita eis sint nomina: siquidem ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id ad quod propriè affecta sunt, accommodabuntur. ueluti seruus si non domini, sed hominis aut bipedis, aut cuiuspiã eius generis seruus dicatur, certè nulla futura est inter eos reciprocatio. neque enim homo esse serui homo dici potest, propterea quòd non est ea apta & propria dicendi

dicendi ratio. Quod si aptè & accommodatè ad id ad quod refertur, uerbum exprimitur, apta ad ipsum illud semper erit dictio, etiam si omnia quæ aduentitia sunt, detrahantur: ijs solis remanentibus, cum quibus illa conferuntur. Vt seruus si cum domino conferatur, profectò sublatis detractisq; omnibus quæ domino aduentitia & aduentitia sunt: uelut cum bipedem esse, & natum ad scientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo solo, cum herum esse, tamen semper ad ipsum referetur. Siquidem seruus, domini seruus nominatur. Nam si parum accommodatum ad id cum quo conferatur, nomen reddatur, separatis cæteris omnibus, relicto autem eo uno cui adiunctum erat, minimè cum eo conferetur. Accommodetur enim, exempli gratia, seruus ad hominem, & penna ad auem, seiungaturq; ab homine heri appellatio, iam seruus cum homine non comparabitur: itemq; ab aue separatur pennigeri ratio, non iam penna ueniet in numerum eorum quæ cum aliquo conferuntur. Sublato enim pennigero, nullius certè penna est futura. Quapropter uerbum accipiendum est, cum quo alterum ritè conferatur. Quod si nomen sit impositum, facilis est uerbi accommodatio: sine nullum sit, profectò faciendum nouum necessariò est. Quæ si hoc pacto omnia tribuantur, perspicuum est, quæ cum aliquo conferentur, reciprocatur iri omnia. Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine. Ac in plerisque id uerum est, in alijs non item. Simal enim atque duplum est, & simplex est: & si simplex sit, duplum quoq; est: & si dominus sit, seruus sit necessè est: & si seruus sit, & dominus. Similis est ratio cæterorum.

terorum  
 que e  
 aut sim  
 dem est  
 in omni  
 citur, e  
 tia sub  
 fere res  
 In pauci  
 cum re  
 Prater  
 quo qu  
 scientia  
 scientia  
 tia. At u  
 que sub  
 entia co  
 terim o  
 mante  
 multa  
 eorum  
 sensui, s  
 sensum,  
 tollitur  
 pore su  
 que ser  
 sus mo  
 pus, nu  
 est sens  
 subtra

terorum. Atque etiam tollunt hæc inter se omnia. Neque enim sublato duplo, esse simplicium ullo pacto potest: aut simplo sublato, duplo loci aliquid relinquatur. Eadem est aliorum ratio, quæ sunt eiusdem generis. At non in omnibus ijs quæ cum aliquo conferentur, id uerè dicitur, ea simul esse ordine naturæ. Nam res ea quæ scientiæ subiecta est, prior est naturæ ordine scientiæ: quod ferè res postquam iam sunt, scientiæ comprehendamus. In paucis enim, aut in nullis potius, scientiam simul esse cum re quæ sub scientiam illam cadit, perspicere potest. Præterea sublata re quæ sub scientiam cadit, scientia quoque tollitur. At sublata scientia, id quod cadit sub scientiam non tollitur. Siquidem si nulla sit res subiecta scientiæ, non est scientia, quoniam nullius erit rei scientia. At uerò sublata scientia, nihil prohibet rem esse eam quæ sub scientiam cadat. Ut de orbis quadratura (si scientia comprehendi possit) necdum scientia est, cum interim cadere possit sub scientiam. Iam uerò sublato animante, nullus locus scientiæ relinquatur, cum interim res multæ comprehendi possint scientia. Similis etiam ratio eorum est, quæ in sensibus cernimus. Res enim subiecta sensui, sensu antiquior est. Sublata enim re quæ cadit sub sensum, sensus tollatur necesse est: sensu uerò sublato, nõ tollitur quod sensu percipi potest. Nam sensus et in corpore sunt, et circa corpora uersantur. Atqui sublata re quæ sensus mouet: etiam corpus, quoniam in ijs quæ sensus mouentia sunt habetur, tollitur. Et si nullum sit corpus, nullus futurus est sensus. Re igitur, quæ subiecta est sensui, sublata, sensus unà tollitur: sensus autem si subtrahatur, sensus mouentia, quæ sunt, minime tolluntur.

tur. Sublato enim animali, sensus quidem tollitur: corp<sup>u</sup>s  
 autem quod cadat sub sensum, remanet: ut calida,  
 dulcia, amara, ceteraq; omnia quæ sensum mouent. Po-  
 strēmō, sensus unā cum eo quod uim habet sentiendi e-  
 xistit: quandoquidem unā cum animali sensus oritur.  
 Res autem subiecta sensibus, animali & sensu antiquior  
 est. Nam & ignis & aqua, & cetera eius generis ex  
 quibus constant animantes, animalibus & sensibus o-  
 mnibus antecedunt. Sensu igitur, id quod sensus mouet,  
 est antiquius. Sed hoc loco quæstio quædam existit, nullo  
 lane sit essentia, id quod uidetur in ijs quæ cum aliquo  
 conferuntur: an id fieri possit in nonnullis secundis sub-  
 stantijs. Nam id quidem uerum est de primis substantijs,  
 quippe cum nec tota, nec partes primarum naturarum  
 ad aliqua referantur. Neq; enim aliquis homo, cuius-  
 piam homo dicitur: neq; hic uel ille bos, alicuius certus  
 bos. Similis est ratio partium. Manus enim aliqua, non  
 appellatur alicuius certa manus, sed alicuius manus: &  
 caput quoddam, non cuiuspiam quoddam caput, sed ali-  
 cuius caput uocatur. Quod idem in plerisq; secundis es-  
 sentijs contingit. Ut homo, cuiuspiam homo non dicitur:  
 nec bos, bos alicuius: nec lignum, alicuius lignum: sed a-  
 licuius possessio. Atq; id quidem perspicuum est, hæc ta-  
 lia omnia in ijs non esse quæ cum aliquo conferuntur.  
 De quibusdam autem secundis essentijs quæstio est. Veluti  
 caput, alicuius caput: & manus, cuiuspiam manus dici-  
 tur: itemq; cetera generis eiusdē. Videntur igitur hæc in  
 ijs esse, quæ cum aliquo conferuntur. Ac si satis explicata  
 perfecteq; tradita eorum est definitio quæ cum aliquo  
 conferuntur, profectō aut magni negotij est substantiam  
 nullam

nullam i  
 potest  
 quo con  
 posita e  
 contra h  
 finitio in  
 tur: tam  
 est alter  
 cum aliq  
 qui cert  
 etiam i  
 quod e  
 piam in  
 autem u  
 aliquid  
 sciat nec  
 sit affe  
 quo quo  
 get, an  
 id in reb  
 lud cer  
 plum pra  
 sunt & a  
 dem, an  
 sciat qu  
 sit meli  
 tem, qu  
 scet: opi  
 certo sci  
 rat, nibi

nullam in hoc genere esse docere, aut certe id fieri non  
 potest. Sin secus, suntq; ea demum in ijs quæ cum ali-  
 quo conferuntur, quorum uis omnis & natura in eo  
 posita est, ut ad aliquid affecta sint, certe aliquid quod  
 contra hæc ualeat, afferatur. Et quanquam prior de-  
 finitio in omnia ea ualeat, quæ cum aliquo conferun-  
 tur: tamen non idem est, rem aliquam id ipsum quod  
 est alterius dici, & rem aliquam id modo esse quod  
 cum aliquo comparatur. Ex quo perspicuum est, eum  
 qui certo sciat aliquid eorum quæ in hoc genere sunt,  
 etiam illud cum quo confertur, probè intellecturum.  
 quod etiam hinc intelligi potest. Nam si quis quip-  
 piam in ijs esse quæ cum aliquo conferuntur sciat (est  
 autem uis & natura eorum quæ sunt in hoc genere, ad  
 aliquid certo quodam modo affecta esse) illud etiam  
 sciat necesse est, quam ad rem id ipsum quoquo pacto  
 sit affectum. Nam si quam ad rem illud affectum sit  
 quoquo modo prorsus ignorat, ne illud quidem intelli-  
 get, an ad aliquid affectum sit quoquo modo. Atque  
 id in rebus singulis perspicui potest. Ut si quis hoc uel il-  
 lud certo sciat duplum esse, is continuo cuius id sit du-  
 plum probè nouerit. Si enim nullius eorum quæ certa  
 sunt & definita, duplum ipsum nouerit: ne illud qui-  
 dem, an sit duplum, prorsus intelliget. Itemq; si certo  
 sciat quispiam hoc uel illud esse melius, idem quo illud  
 sit melius, statim probè intelligat necesse est: ob id au-  
 tem, quo deteriore sit præstantius, non incertè cogno-  
 scet: opinio enim hæc non est scientia. Neq; enim adhuc  
 certo sciet, deteriore melius esse: quoniam si res ita fe-  
 rat, nihil eo sit deterius. Quapropter illud quidem per-

spicuum est, si quis probe norit aliquid eorum quæ cum aliquo conferantur, eum necesse esse illud etiam probe nosse, cum quo conferatur. At uerò caput, manum, & cætera eiusdem generis, quæ sunt in essentijs, ea quidem quicquid sunt, quispiam certò sciat necesse est: id uerò cum quo conferantur, non necesse est. Cuius enim hoc caput sit, cuiusq; hæc manus, cognito capite, cognitaq; manu, certò sciri non potest. Non sunt igitur hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur. Quòd si hæc non sunt in ijs quæ cum aliquo conferantur, certe uerè dicitur, substantiam nullam in numerum eorum uenire, quæ cum aliquo conferantur. Quamquam autem difficile est, aliquem qui in his non sit multum diuq; uersatus, de his talibus certum aliquid affirmare; tamen singulatim de his quæstionem ponere, magnæ utilitatis est.

#### De Qualitate.

Qualitatem autem uoco, ex qua quales nominamur. Qualitatis autem genera sunt plura. Vnum, habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quòd habitus longinquior est, & permanentior: quales sunt scientia, atque uirtutes. Scientia enim in ijs est, quæ permanenti, diuturnaq; sunt, etiamsi scientia aliquis sit medioeriter instructus, nisi ui morbi aut alicuius eiusdem generis permagna inciderit mutatio. Eadem est ratio uirtutis. ut iusticia, ut temperantia, & cætera eiusdem generis, non facile euelli mutariq; possunt. At uerò affectiones facile commutari, celeriterq; euelli possunt, & distrabi: ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, omniaq; quæ sunt generis eiusdem. Nam &

his

his bon  
re in fr  
bum. Q  
eorum  
transfer  
eici, qu  
cum est  
turnior  
aliquam  
li, in p  
quoda  
malan  
nem in  
turnior  
affectio  
sim esse  
etiam  
habitu  
quo al  
lere: &  
slues  
rati, aut  
dicuntur  
quia ut  
buit, q  
dum, n  
bitu es  
modo,  
facile  
habear

his homo quodam modo afficitur, & celeriter ex calore in frigus commutatur, & ex bona ualitudine in morbum. Quod idem in ceteris talibus contingit, nisi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum sic transferantur, ut uel omnino tolli non possint, aut ægré eijci, quæ tum habitus appellari licet. Illud autem perspicuum est, ex his in habitibus habenda esse ea quæ diuturniora sunt, quæq; permanentiora. Nam qui scientiæ aliquam particulam tenent non firma memoria, sed exili, in ijs habitum esse non solemus dicere, quanquam quodammodo affecti sunt scientiæ, aut in bonam, aut malam partem. Hoc igitur inter habitum & affectionem interest, quod hæc facile desistere potest: ille diuturnior est, difficulterq; diuellitur. Habitus uerò etiam affectiones sunt: affectiones autem non necesse est uicissim esse habitus. Nam & ij in quibus habitus insunt, ijs etiam afficiuntur; & qui affecti sunt, ij non continuo habitibus sunt præditi. Alterum genus qualitatis est, ex quo aliquos pugilum habitum gerere, & ad cursum ualere: alios ad bonam ualitudinem & ad morbos procliuēs esse dicimus; & omnino ea omnia quæ à ui naturali, aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hæc dicuntur, quod affecti sint quodam certo genere: sed quia uim quandam aut imbecillitatem eis natura tribuit, quæ aptos animos habent ad facile aliquid faciendum, nihilue patiendum. ut pugilum & cursorum habitu esse dicuntur, non ex eo quod affecti sunt quodammodo, sed quod natura ualent, aut non ualent, ad aliquid facile obeundum. Valentes etiam appellantur, quod uim habeant naturalem, ut non facile, nec leui de causa, de

statu suæ ualitudinis dimoueantur. Imbecilli autem,  
 quòd tam infirma sunt ualitudine, ut statim quauis ex  
 causa commoueantur. Similis est ratio durorum &  
 mollium. Durum enim dicitur ex eo, quòd in eo uis insit  
 quædam innata, impediens quo minus facile secari que-  
 at. Molle autem, quòd in eo uis ea non insit. Tertium  
 qualitatis genus consciunt patibiles qualitates, ac per-  
 turbationes: in quo genere sunt dulcedo, amaror, acri-  
 monia, quæq; sunt eiusdem generis: itemq; calor, frigus,  
 candor, atror. Hæ autem esse qualitates hinc perspicere  
 potest, quòd ea in quibus insunt, qualia ex eis nominan-  
 tur. ut mel, quia dulcedine perfusum est, dulce appellas-  
 tur: & candidum corpus, quòd candore præstet. Quòd  
 idem in cæteris contingit. Sed patibiles qualitates uoc-  
 cantur, non quòd ea quæ eas receperunt, affecta sint a-  
 liqua ex parte. neque enim mel ex eo dulce dicitur,  
 quòd affectum sit quippiam, nec quicquam tale. Itemq;  
 calor & frigus qualitates uocantur patibiles, non ob  
 eam causam quòd ea in quibus insunt, passa sint aliquid:  
 sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quòd in sensi-  
 bus omnes hæ qualitates, quas modo nominavi, motum  
 quendam & affectionem efficiant. Nam & dulcedo  
 quendam motum affert gustatui, & calor tactui, &  
 cæteræ eiusdem generis. At uerò candor & nigror, a-  
 lijq; colores, non eodem modo quòd ea quæ diximus, qua-  
 litates dicuntur, sed quòd à perturbationibus motioni-  
 busq; natæ sint. Nam commutationes multas colorum  
 ex perturbationibus oriri, hinc intelligi potest, quòd  
 quando quis pudore afficitur, ruber fit: & qui metuit,  
 pallidus: itemq; cæteris eiusdem generis. Quocirca si cui  
 natura

natura aliquam talem rationem tribuerit, uerisimile est eum simili fore colore. Quæ enim, cum pudore aliquis affectus est, in corpore nascitur affectio, eadem à naturæ institutione existere potest, ut naturæ etiam similis color oriatur. At quæ qualitates ortum habent & originem ab affectionibus, quæ uix tolli possunt, ac permanent, patibiles nominantur. Siue enim à prima institutione naturæ pallor aut atror extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) siue longo morbo aut ardore eadem comparatæ sunt qualitates, nec facile corrigi possunt, aut per omne tempus ætatis ualent, qualitates etiam hæc patibiles nominantur, siquidem ex ijs quales appellamur. Quæ autem ab ijs quæ facile euelli possunt oriuntur, motiones dicuntur, patibiles qualitates non item; quandoquidem non ex ijs homines quales nominantur. Neque enim qui erubuit, ob id ipsum quod pudore affectus est, ruber uocatur: nec qui metu expalluit, pallidus, sed potius nonnihil perturbatus fuisse dicitur. Ita perturbationes sunt hæc quidem omnia, qualitates non sunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur, & perturbationes. Quæ enim simulac orti sumus, ex motionibus quæ difficulter euelli possunt, oriuntur, eæ etiã qualitates nominantur: ut mentis è sua sede amotio, ut ira, et cætera eiusdem generis. Nam quales ex ijs nominamur: ut amentes, ut iracundi. Itemque omnes mentis ex suo statu depulsiones, quæ non natura, sed temere & fortuito hominibus eueniunt, aut quæ uix euelli possunt, & si qua ijs similia: quippe cum ex ijs quales nominemur. At quæ constant ex ijs quæ facile ac citò dissipari possunt, uocantur perturbationes: ut si quis ira commotus, fiat iracundior.

cundior. Neq; enim iracundus appellatur ex eo, quòd in hac perturbatione iracundior existat: sed potius, quòd aliquid acceperit, & quasi passus sit, dicimus. Perturbationes igitur hæ, non qualitates uocantur. Quartum qualitatis genus est figura, & ea quæ in quoq; est forma, itemq; rectitudo & obliquitas, & si quid aliud his simile est. nã ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum & quadratum, & rectum & obliquum esse, quale quiddam nominatur. Atq; etiam ex forma quale aliquid nominatur. Rara autem & crassa, aspera & læuia, quale quiddam illa quidem uidentur significare, sed aliena sunt ab ea quæ qualitatis propria est, affectione, sicut enim potius uerba talia declarant. Crassum enim quid dicitur, quòd eius partes inter se propè cohercant. Rarum autem id, cuius partes inter se dissiunt & sunt. Læuia, quòd partes quodammodo in rectum sitæ sint. Aspera, quòd partes aliæ emineant, aliæ superentur. Alia etiam fortasse sunt genera qualitatis; sed hæc sunt ferè quæ maxime in omnium ore uersantur. Ac qualitates quidem quid sint, qualesq; diximus. Qualia autem sunt ea, quæ ab eis sunt cognominata, aut quoquo alio modo deducta, pleraq; enim, ac ferè omnia, ab ijs nomina duxerunt; ut à candore candidus, à grammatica grammaticus, à iusticia iustus: itemq; cætera eiusdem generis. Sunt autem quidam, qui quoniam nomina nulla imposita sunt qualitati, nomina sua ab ea non trahant: uelut cursor & pugil, is qui ex ui innata nominatur, nomen non traxit ab ulla qualitate. neque enim imposita sunt rebus ijs nomina, ex quibus quales hi appellantur: perinde atque scientijs, à quibus hi pugiles

giles aut palæstrici nominantur propter affectionem. Ars enim pugilum, & palæstra, eæ artes appellantur, à quibus quales ij nominis adiunctione & coniugatione appellantur. Interdum impositum nomen est qualitati, cum interim id quod quale ex ea dicitur, nomen non mutuatur ab ea: ut à uirtute, uirtute præditus. Virtute enim præditus dicitur aliquis, quod uirtutem habeat, nec est simplex à uirtute cognominatum: idq; in paucis contingit. Sunt igitur qualia ea, quæ nomina sua ab ijs qualitibus, de quibus differui, sumpserunt, aut alio quodam modo ab ijs orta sunt. Est autem qualitibus inter ipsas repugnantia: ut iusticiæ iniusticia contraria est, & candor atrori, itemq; cætera eiusdem generis. Eadem est eorum ratio, quæ ex ijs qualia nominantur uelut iusta iniustis contraria sunt, & nigra candidis. Nec hoc in omnibus contingit: rubris enim aut fusco, coloribusue talibus nihil contrarium est, cum sint qualia. Illud etiam intelligendum est, si unum aduersorum in qualibus est, alterum etiam in ijs fore: quod singulatim cæteras categoriis intuenti perspicere licet. uelut, si iniusticiæ contraria sit iusticia, iusticia autem sit qualitas, qualitas iniusticia sit necesse est. Nulla enim categoria præter qualitatem, iniusticiæ conuenit & accommodatur. Similis est ratio cæterorum omnium quæ in qualitate contraria sunt. Recipiunt etiam intentionem & remissionem qualia. nam & album aliud alio albius dicitur, & aliud alio magis minusue iustum. Atque etiam incrementum ipsa ad se comparata recipiunt: quod enim album est, fieri potest albius. Sed in plerisque id fit, non in qualibus omnibus. Nam

iusticiæ

iusticiãne alia, alia magis minusue iusticia dicatur, quæ-  
 stio est. Quod idem in cæteris affectionibus contingit,  
 nonnullis enim hæc in dubium ueniunt. Iusticiam enim  
 iusticia minorem maiorẽmue, aut ualetudine ualetudi-  
 nem dici, non putant oportere. Alium quidem alio &  
 magis ualere dicunt, et iustiorẽm: quod idem fit in gram-  
 matica, cæterisq; affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex  
 ipsis nominantur, sine ulla controuersia magis et minus  
 sibi adiungunt, nam & alio alius peritior grammaticus  
 est, & ualentior, & iustior. At uerò triangulus & qua-  
 dratum illud magis & minus non probant, neq; ulla a-  
 lia figura. Ea enim in quæ trianguli orbisq; definitio ua-  
 let, omnia æquæ trianguli orbisq; sunt. Eorum autẽ quæ  
 trianguli orbisq; non recipiunt definitionem, nihil aliud  
 alio magis dicitur. Nam nihilo magis quadratum, quàm  
 altera parte longius, est circulus: quippe cum in neutrum  
 ualeat circuli definitio. Omnino autẽ, nisi utraq; ratio-  
 nem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum  
 altero magis minusue dicatur. Non igitur in omnibus  
 qualibus, illud magis minusue dicitur. At eorum quidem  
 quæ adhuc commemorata sunt, nihil est qualitatis pro-  
 prium. Similia autem aut dissimilia aliqua in solis quali-  
 tatibus reperiuntur; præsertim cum nihil simile aut dissi-  
 mile dicatur alia re ulla, nisi ex qua illud quale appelle-  
 tur. Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile  
 aut dissimile nominari. Sed nihil est quòd uerear, ne quis  
 nos dicat, cum de qualitate disputaremus, multa enume-  
 rasse eorum quæ in ijs esse dixerim, quæ cum aliquo con-  
 ferantur. Et si enim habitus & affectiones ad ea retuli-  
 mus, quæ cum aliquo conferuntur, in ijsq; sunt ferẽ qua-  
 litatis

litatis genera omnia, tamen res singulæ nullæ in ijs repe-  
riuntur. Nam & scientia quæ genus est, quicquid ipsa  
est, alterius esse dicitur (alicuius enim scientia uocatur)  
& res singulæ nullæ, quicquid ipsæ sunt, ad aliud refe-  
runt. Ut grammatica non dicitur alicuius grammatica,  
nec musica alicuius musica: nisi forte hæc ipsa propter  
genus, in ijs sunt, quæ cum aliquo conferantur. uelut græ-  
matica, alicuius scientia dicitur, non alicuius grammati-  
ca: & musica alicuius scientia, non alicuius musica. Non  
sunt igitur res singulæ in ijs quæ cum aliquo conferun-  
tur. Quales autem ex singulis scientijs nominamur, quos-  
nam ea sunt in nobis: & artifices ex eo dicuntur, quod  
nonnulli singulis scientijs præditi sint. Quare singulæ  
scientiæ etiam qualitates erunt, ex quibus quales appel-  
lamur, nec in ijs sunt quæ cum aliquo conferuntur. Po-  
stremo, si idem sit & in qualitatibus, & in ijs quæ cum  
aliquo conferuntur, non alienum est id ipsum in utroq;  
genere collocare.

## Agere &amp; Pati.

Atq; etiam agere patiq; & repugnantiam recipiunt,  
& magis ac minus. Calfacere enim & refrigerare sunt  
inter se contraria, & calefcere & frigere, & gaudere  
ac dolere. Reperitur igitur in his repugnantia, item ma-  
gis & minus: Nam & calfacere magis ac minus licet,  
& minus calefcere & magis, & maiorem minoremq;  
percipere dolorem. Illa igitur agere & pati, cum magis  
minusq; copulantur. Atq; de his quidem hæctenus. In ijs  
quæ cum aliquo conferuntur, situm esse, à situ nomen  
habere diximus. De cæteris Categorijs, quæ sunt, quan-  
do, ubi, & habere, quoniam apertæ sunt, & non obscu-  
ræ,

ra, nihil aliud trado nisi id quod initio dixi: Habere, idem declarare quod uestitum esse, & armatum esse: & Vbi, ut in Lyceo, in foro, cæteraq; omnia quæ de ijs dicta sunt. Ac de generibus quidem quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt.

#### De Contrarijs.

Nunc de contrarijs, quot modis opponi soleant, differamus. Contrariorum autem genera sunt quatuor. unum, eorum quæ cum aliquo conferuntur: alterum, eorum quæ aduersa dicuntur: tertium, eorum quæ priuantia: quartum, eorum quorum alterum ait quid, alterum negat. Hæc autem omnia, ut simpliciter rem proponam, contraria sunt in ijs quæ cum aliquo conferuntur: ut duplum, simplum. in ijs quæ aduersa dixi: ut bonum, malum. priuantia: ut cæcitas & aspectus. aientia & negantia: ut sedet, non sedet. Ac ea quidem contraria quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipsa sunt, contrarij esse dicuntur, aut quoquo modo aliter ad id affecta sunt. Ut duplum simpli, quicquid ipsum est, alterius esse dicitur: est enim alicuius duplum. Scientia enim, & res quæ sub scientiam cadit, ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario nomine opponuntur: quippe cum & scientia tota in re quæ ei est subiecta uersetur: & res quæ subiecta est scientiæ, ad scientiam tota referatur. Res enim quæ scientia comprehenditur, alicui scientiæ subiecta est. Quæ igitur, ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario nomine opponuntur, quicquid ipsa sunt, contrarijs tribuunt, aut quoquo pacto inter se affecta sunt. At uero quæ ut aduersa, contraria sunt, neuiquam inter se ita affecta sunt, ut uim naturamq;

naturamq; suam inter se referant, sed tamen inter se  
 sunt contraria. Non enim bonum, mali bonum appel-  
 latur, sed contrarium. Differunt igitur hæc inter se con-  
 trariorum genera. Quæ autem aduersa sunt eiusmodi,  
 ut necesse sit alterum inesse in ijs quibus natura insunt,  
 aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media interiecta  
 sunt. Quorum uerò non est necesse inesse alterum, in  
 medio eorum aliquid est collocatum. ut morbus & bo-  
 na ualetudo in corpore nasci solent, & alterum necesse  
 est uel morbum uel bonam ualetudinem animantis cor-  
 pori conuenire. Imper etiam & par in numero dicitur,  
 alterutrumq; necesse est in numero reperiri: nec inter a-  
 grotationem & ualetudinem, par & impar, quicquam  
 medium interiectum est. Quorum non est necesse alter-  
 utrum inesse, in medio eorum aliquid collocatum est.  
 ueluti candor & atror in corpore natura nascuntur, et  
 tamen non necessario alterutrum inest in corpore, cum  
 præsertim non omne corpus album sit, aut nigrum. I-  
 tem malum & bonum & in homine, & in alijs plerisq;  
 que illa quidem dicuntur, sed tamen alterutrum non est  
 necesse in ijs inueniri de quibus dicuntur. non enim uel  
 mala sunt, uel proba omnia. Itaq; his interiectum est  
 aliquid: ut inter album colorem, & nigrum, fuscus &  
 pallidus, & ceteri colores: & inter malum & bonum,  
 quod neq; malum est, neq; bonum. Ac nonnullis quor-  
 dam medijs rebus imposta sunt nomina: ut fuscus &  
 pallidus inter album & nigrum medijs sunt colores, &  
 ceteri eiusdem generis. In alijs non est facile id quod  
 medium est, nomine uno appellare & exprimere: defi-  
 nitur autem utriusq; extremi negatione. uelut quod nec  
 bonum

bonum est, nec malum: quod nec iustum est, nec iniustum.  
 Priuantiæ autem in eodem aliquo reperiuntur: ut in oculo cæcitas & aspectus. Atque ut rem in pauca conferam, in quo natura debet ac solet esse habitus, in eodem utrumque dicitur existere. Priuari uero tum denique dicitur aliquid eorum quæ apta sunt ad percipiendam rem, cum in quo debet inesse, aut quando debet haberi, nequaquam inest. Edentulum enim appellamus quempiam, non quod dentibus careat: & cæcum, non quod careat oculis: sed quod non habeat ea tum, cum natura apta sunt. Sunt enim quedam quæ à primo ortu oculis careant & dentibus, quæ tamen nec cæca nec edentula dicuntur. Priuari autem re, & habere rem, non idem est quod priuatio, & habitus: quoniam habitus est aspectus, priuatio cæcitas: nec habere oculos est ipse aspectus, nec cæcum esse ipsa cæcitas. Nam & priuatio quedam cæcitas est: & cæcum esse, est priuatum esse, non priuatio. Deinde si idem esset cæcitas, quod cæcum esse, profecto de eodem utrumque diceretur: nunc cæcus homo dicitur, cæcitas homo non dicitur. Videnturque inter se opponi, priuari re, & habere rem, more eorum quæ priuantiæ dicimus. Eadem est enim ratio repugnantiae. Ut enim cæcitas aspectui repugnat: sic cæcum esse etiam, & aspectum habere, inter se repugnant. Ne id quidem quod sub affirmationem & negationem cadit, idem quod affirmatio & negatio declarat. Nam & affirmans est oratio, affirmatio: & quod sub affirmationem & negationem cadit, res est, non oratio. Hæc autem inter se opponi ut assertio & negatio dicuntur, quoniam in ijs eadem ratio repugnantiae ualet. Nam ut assertio & negatio inter se contrariæ sunt, ueluti

luti Sed  
 nentur  
 ponunt  
 more e  
 potest  
 ligiur  
 dicitur,  
 ne cæci  
 oculoru  
 dicitur  
 cantur  
 confer  
 iunger  
 aspect  
 more q  
 inter se  
 contra  
 trum n  
 niunt,  
 dium i  
 eo repe  
 habere  
 inter pa  
 mediu  
 inueni  
 ne que  
 hæc re  
 rum, q  
 re. Tam  
 alteru

luti Sedet & Non sedet: sic res quæ utroq; eorum contingen-  
 nentur, ut sedere aliquem & non sedere, contrario opa-  
 ponuntur nomine. Priuantia uerò non opponi inter se,  
 more eorum quæ cum aliquo conferuntur, hinc intelligi  
 potest: quòd uis eorum non ex mutua coniunctione intel-  
 ligitur & pendet. Non enim aspectus, cæcitatibus aspectus  
 dicitur, neq; ullo alio modo ad eam affectus est. Similiter  
 ne cæcitas quidem, aspectus cæcitas appellatur; uerùm  
 oculorum priuatio cæcitas dicitur, oculorum cæcitas nõ  
 dicitur. Præterea quæ cum aliquo conferuntur, recipro-  
 cantur omnia. Itaq; si in ijs cæcitas esset quæ cum aliquo  
 conferuntur, certe illud etiam reciprocaretur, quo cum  
 iungeretur. At ei uicissim non respondet. Neq; enim  
 aspectus, cæcitatibus aspectus nominatur. Atq; etiam ne  
 more quidem eorum contrariorum quæ aduersa dixi,  
 inter se contraria esse priuantia, hinc perspicitur. Nam  
 contrariorum eorum inter quæ non est medium, alteru-  
 trum necesse est semper inesse ijs quibus natura conue-  
 niunt, aut de quibus dicuntur. Inter ea enim nihil me-  
 dium interiectum esse posuimus, quorum alterutrum in  
 eo reperiretur necessario, quod uim ad id accipiendum  
 haberet: ueluti inter morbum & bonam ualeitudinem,  
 inter parem numerum & impari. Inter quæ autem  
 medium est, nunquam necesse est alterutrum in ulla re  
 inueniri. Neque enim necessario album est aut nigrum,  
 neque calidum aut frigidum, id omne quod uim habet  
 hæc recipiendi: quippe cum nihil prohibeat aliquid eor-  
 um, quæ inter hæc ipsa media sunt interiecta, conueni-  
 re. Tam uerò inter ea etiam medium aliquid est, quorum  
 alterutrum in eo non reperitur necessario, quod id reci-

pere

pere potest, nisi quibus natura alterum tributum sit: ut ignis natura calidus est, & nix alba. In his enim necessario alterum reperitur, non alterutrum, utrumuis occurrat. neque enim fieri potest ut ignis frigidus sit, aut nix atra. Ergo non necesse est, alterum eorum in omni re inesse, quæ uim habet ad recipiendum: sed in ea sola, cui alterum innatum est & insitum. atque ei alterum definite conuenit, non alterutrum. At uero priuantium neutrum uerè dicitur, præsertim cum non semper necesse sit in eo quod recipere illa potest, inesse alterum. Cui enim nondum natura conuenit aspectus, is neque cæcus esse, neque despiciere dicitur. Ita nunquam hæc in ijs esse possunt aduersis & contrarijs, inter quæ non est medium. Nec in ijs quidem, quibus medium interiectum est. Necesse est enim in omni re quæ uim habeat ad ea recipienda, inesse alterum: quoniam quod tempus à natura constitutum est ad despiciendum, in eo animans uel cæcus est, uel despicit: atque eorum non præfinitè alterum dicitur, sed alterutrum. At uero eorum contrariorum inter quæ medium est, nunquam alterum in omnibus quæ recipere possunt, sed quibusdam solum: idque præfinitè alterum, non alterutrum, inest necessario. Quare perspicuum est, neutro modo priuantia inter se contraria esse, quo contraria sunt inter se ea quæ aduersa nominauimus. Postremo contrariorum quandiu res subiecta est, fieri potest inter ipsa commutatio, nisi si cui alterum natura sit tributum: ut igni calidum esse. Nam & ualentes in morbum incidere possunt, & alba nigra fieri, & frigere quæ calefcunt: ex bono etiam improbus, & uicissim ex malo probus effici potest. Præuius enim, si ad meliorem

melio-  
beat ad  
femel uel  
Etam sap  
te magna  
nim apito  
rom initio  
rem prog  
tandem  
sapient  
ri muta  
gressus  
rem qu  
qui occu  
xit nec  
tia aut  
nerum  
quod i  
rum. N  
uerum  
confer  
tatio ad  
Itemq; d  
tur, con  
falsum.  
Omni  
rum esse  
sunt, sin  
contrarij  
re. Nam

meliorem usum rationemq; ex mala deducatur, iam ha-  
 beat ad uirtutem progressionis aliquantum. Cum autem  
 semel uel parū in uirtute processerit, profectō aut perfe-  
 ctam sapientiam mutatione morum cōsequetur, aut cer-  
 tē magnam in uirtute faciet progressionem. Semper eo-  
 nim aptiores animos habet ad uirtutem, quamuis pa-  
 rum initio in ea processerit: ut uerisimile sit, eum maio-  
 rem progressum esse facturū. Quōd si sit sempiternum,  
 tandem certē aliquando, nisi tempus impediāt, perfectā  
 sapientiam consequetur. At priuantibus nulla inter se fie-  
 ri mutatio potest. Et si enim ex re in priuationē sit pro-  
 gressus & commutatio, tamē regressus ex priuatione in  
 rem quæ amissa est, fieri nullo modo potest. Neq; enim  
 qui oculis semel captus est, unquam postea iterum despe-  
 xit: nec caluus comam recepit, nec edentulus dentes. Aien-  
 tia autē & negantia non esse inter se contraria, ullo ge-  
 nereum quæ commemorauimus, ex hoc intelligi potest,  
 quōd in his solis necesse est uerum unum esse, falsum alte-  
 rum. Nam nec contrariorum necesse est semper alterum  
 uerum esse, alterum falsum: nec eorum quæ cum aliquo  
 conferuntur, nec priuantium. Vt bona ualetudo & ægro-  
 tatio aduersa sunt, neutrumq; nec uerum est, neq; falsum.  
 Itemq; duplum & simplum, quæ cum aliquo conferun-  
 tur, contraria sunt inter sese, nec alterum uerum est aut  
 falsum. Ne priuantia quidem, ut aspectus & cæcitas.  
 Omninoq; nihil quōd in coniunctione non dicitur, ue-  
 rum esse aut falsum ullo modo potest. At quæ enumerata  
 sunt, simplicia, non coniuncta sunt omnia. In ijs etiā  
 contrarijs quæ coniuncta sunt, id non uidetur contingere  
 re. Nam cum ualere Socratem, & Socratem ægotare,

contraria sint, tamen non est semper, horum alterum ue-  
 rum esse, falsum alterum. Etenim si in uita maneat So-  
 crates, alterum uerum, alterum erit falsum: sin ex uita  
 excesserit, utrumq; falsum. Si enim Socrates nullus sit o-  
 mnino, nec ægrotare eum uerum est, nec ualere. In pri-  
 uantibus si omnino nullus sit, neutrum uerum est: sin in  
 uita sit, non semper alterum uerum, alterum falsum est.  
 Cum enim despiciere Socratem, & cæcum esse Socra-  
 tem, priuantia sint: tamen non necesse est alterum ue-  
 rum esse, uel falsum. Nam quo tempore nondum ei na-  
 tura aptus est aspectus, ambo falsa sunt: quo autem tem-  
 pore in uita non manet Socrates, utrumq; etiam falsum  
 est, & despiciere eum, & cæcum esse. At aientium &  
 negantium, siue Socrates in uita sit, siue nullus sit omni-  
 no, semper alterum falsum, alterum uerum est futurum.  
 Nam ægrotare Socratem, & non ægrotare, si is in uita  
 maneat, perspicuum est alterum uerum esse, alterum fal-  
 sum. Itemq; si discesserit e uita, nam ægrum esse eum,  
 cum nullus sit omnino, falsum est: non ægrum esse, ue-  
 rum. Quare aientium & negantium proprium illud est,  
 eorum alterum uerum esse semper, falsumq; alterum. Bo-  
 no autem malum contrarium est necessario, idq; ex in-  
 ductione rerum singularum intelligi potest: ut bonæ ua-  
 letudini morbus repugnat, iusticiæ iniusticia, fortitudini  
 ignauia, & cætera eiusdem generis. Malo uerò aliàs  
 bonum, aliàs malum contrarium est. Nam parum &  
 nimium, quæ sunt in malis, inter se sunt contraria: simi-  
 literq; mediocritas, quæ utriq; contrario nomine oppo-  
 nitur, in bonis est. Atq; id quidem in paucis perspici li-  
 cet: in compluribus semper bona malis sunt contraria.

Deinde

Deinde  
 non est  
 lentes si  
 albi omni  
 cratem u  
 non possi  
 terum ju  
 Socrate  
 Socrate  
 sunt ei  
 ea qua  
 in corp  
 pore: a  
 Postrem  
 eodem  
 pfa gen  
 eodem  
 iusticia  
 uirtus  
 sunt ul

Prius  
 nus est,  
 quis app  
 quod tem  
 meat con  
 Nam si  
 tem si si  
 commea  
 igitur h

Deinde contrariorum, si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum; quandoquidem si omnes ualentes sint, bona ualētudo erit, morbus non erit. Item q̄; si albi omnes sint, candor erit, atror non item. Iam si Socratem ualere, & Socratem ægrum esse, contraria sunt, non possunt autem simul ambo eidem inesse: certè si alterum sit, stare alterum nullo modo necesse est. Nam si Socratem ualere uerum sit, non erit uerum, ægrotare Socratem. Atque etiam illud perspicuum est, in ijs quæ sunt eiusdem speciei aut generis, existere solere cōtraria ea quæ aduersa diximus, ut bona ualētudo, & morbus in corpore animantium; candor et atror omnino in corpore; iustitia & iniustitia in animo hominis sitæ sunt. Postremò omnia contraria quæ diximus aduersa, uel in eodem genere, uel in contrarijs generibus sita sunt, uel ipsa genera sunt necessariò. Nam & candor ac atror in eodem genere, quia eorum genus color est, sita sunt, & iustitia & iniustitia in generibus contrarijs: illius enim uirtus genus est, huius uitium. & bonum & malum non sunt ullius generis, sed ipsa sunt genera aliquorum.

## De modis prioris,

Prius aliud alio quadrisariam dicitur. Primum genus est, & aptissimum tempore, ex quo aliud alio antiquius appellatur. Antiquius enim quid dicitur ex eo, quod tempore antecedit. Alterum, à quo non retrò com meat consecutio: quo in genere unum duobus prius est. Nam si duo sint, continuo sequitur, unum esse, Vnum autem si sit, non necesse est duo esse. Ita non uicissim retrò com meat, consequens esse si unum sit, ut duo sint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non com meat retrò

uicissim consequentia. Tertio, quodam ordine prius appellatur, id quod in artibus & orationibus uideri licet. Nam in artibus ijs quæ demonstrationes adhibent, aliquid prius ordine & posterius continetur: initia enim & elementa priora sunt ordine ijs quæ describuntur: & in grammatica, elementa priora sunt syllabis. eadem est ratio orationum: Principium enim prius est ordine, narratione. Extra ea etiam quæ enumerata sunt genera, quod melius est, & in maiore precio, id prius nature ordine uidetur. Solent enim plerique eos qui apud ipsos sunt in nomine & gloria, quosq; pluris faciunt, principes & antiquiores sibi dicere: quod genus ferè alienissimum omnium habetur. Atq; hi sunt ferè prioris modi, qui feruntur. Est etiam præterea aliud eius genus. Eorum enim quæ uicissim retrò commeant in argumentatione, quod causa est quomodocunque cur sit alterum, id rectè prius nature ordine dicitur. Esse autem eius generis quadam, hinc intelligi potest, quod esse hominem, & uera de eo oratio, sic reciprocantur, ut si homo sit, uera sit oratio, esse hominem: & si esse hominem uera sit oratio, sit homo. Vera autem oratio minime causa est, cur res sit: resq; potius causa est quodammodo, cur uera sit oratio. Nam quia res sit, aut non sit, idcirco uel uera uel falsa oratio dicitur. Quinq; ergo modis alterum altero prius habetur.

#### De modis Simul.

Simul autem sunt ea omnino & proprie, quorum ortus in eodem tempore est. Neutrum enim horum nec prius nec posterius esse potest. Hæc autem simul in tempore dicuntur. Natura uerò simul sunt ea, quæ reciprocantur

eantur illa quidem in argumentatione, qua si unum sit,  
 alterum esse concluditur, sed neutiquam alterum causa  
 est ortus alteri: quod in duplo & simplio cernere licet,  
 quæ sic reciprocantur, ut si duplum sit, etiam simplum  
 sit; & si simplum sit, sit duplum, & neutrum causam al  
 teri ortus afferat. Atq; etiam ea quæ ex eodem genere  
 quæ ex altera parte diuidendo respondent, simul natu  
 ra esse dicuntur. Ea autem ex altera parte cum diuidun  
 tur inter se respondent, quæ ex eadem sunt diuisione: ut  
 pennigerum, terrenum & aquatile, in quæ animal di  
 uiditur. Atque horum neutrum altero prius est, sed si  
 mul natura sunt. Quæ eadem in species secari possunt  
 ut dicamus pennigerum aliud gradens, aliud aquatile  
 le. Sunt igitur illa etiam simul natura, quæ cum sint ex  
 eodem genere, eadem diuisione continentur. Gene  
 ra autem formis antiquiora sunt semper. Neque enim  
 uicissim retrò commeant, cum esse unum si sit, alterum  
 conficitur; ut si sit aquatile, sit animans; at si sit ani  
 mans, non sit necessariò aquatile. Sunt igitur simul na  
 tura, & quæ reciprocantur, cum neutrum causa sit or  
 tus & status alteri; & quæ inter se ex eodem genere di  
 uiduntur. Sed ea omnino simul sunt, quorum ortus eo  
 dem est tempore.

## De Motus generibus,

Motus autem sex sunt genera, ut ortus, ut interitus, ut  
 accessio, decessio, commutatio, & loci commutatio. Ac  
 ceteris quidem motiones inter se differre, hinc perspi  
 ci potest, quòd ortus non est interitus, nec incrementum  
 imminutio, nec loci commutatio. Eadem est ratio cate  
 garum. In commutatione autem hoc dubium est, sit ne  
 e 4 necesse,

necesse, id quod commutatur, ex aliqua superiori motio-  
 ne mutari. Quod non ita est. Accidere enim potest, ut om-  
 nibus perturbationibus, aut certe permultis agitemur,  
 cum interim nulla cæterarum motionum in huius ueniat  
 societatem. Neq; enim aut crescere, aut imminui necesse  
 est, id quod ex perturbatione mutatur. Similis est ratio  
 cæterarum. Ita necesse est diuersam esse à cæteris mo-  
 tionibus commutationem. Etenim si eadem esset, profea-  
 Etò quod commutatur omne uel augeri oporteret, uel di-  
 minui, uel aliquem alium motum consequi. At non est  
 necesse. Similiterq; id quod crescit, aut alio motu agitas-  
 tum est, commutaretur necessario. Atqui sunt quædam,  
 quæ cum crescant, eadem tamen nulla consequitur com-  
 mutatio, uelut quadratum circumiecto gnomone, crescit  
 illud quidem, sed tamen nihil commutatur. Quod idem  
 in cæteris fit eiusdem generis. Quare differunt inter se  
 motiones. Motui autem omnino quies contraria est, sin-  
 gulisq; singulæ. Nam & ortui contrarius est interitus,  
 & accessioni abscessio, & loci commutationi in loco  
 quies. Sed in loci mutatione maxima repugnantia dici-  
 tur: ut loci infimi mutationi, summi commutatio: &  
 summi mutationi, infimi loci mutatio maxime aduersa-  
 tur. At uerò reliquæ motionis, non est facile explicare,  
 quòdnam sit contrarium. Nec contrarium illius ullum  
 est, nisi quis etiam in hac quietem quæ ad qualitatem per-  
 tineat, mutationi in contrariam qualitatem contrario  
 nomine opponat: sicut in loci mutatione, quietem in lo-  
 co, aut in contrarium locum mutationem. Est enim com-  
 mutatio nihil aliud, nisi in qualitatem mutatio. Ita con-  
 traria est qualitatis mutationi, quies quæ in qualitate  
 spectatur,

spectatur, uel certè in contrariam qualitatem mutatio. ut album fieri, & nigrum fieri, contraria sunt: quippe cum commutatio sequatur, quoties in contrariis qualitates fit mutatio.

Habendi etiam genera sunt plurima. Aut enim habere ut habitum & affectionem dicitur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim & uirtutes habere dicimur. Vel ut quantitatem. ut qui certa est magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuorue cubitorum. Vel ut ea quæ corpus uestiunt: ut uestem aut tunicam habere dicitur quispiam. Vel in parte, ut in digito annulum. Vel tanquam partem, ut manum uel pedem. Et tanquam in uase: ut modius habet & continet triticum, uel uinum amphora. nam et amphora uinum, & modius triticum continet. Hæc enim omnia, quia ut uas quoddam illa continent, illa ipsa habere dicuntur. Habere etiam aliquid ut possessionem dicimus, ueluti domum & agrum. Atq; etiam uir mulierem habere, & uirum mulier dicitur. Quæ significatio uerbi habendi una ex omnibus alienissima est: neq; enim aliud habere mulierem iudicamus, nisi unâ in domo habitare. Sunt alij quoq; fortasse habendi modi: nos quidem omnes ferè exposuimus, qui crebris usurpantur sermonibus.

F I N I S.

e 5 ARI-

ARISTOTELIS DE INTER-  
 prætatione Liber, Ioachimo Perionio interpre-  
 te: per Nic. Grouchium correctus  
 & emendatus.

**P**rimum constituendum est, quid sit no-  
 men, quid uerbum, tum quid negatio  
 & affirmatio, postremo quid enun-  
 ciatio & oratio. Metis quidem inter-  
 pres est oratio, scripta orationis. Atq;  
 ut non iisdem literis, sic nec uocibus  
 quidem omnes iisdem utuntur. At uero & sensa animi,  
 quorum primum uerba nota sunt, & res quarum sensus  
 animi speciem gerunt: idem apud omnes ualent. Sed de his,  
 in libris de Animo diximus. non enim ad institutum ser-  
 monem pertinent. Ut autem in animo interdum ueri &  
 falsi noticia expers est, interdum necesse est alterutrum  
 interesse: sic in oratione, uerum enim et falsum coniunctio-  
 ne & disiunctione rerum omne consistit. Quocirca perce-  
 ptioni animi, ei quæ à uero & falso abest, nomina &  
 uerba respondent: ut homo, ut id quod album est, cum ni-  
 hil additur præterea. neque enim uerum quicquam, falsum uero  
 enunciatur. Id quod hinc intelligi potest, quod Tragela-  
 phi uerbum aliquid illud quidem significat, sed nondum  
 quicquam uerè aut falso dicitur, nisi aut esse aut non esse  
 omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur.

De Nomine. Cap. I.

Nomen igitur, uox est ex instituto significans, omnis  
 expers temporis, cuius pars nulla quicquam declarat se-  
 paratim. Nam in reipublica uerbo, publica nihil per se  
 significat.

significat: ut in hac oratione, Res publica. Sed non est simplicium iunctorumq; nominum eadem ratio, propterea quod in illis pars nullo modo significat: in his pars videtur illa quidem posse significare, sed tamen separatim in hoc toto sumpta nihil declarat omnino: uelut in hoc uerbo Pronomen, nomen nihil per se significat. Ex instituto autem dixi, quod nullum nomen natura constat, sed cum quasi nota quaedam ad aliquid significandum erit impositum. Nam soni ij qui nullis literis exprimuntur, quales sunt beluarum, aliquid illi quidem significant, attamen nullis eorum ad nomen pertinet. Non homo etiam nominis uim non obtinet, nec ei nomen ullum impositum est, quo appelletur: quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sanè nomen infinitum, quod æque in quauis re dicatur, tam quæ est, quam quæ nulla est. Hæc uerò, Ciceronis, & Ciceroni, & cætera eiusdem generis, non nomina, sed casus nominis uocentur. Huius hæc ratio est, quod cum alia omnia eis sint cum nomine communia, iuncta tamè uerbo est, aut erit, nec uerū, nec falsum significant: quod in nomine fit semper. uelut his orationibus, Philonis est, uel non est, nondum quicquam uerè, falsòue dicitur.

## De Verbo. Cap. II.

Verbum autem id est, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperq; ea declarat & indicat quæ de altero dicuntur. Tempus autem dico adsignificare: ut ualetudo nomen est, curari uerbum, quod instans & præsens significat, & semper ea quæ de altero dicuntur indicat: qualia ea sunt quæ de subiecto dicuntur, uel in subiecto insunt.

Non curatur autem, & non incidit, non appello uerba, quanquam significatione sua tempus includunt, & in re aliqua semper coherent. Et quoniam nomen eis nullum impositum est, uerba infinita appellari licet. quando quidem tam in eo quod est, quam in eo quod non est, æque dicuntur. Itemque curabitur, & curatus est, non sunt habenda uerba, sed casus uerbi. Hoc autem à uerbo differunt, quod præsens tempus, uerbum significat: illa id omne, in quo interiectum præsens est. Ac uerba si sola dicantur, nomina sunt, significantque aliquid. nam et qui ea enunciat, intelligentiam imprimit in animo: & qui audit, quiescit: sit autem, nec ne sit res, nondum exponit. Neque enim illud, esse, aut non esse, rem declarat: nec si ipsum ens per se solum dicatur nudum, est. id enim nihil est, significat aut coniunctionem quandam, quæ intelligi sine his quæ copulantur, non potest.

## De Oratione. Cap. III.

Oratio est uox quæ significat, cuius pars aliqua seium et separataque, ut nomen, non ut affirmatio aut negatio, significat. uelut homo aliquid significat, non rem esse, aut non esse; cui tamen si quid adiunctum sit, uel affirmatio erit, uel negatio: non significat autem uocabuli hominis una syllaba. Neque enim in hoc uerbo forex, illud rex quicquam declarat, sed uox est solum. In iunctis autem significat illud quidem, ut dixi, sed non per se. Quanquam autem ex instituto, quemadmodum dixi, non ut instrumentum, omnis significat oratio: non tamen omnis enunciat ac dicit, sed ea sola quæ uel uerum uel falsum complectitur. Neque enim omnes id complectuntur. uelut precatio, oratio est illa quidem, sed nec uera, nec falsa. Ac ceteræ quidem

DE INTERPRETATIONE. 77

quidem quoniam artis rhetoricæ uel poëticæ proprie sunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent: quæ autem quid de quodam dicit, ea sola retinenda est. Est autem primū enunciationis unius genus Affirmatio, deinde Negatio. cæteræ una coniunctione fiūt. Sed omnis ex uerbo, aut casu uerbi, constet enunciatio necesse est. Etenim hominis definitio, nisi est, uel erat, uel erit, uel aliquid tale adiungatur, nondum quicquam enunciat: propterea quòd totum hoc Animal gradens bipes, unum quiddam est, non multa: neq; enim unam efficiunt orationem, propterea quòd continentur, ac sine ulla interſpiratione pronunciantur hæc uerba. Verūm id non est institutæ diſputationis. Vna autem enunciatio est, quæ aut unum aliquid declarat, aut quæ una sit per coniunctionē. Multæ uerò, quæ uel multa, & non unum aliquid significāt, uel carent coniunctionibus. Ac nomen quidem & uerbum uocabula sunt tantummodo, quando quidem uerè id dici non potest, eum qui sic aliquid uoce exprimat, enunciare aliquid, siue rogetur, siue non rogetur: sed si quādo quicquam uno uerbo enunciat, id eo tantū fit, quòd ita uelut qui ita loquitur. Harum autem nūciationum simplex alia est, ut quæ aliquid de quodam dicit, uel aliquid cuiusdam inesse negat. alia autē quæ ex his constat, iam quasi coniuncta oratio est. Sed simplex pronunciatum, est oratio quæ aliquid de quodā dicit, uel negat, pro ratione temporum. Affirmatio est enunciatio, quæ aliquid de quodam dicit. Negatio est enunciatio, qua aliquid inesse cuiusdam negamus. Quando autem quod in aliquo inest, negari potest inesse: & quod abest alicui, dici potest adesse: & quod adest, adesse cōfirmari potest: & quod abest,

abest, abesse: itemq; in cæteris temporibus, quicquid aliquis alteri tribuerit, id omne detrabere potest: & quod detraxerit, attribuere: profecto omni affirmationi negatio, omniq; negationi contraria sit affirmatio necesse est. Sic autem contradictio, affirmatio negatioq; contraria. Opponi autem contradictorio nomine dico, eam quæ eiusdem rei est, & de eadem re dicit, de qua altera, non *ὁμοῦ ἢ ἑκείνου*, cæterisq; omnibus adiunctis, quæ contra Sophistarum molestis rationes adferre solemus.

De subiectis & prædicatis enunciationum. Cap. IIII.

Quoniam autem res partim uniuersæ sunt, partim singulæ (uniuersas autem appello eas, quæ suapte natura dicuntur, in multis: singulas, quæ non dicuntur ut homo, in rebus uniuersis est: in singulis, Callias) necesse est effari inesse aliquid, aut non inesse rerum uniuersarum cuiquam, aut singularum. Ac si quis aliquid uniuersæ inesse, aut non inesse in quadam re uniuersa confirmet, contrariæ erunt enunciationes. dico autem in re uniuersa uniuersæ dici, uelut in his, Omnis homo albus est, Nullus homo albus est. Sin autem de re uniuersa, non uniuersæ quid enuncietur, non sunt enunciationes contrariæ: attamen fieri potest, ut quæ declarantur ac significantur, contraria sint. Appello autem non uniuersæ aliquid de re uniuersa eloqui, quales hæc sunt enunciationes, Homo est albus, Homo non est albus. Nam cum homo in rebus sit uniuersis, sine uniuersi generis nota accipitur enunciando. uerbum enim Omnis, non est res quædam uniuersa, sed uniuersa generis tantum nota. In attributo autem uniuersali, si notam uniuersi generis addas, nunquam uerè affirmabis,

## DE INTERPRETATIONE. 79

mabis. neq; enim uera esse ulla potest assertio, in qua cū  
 uniuersale sit attributum, uniuersē enunciat. Ex quo  
 genere illa est enunciatio, Omnis homo, omne animal  
 est. Assertio igitur negationi contradictorio nomine  
 opponitur, quæ rem uniuersam in eodem inesse dicit, sed  
 non omnino. ut, Omnis est homo albus: & Non omnis  
 homo est albus. Nullus homo albus est, Aliquis homo est  
 albus. Contrario uerò nomine opponitur rei uniuersæ  
 assertio, rei uniuersæ negationi: quales hæc sunt, Om-  
 nis homo iustus est, nullus homo iustus est. Quocirca  
 esse hæc simul ueræ nullo modo possunt. At his contra-  
 riarum simul in eodem dici uerè possunt: ut, Non omnis ho-  
 mo albus est, & aliquis homo albus est. Quapropter  
 quæ ex rebus uniuersis contradictoria constant, idq; cū  
 uniuersi generis nota, earum necesse est alteram ueram  
 esse, uel falsam. Itemq; earum quæ ex singulis constant:  
 quales hæc sunt, Albus est Socrates, non est albus Socra-  
 tes. Quæ autem ex uniuersis rebus nulla adiecta generis  
 uniuersi nota constant, earum non semper una uera est, fal-  
 sa altera. Nam hæc simul ueræ dicuntur, Est homo albus,  
 Non est homo albus. Et hæc, Est homo pulcher, Non est  
 homo pulcher. Nā & si quis turpis sit, non est formosus:  
 & tunc cum sit aliquid, id nondū est. Sed hoc statim alie-  
 nū uideri potest: propterea quod hæc enunciatio, Nō est  
 homo albus, idem etiam quod illa simul, Nemo est albus,  
 ualere uideatur. Sed nec idem ualeat, nec simul etiam illā  
 declarat necessariō. Vni autem negationi unam affir-  
 mationem contradictorio nomine opponi, hinc intelligi  
 potest, quod idem negari negatione oporteat, quod af-  
 firmatione confirmatum sit, & de eodem, uel eorum  
 aliquo

aliquo quæ sunt in rebus singulis, uel eorum quæ sunt in uniuersis: idq; uel adiecta uniuersi generis nota, uel nulla apposita: ut, Socrates albus est, Socrates albus non est. Sin autem aliquid aliud eidem inesse negatur, aut alij cuipiam, non opponetur hæc illi contrario nomine, sed altera. Huic enim enunciationi, Omnis homo est albus, hæc repugnat, Non omnis homo est albus: & huic, Aliquis homo est albus, hæc, Nullus homo albus est. Item huic, Est homo albus, illa, Non est homo albus. Ac unam quidem affirmationem uni negationi contradictorio nomine opponi, qualesq; essent, dixi. Hoc etiam docui, alias esse contrarias, & quales essent: contradictionemq; non omnem ueram esse, aut falsam: quaq; de causa, & quando uera esset, aut falsa. Est autem una affirmatio & negatio, quæ unum aliquid de uno dicit, aut de toto genere, aut citra ullam notam: ut, Omnis homo albus est, Non omnis homo albus est: Est homo albus, Non est homo albus: Nemo albus est, Aliquis homo albus est, si modò albi uerbum unum significet. Nam si duobus nomen unum impositum sit, ex quibus constare non possit unum: non ea una & simplex affirmatio aut negatio est. Vt si quis equo & homini nomen uestis imponat, itaq; enunciet, Vestis alba est, hæc neq; affirmatio simplex sit, neq; negatio. Hæc enim idem ualet ac si dicas, Homo est, & equus, albus: nihil autem hoc aliud est, quàm si diceres, Est homo albus, & est equus albus. Quod si hæc plures sunt, multaq; declarant, certè prima uel multa declarat, uel nihil: quando quidem nemo equus est. Quare ne in his quidem una uera est, altera falsa necessario.

In instantibus igitur ac præteritis affirmatio aut negatio uera sit uel falsa necesse est: in ijsq; ut dixi, quæ cum rebus uniuersis uniuersi generis notam habent, semper altera uera est, altera falsa necessariò. Itemq; in ijs quæ sunt ex rebus singulis. In ijs autem quæ sunt ex rebus uniuersis, non tamen de toto genere dicunt, non necesse est, de quibus etiam diximus. At uerò in enunciationibus quæ de rebus singulis & futuris dicunt, non ita est. Si enim omnis aut uera aut falsa enuntiatio est, certè omnia sint, aut non sint, necesse est. Nam si hic aliquid fore dicat, ille idem neget fore, profectò necesse est uerè alterutrum dicere, si modò omnis enuntiatio uera est, aut falsa: quando quidem in eodem simul utrunq; non intelligitur. Etenim si uerè dicitur, esse album aliquid, aut non esse album, necesse est id esse album, aut non esse album. Et si est album, aut non est album, uerè id dictum fuit, uel negatum. Et si non inest, id falsum est: quòd si falsum, nec inest. Ita necesse est ex omni æternitate, uel affirmationem uel negationem uerã fuisse uel falsam. Nihil igitur euenit, neque fit fortè, temerè, casu: nihil in alterutram partem aut cadet, aut non cadet: sed ex necessitate omnia fiunt, quæcunq; fiunt, nilq; est quod utranq; in partem habet æquabile euentum. Nam aut is uerè dixit, qui rem confirmauit fore, aut is qui negauit: si autem æquabile esse utranq; in partem, par ratio esset, ut aut fieret, aut non fieret. Quod enim utramque in partem cadit, non hoc modo potius, quam illo euenit, aut futurum est. Præterea si quid album sit

hoc tempore, fuit uerum, album in futurum esse. Ita ex  
 æternitate fuit uerum, quicquid fit, id aut esse iam, aut  
 futurum esse. Quòd si ex æternitate fuit uerum aliquid  
 esse iam, aut futurum esse, certè id non potest non fieri,  
 aut fore. Quod autem non potest non fieri, fieri non po-  
 test ut non sit: quod autem ut non sit fieri non potest, id  
 necesse est fieri. Quicquid igitur futurum est, id fieri ne-  
 cesse est. Ita nihil in alterutram partem cadit, neq; for-  
 tuito. Si enim fortuito, non ex necessitate. Sed ne illud  
 quidem uerè dici potest, neutram partem esse ueram:  
 hoc est, neque futurum quicquam, neque non futurum  
 esse. Primum enim id eueniet: si falsa sit affirmatio, ue-  
 ram non esse negationem: & si hæc falsa sit, non esse  
 ueram affirmationem. Deinde si uerum est, album ali-  
 quid simul & magnum esse, duo illa sint necesse est. Et  
 si cras futurum utrumq; uerum sit, cras erit. Si autem  
 nec futurum est, nec minus futurum cras, exempli causa,  
 bellum nauale, id certè non erit ex eorum numero, quæ  
 pariter utranq; in partem cadere possunt. quoniam nec  
 fieri nauale bellum necesse est, nec minus fieri. Atq; hæc  
 sunt incommoda, & alia eiusdem generis, quæ suscipere  
 cogimur, si necesse sit ex omni affirmatione & nega-  
 tione, quæ contradictorio nomine opponatur, siue in ijs  
 quæ rebus uniuersis constant, siue quæ ex singulis, alte-  
 ram ueram esse, alteram falsam, nihil scilicet in alteru-  
 tram partem casurum esse in ijs quæ sunt, sed omnia esse  
 se, aut futura esse, ex necessitate. Qua ratione omnis è uio-  
 ta tollitur & deliberatio, & actio. quoniam si hoc fa-  
 ciamus, illud euenit: & si hoc minimè faciamus, nõ eue-  
 niet. Nihil enim prohibet, ad decem millia annorū huius  
 confirmare,

DI  
 confirma  
 cebitate  
 bat ue  
 aliqui con  
 cum per  
 etiam si ni  
 neq; enim  
 quid, idci  
 cem millia  
 mni ætern  
 esset, nec  
 ex ætern  
 dixerit  
 ctum est  
 si hæc su  
 rerum su  
 ctione:  
 certum  
 quorum  
 sit, & ut  
 taq; adeo  
 si hæc fra  
 atteritur.  
 Non enim p  
 deretur. Sin  
 nis reperi  
 necessitate  
 cadere poss  
 potius quam  
 magis & pl

confirmare, hoc uel illud fore, alterum negare, ut ex necessitate eueniat, quod in alterutram partem tum ei licebat uere dicere. neq; uero interest utrum pronunciarint aliqui contradictionem, necne pronunciarint: quippe cum perspicuum sit, hoc uel illo modo res euenire solere, etiamsi nihil nec hic confirmet, nec ille neget futurum. neq; enim quia confirmatum est, aut negatum fore aliquid, idcirco id futurum est, aut non futurum, uel ad decem millia annorum, uel quouis tempore. Quare si ex omni aeternitate ea uis & natura rerum fuit, ut una uera esset, necesse fuit eam fieri. Ita omnium rerum ea uis fuit ex aeternitate, ut ex necessitate fierent. si quis enim uere dixerit fore aliquid, id non potest non fieri. Et quod factum est, id ex aeternitate fuit uerum, futurum esse. Atqui si haec sint, multa sequuntur incommoda. Videmus enim rerum futurarum initium & consilio indagari, & actione: omninoq; in ijs quae non semper agunt aliquid, cernimus illa duo, aequè agere ea posse, & non posse: in quorum quidem potestate utrumq; situm sit, & ut res sit, & ut ne sit. quare etiam ut fiat, & ut non fiat. Multaq; adeo nobis nota sunt, quorum uis est talis. uelut uentis haec frangi potest, et discindi, nec frāgetur, sed prius atteretur. Similiterq; fieri potest ut non discindatur. Non enim prius atteri posset, nisi fieri posset, ut ne discinderetur. Similis est ratio eorum omnium in quibus eadem uis reperitur, ex quo perspicuum est, nec esse, nec fieri ex necessitate quaecunq; fiant, sed alia in utramque partem cadere posse: nec affirmationem in ijs ueram aut falsam potius quam negationem esse. alia esse in quibus alterum magis & plerunq; fiat, ita tamen ut alterum euenire

possit, alterum minime. Ac quicquid est in rerum natura, id sit quandiu stat: & quod non est quandiu non stat, id non sit, necesse est. Attamen nec quod est, id omnino esse necesse est: nec quod non est, non esse. Neque enim ex necessitate esse quicquid est quia sit, idem ualet quod omnino esse ex necessitate. Quod idem dicendum est in ijs quæ non sunt. Eadem est etiam ratio contradictionis, in qua omne necesse est uel esse uel non esse, fore uel non fore. Quanquam non est necesse eum qui separatim accipiat uerè alterum dicere, ut necesse est nauale bellum cras geri uel non geri, non tamen geri cras bellum nauale necesse est, aut non geri, etiam si illud, geri aut non geri sit necesse. Quoniam igitur eadem ratio est ueritatis orationum & rerum, certè necesse est ea omnia, quorum ea uis & natura est, ut utranq; in partem inclinent, contrariaq; recipiant, eadem ratione etiam contradictione contineri. Quod in ijs etiam rebus fit, quæ non semper sunt, quæq; non semper non sunt. Ex his enim necesse est alteram contradictionis partem ueram esse, alteram falsam: non quidem hanc uel illam, sed alterutram. Et quanquam ad ueritatem altera propius accedit, tamen non iam uera est, uel falsa. Ex quo efficitur, non necesse esse in enunciationibus contradictorijs alteram ueram esse, alteram falsam. Non enim eadem ratio est eorum quæ sunt in rerum natura, & eorum quæ non sunt, esse autem uel non esse possunt: sed sicut diximus, ita res habet.

De enunciationibus infinitis.

Cap. VI.

Quoniam autem affirmatio omnis quiddam de quo-

dam

dam dicit, idq; uel nomen est, uel uacat nomine: quod autem in affirmatione continetur, id & unum esse, & de una re dici debet; quod autem de nomine, & de eo quod uacat nomine modo dixi, ad id referendum est, quoniam non homo, non nomen, sed infinitum nomen appello. nam unum quiddam significat quodammodo nomen infinitum; quemadmodum non ualet non uerbum dico, sed infinitum; profecto omne effatum aut ex nomine & uerbo, aut ex infinito nomine uerboq; constet necesse est. Esse autem effatum sine uerbo nullum potest. Nam uerba illa, Est, fuit, erit, fit, & cetera eiusdem generis, quoniam tempus ad significant, in ijs sunt quae uerba esse supra posuimus. Prima igitur erit affirmatio & negatio, Homo est, Homo non est. Deinde haec, Non homo est, Non homo non est. Tum haec, Omnis homo est, Non omnis homo est. Postremo haec, Omnis non homo est, non omnis non homo est. Eadem est ratio temporum, quae praesens utraq; ex parte claudunt.

Cum uero uerbum est, in oratione tertium dicitur, tum duo contrario nomine oppositarum prononciationum genera nascuntur: quod autem dixi, hoc exemplo intelligi potest, Homo iustus est: hic enim tertium, siue nomen, siue uerbum est, uerbum Est. Ob eamq; causam haec quatuor erunt, quorum duo affecta erunt eodem modo ad affirmationem & negationem, quo priuationes: alia duo non erunt. Quatuor autem fieri dixi, quoniam est, uel nomini iusti coniungi potest, uel non iusti. Quod idem fit in negatione. Sunt igitur quatuor. Sed quod dixi, ex hac descriptione intelligi licet.

A. Homo iustus est.	} <i>Huius</i> <i>negatio</i>	C. Homo non est iustus.
C. Non iustus non est homo.		A. Non iustus est homo.

In his enim *Est*, & non est, nominibus iusti, & non iusti adiunguntur. Atq; hæc quidem eo ordine disposita sunt, quem in Analyticis ostendimus. Nec diuersa erit ratio, si nominis fiat affirmatio, adiecta generis uniuersæ nota.

A. Omnis homo iustus est.	} <i>Cuius</i> <i>negatio est</i>	C. Non omnis homo iustus est.
C. Non omnis homo non iustus est.		A. Omnis homo est non iustus.

Nisi quòd non possunt æque ueræ simul esse enunciationes eæ, quæ rectis lineis ex diametro inter se respondent. Sed tamen ueræ sunt interdum eodem tempore. Atque hæc quidem duæ contradictiones sunt. Aliæ autem duæ, cum hoc, Non homo, subiectum est, eiq; aliquid attribuitur.

Non homo iustus est.	Non homo non est iustus.
Non homo est non iustus.	Non homo non est nõ iustus.

His autem plures esse contradicētes nullo modo possunt: hæc; ab illis hoc ipso diuersæ erunt, quòd illud Non homo, tanquam nomen, sibi adiungant. Atq; in ijs etiam omnibus, in quibus *Est* uerbum non accipitur, ut in illis uerbis ualere, & ambulare, id idem efficit, si ita ponatur, ac si, est, coniungeretur. uelut, Omnis homo ualet,

Non

Non omnis homo ualet. Et, Omnis non homo ualet,  
 Non ualet omnis non homo. Non enim non omnis ho-  
 mo, dicendum est, sed negatio ad hominis uerbum addi  
 debet, quoniam Omnis non res uniuersa est, sed in toto  
 genere rem accipi declarat. Quod ex his enunciatis o-  
 mnibus perspici potest, Valet homo, Non ualet homo:  
 Valet non homo, Non ualet non homo. Inter has enim  
 & illis hoc interest, quod in his nihil prorsus uniuerse  
 & in totum dicitur: in illis dicitur. Ergo significat O-  
 mnis & Nullus aliud nihil nisi nomen uniuerse, & in  
 toto genere accipi in affirmatione aut negatione. Ita  
 caetera eadem omnia conuenit adhiberi. Quando au-  
 tem huic enunciationi, Omnis animans iustus est, illa  
 contraria est quae dicit, nullum esse iustum animantem,  
 perspicuum est eas nunquam simul in eodem ueras fu-  
 turis esse: quae autem his repugnant, possunt interdum:  
 uelut, Non omnis animans iustus est: & Est aliquis ani-  
 mans iustus. mutuo autem se hae enunciationes conse-  
 quuntur: hae quidem, Nemo est iustus, huic, Omnis ho-  
 mo est non iustus: & hae, Est aliquis homo iustus, huic,  
 Non omnis homo est non iustus. quandoquidem sit ali-  
 quis iustus necesse est, si hoc sit. Illud etiam perspicuum  
 est, si uere licet negare in singulis enunciationibus ei  
 qui rogatus sit, uere etiam eundem posse affirmare: ut,  
 Est ne sapiens Socrates? Non: est igitur non sapiens  
 Socrates. In uniuersis autem non est uera huic similis  
 affirmatio, sed tantum negatio: ut, Non omnis homo  
 sapiens est? Non: Omnis igitur homo non sapiens est.  
 Hoc enim falsum est. at illud uerum: Non omnis igitur  
 homo est sapiens. Atque hae quidem illi repugnans &

contradicens est, illa contraria. Quæ uerò ex nominis  
 bus & uerbis infinitis inter se repugnantes & contra-  
 dicentes sunt, qualia sunt hæc, non homo, & non iustus,  
 eæ sine nomine & uerbo negationes uideri possunt, sed  
 tamen non ita est. Nam cum necesse sit semper uerum  
 aliquid uel falsum negationem declarare, qui hoc to-  
 tum, Non homo dixerit, nihilo magis atq; adeò minus,  
 quàm qui solum hominis uerbum pronunciauerit, uerè  
 aliquid aut falso dixerit, nisi quid adiungat. Nec uerò  
 pronunciatum hoc, Est omnis non homo iustus, idem  
 quod superiorum ullum declarat: nec illud quod huic  
 repugnans est & contradicens, Non est omnis non ho-  
 mo iustus. Atque hæc, Omnis non homo est non iustus,  
 par illi est, Nullus est iustus non homo. At uerò nomina  
 & uerba si transponantur, aut traiciantur, idem sem-  
 per significant, uelut, Est albus homo, Est homo albus.  
 Si enim secus sit, certè eidem affirmationi multæ sunt fu-  
 turæ oppositæ negationes. At unam uni esse oportere  
 demonstrauimus. huius enim, Est albus homo, negatio  
 est, Non est albus homo. Huius autem, Est homo albus,  
 si idem quod illa, Est albus homo, non declarat, nega-  
 tio erit uel hæc, Non est non homo albus, uel illa, Non  
 est homo albus. Atqui hæc, Non est non homo albus,  
 huius est negatio, Est non homo albus. Altera autem  
 huius, Est albus homo. Duæ igitur sint unius necesse  
 est. Ex quo intelligitur, si nomen & uerbum transpo-  
 nantur, traicianturq; in oratione, eandem omnino af-  
 firmationem & negationem futuram. Dicendo autem  
 aut negando unum aliquid de multis, aut multa de uno,  
 nunquam una & simplex affirmatio & negatio fit,  
 nisi

nisi unum quippiam ex multis illis declaretur. Vnum autem appello, non si nomen unum sic illi impositum, nec ex his unum aliquid efficiatur: uelut homo certe & animal est, & bipes, & cicur, sed unum quiddam ex his constat: ex homine autem, & albo, et ambulatione, non unum efficitur. Quare si quis unum quippiam de ijs enunciet, non una pronūciatio sit, sed multæ, etiam si uox una esse uideatur. Itemq; multæ sunt, si de uno quodam hæc dicantur omnia. Quocirca si dialectica interrogatio responsionis petitio est, ut uel ipsa propositio accipiat, uel pars altera repugnantia & contradictionis: propositio autem unius est pars repugnantia & contradictionis, profectò nunquam ad hæc unum resposum adhiberi potest: quandoquidem ne si uera sit quidem, una interrogatio est. Sed de his, in Topicis diximus. Ex quo id etiam perspicuum est, Quid est, non esse dialecticam interrogationem. Nam & optio danda est, ut ex interrogatione utram uelit partem contradictionis & repugnantia, alter eligat: & qui interrogat antè, constituere definitionem debet: ac tum quærere, sit, necne sit, hoc, homo. Sed quoniam alia coniuncta & copulata sic dicuntur, ut unum fiat attributum ex his quæ separatim dicuntur, alia non: quæ hoc loco distinctio & dissimilitudo est, quærat aliquis. Nam & animal de homine separatim uerè dicitur, & bipes separatim: atq; ea coniuncta unum faciunt attributum. Item homo & albus, quæ eadem unum sunt. At uerò non si quis sutor sit, & bonus, continuò sutor bonus esse dicatur. Si enim, quia utrunq; separatim uerum sit, etiam coniuncta ambo uera semper esse debere credat quispiam, permulta incom-

moda suscipere cogetur. Nam hominis albiq; nomen de homine uerè dicitur, ergo etiam totum: rursus autem albi nomen separatim dici potest, quare etiam cõiunctim. Ita erit homo albus albus, atq; ad exitum nunquam perueniet oratio. Itemq; erit musicus albus ambulans: eademq; sepe connexa & repetita, nihil in quo consistant habebunt. Præterea si Socrates Socrates sit, & homo, etiam Socrates Socrates homo sit necesse est. Et si homo ac bipes, sequitur ut sit etiam homo homo bipes. Illud igitur perspicuum est, absurda multa consecutura necessariò, si quis coniunctiones omnino contendat fieri oportere. Nunc quemadmodum hæc constituenda sint omnia, uideamus. Eorum igitur quæ dicuntur, & eorum de quibus alia dicuntur, quæcumq; per accidens ita dicuntur, ut aut de eodem aliquo subiecto dicantur, utraque aut alterum de altero, ea omnia non unum efficiunt, ueluti in hoc, Homo est albus & musicus, nec unum ex albo fit & musico: si quidem utrunque accidens est. nec si quis albus idem & musicus sit, ideo ex albo musico fit unum. Fortè enim temerè aliquis musicus & albus dicitur. Ita non unum quiddam ex musico & albo efficitur. Quocirca ne sutor quidem bonus omnino dicendus est, sed tantummodo animal bipes. hæc enim non per accidens, sed per se unum efficiunt. Atq; etiam unum quiddam non constat ex ijs omnibus, quæ in altero posita rursus repetuntur. Itaq; nec id quod album est, album est: nec homo, homo animal uel bipes: quòd in homine & bipes & animal continentur. Verè autem de eo quòd cum signo particulari accipitur, idem ipsum nomen cetera ullum signum sumptum dicitur. ut, dicitur aliquis homo

homo esse homo : aut quidam homo albus, albus homo esse. nec id uerum est semper. Tumq; id falsum est denique, cum id quod adiunctum est, aliquid repugnans continet, ex quo etiam repugnantia consequatur. Vt si mortuus homo, homo esse dicatur. At si nihil tale copulatum reperiat, totum uere dicitur. An si adsit tale aliquid, semper id uerum non est? si non adsit, ne tum quidem semper uere dicitur? Velut Homerus aliquid est, ut poeta. Est ne ille tamen, an potius non est? Nam casu & fortuito de Homero illud, Est, in hac enunciatione, Poeta est Homerus, dicitur, non sua ui atq; natura. Quam ob rem in quibus dicendi rationibus repugnantia est nulla, si pro nominibus definitiones adhibeantur, in quibusq; non casu & fortuito, sed per se suaq; ui uerba enunciantur, in ijs omnibus quod tale est aliquid, uere dicitur esse omnino, & citra ullam adiectionem tale. Nam quæ nulla sunt, quia opinabilia sunt, non uere aliquid esse dicuntur: quippe cum ea non opinemur esse omnino, sed non esse in rerum natura.

De enunciationibus Modorum.

Cap. VII.

His autem expositis, nunc quemadmodum inter se affecta sint enunciationes, quæ de eo dicunt quod possit fieri, aut non possit, deq; eo quod euenit, aut non euenit, de eo deniq; quod impossibile, quodq; necessarium est, differamus. Quam enim uim habeant, magna quaestio est. Si enim ex ijs quæ inter se comparantur, ea inter se pugnant, & contradicunt quæ ex uerbis est, & non est, constant: uelut huius, Est homo, negatio est, Non est homo, non illa, Est non homo: Et huius, Est homo albus:

albus: hæc, Non est homo albus, non illa, Est homo non  
 albus. (Nam si de omni re, uel quod ait, uel quod negat  
 dicitur, certe uerum erit, lignum hominem non album  
 esse. Quod si ita est, in omnibus ijs, etiam in quibus, Est,  
 uerbum non adiungitur, quod pro illo, Est, dictum erit,  
 idem ualebit, ut huius effati, Homo ambulat, non hæc,  
 Ambulat non homo, sed illa, Non ambulat homo, futu-  
 ra negatio est. quoniam utrum hominem dicamus am-  
 bulare, an ambulantem esse, nihil interest) si inquam ita  
 se res habeat in omnibus: profectò huius, Fieri potest,  
 hæc, Potest non fieri: non illa, Non potest fieri, negatio  
 sit necesse est. Atqui res & fieri & non fieri eadem po-  
 test. Quicquid enim diuidi & ambulare potest, id &  
 non diuidi potest, & non ambulare. Cuius ratio est,  
 quod non semper id omne re ipsa est, quod hoc pacto  
 fieri potest. Ita ei etiam conuenit negatio. Nam potest  
 non ambulare quod uim ad ambulandum habet: & non  
 cerni, quod sub aspectum potest cadere. At fieri non po-  
 test, in eodem uerè enunciationes repugnantes contradi-  
 centesq; dicantur. Non igitur huius pronuntiati, Potest  
 fieri, illa, Potest non fieri, repugnans contradicensq; est.  
 nam ex his quæ dicta sunt horum alterum efficitur: ut  
 aut idem de eodem dicamus simul, & negemus: aut cer-  
 te, ut non ex uerbis est, & non est, quæ adiunguntur om-  
 nibus, affirmationes nascantur & negationes. Quod si  
 fieri illud non potest, hoc profectò sequendum est. Ergo  
 huius enunciationis, Potest fieri, negatio est non hæc, Po-  
 test non fieri, sed illa, Non potest fieri. Eadē ratio est eius  
 quod contingit. Etenim eius negatio est illud, Non con-  
 tingit. Quod idem fit in cæteris, cuiusmodi sunt, impossi-  
 bile,

bile, necessarium. Ut enim in illis Est, & non est, uerba,  
 additamenta sunt: illa autem, albus & homo, res subie-  
 ctæ: sic in his, est & non est pro subiectis habentur: hæc  
 autem, potest & contingit, accessiones sunt, quæ quidem  
 in his enunciatis, Potest fieri, & Nō potest fieri, ita quid  
 uerum sit, quidue falsum, ut in illis est & non est, defi-  
 niunt & explicant. Huius autem, Potest non fieri, nega-  
 tio non est quæ sequitur, Non potest fieri: sed hæc, Non  
 potest non fieri. Et huius, Potest fieri, non illud, Potest  
 non fieri, sed hoc, Non potest fieri. Quocirca quod fieri  
 potest, & quod potest non fieri, alterum alteri consequi-  
 tur, quod idem & fieri, & non fieri potest. Non enim  
 pugnant secum & contradicunt, quod fieri potest, &  
 quod potest non fieri: sed, quod fieri potest, & quod fie-  
 ri non potest: quoniam disident à sese & contradicunt,  
 nunquam in eodem uere dicuntur. Eodemq; modo de  
 his, Quod potest non fieri, & Quod non potest non fie-  
 ri, iudicandum. Similiterq; huius, Necessarium est, nega-  
 tio est non illud, Necessarium non est: sed illud, Non ne-  
 cessarium est. Huius autem, Necessarium non est, illud,  
 Non est non necessarium. Itemq; huius, Impossibile est  
 fieri, non illud, Impossibile est non fieri: sed illud, Non  
 impossibile est fieri. Huius uero, Impossibile est non fieri,  
 illud, Non impossibile est non fieri. In summa, Est & nō  
 est poni, ut dixi, pro rebus subiectis debent: hæc autem  
 quæ negationem & affirmationem efficiunt, ad illa i-  
 ipsa uerba Est & non est, addenda sunt. Atq; eæ demum  
 repugnantes & contradicentes existimandæ sunt enun-  
 ciationes, in quibus Potest, & non potest, contingit, &  
 non contingit, impossibile est, & non impossibile est,  
 necessa-

necessarium, & non necessarium, uerum & non uerum  
 collocantur. Atque consequentia quæ hinc nascuntur, dis-  
 sponenda sunt hoc modo. Si enim quod fieri potest, illud  
 quod contingit ut sit, consequitur, retroque id com-  
 munitur uicissim. Hæc etiam consequuntur, quod non impossibile  
 est fieri, & quod non necesse est fieri. Ex eo uero quod  
 potest non fieri, & quod accidit ut non fiat, id quod  
 non necesse est non fieri, & quod non impossibile est  
 non fieri, consequentia sunt. Ex eo etiam quod fieri non  
 potest ut sit, & quod non accidit ut sit, id quod necesse  
 est non esse, & quod impossibile est esse, sequitur. Conse-  
 quentia etiam sunt, & id quod necesse est esse, & quod  
 impossibile est non esse, ex eo quod non potest non esse,  
 & quod non accidit ut non sit. Id quod ex hac descri-  
 ptione intelligi potest.

Fieri potest ut sit Accidit ut sit. Non impossibile esse Non necessarium esse.	}	Quod fieri non potest Quod non accidit ut sit. Quod impossibile Quod necesse est non esse.
--	---	--

Fieri potest ut non sit Accidit ut non sit Non impossibile non esse Non necessarium non esse.	}	Quod non potest fie- ri quin sit Quod non accidit ut non sit. Quod impossibile est quin sit Quod necesse est esse.
---	---	--

Quod igitur impossibile est ut sit, & quod non im-  
 possibile est esse, ex repugnantibus & contradicentibus  
eius

eius quod accidit ut sit, & quod fieri potest ut sit: & quod non accidit ut sit, & quod non potest fieri ut sit, ita consequentia sunt, ut conuerso ordine affirmationes negationibus, non affirmationes affirmationibus conueniant. Ex eo enim quod potest fieri, eius quod impossibile est, consequens est negatio hæc, Non impossibile est esse. Ex eo autem quod negat, id quod ait, quoniam ex eo quod non potest fieri ut sit, id quod impossibile est esse, efficitur. Hoc enim totum, Impossibile est esse, affirmatio est, illud negatio, Non impossibile est esse. Sed quam affectionem ad illa habeat id quod necesse est, uideamus. Atque illud quidem perspicuum est in his non ita esse ut in illis, contrariisque hic consequi, repugnantes autem quæ eadem contradicentes dicuntur, seorsum esse ab ijs quæ consequuntur. Neque enim huius, Necesse est non esse, illa, Non necesse est esse, negatio est: quando quidem utraq; de eodem uera esse potest. Quod enim necesse est non esse, id est non necesse esse. Cur autem enumerationes quæ de eo quod necesse est dicunt, non eodem modo, quo superiores, ex illis consequuntur, hoc causa est, quod ei quod necessarium est, id quod impossibile est esse, idem ualet, contrario nomine oppositum. Quod enim impossibile est ut sit, idem necesse est, non, esse quidem, sed non esse. Quod autem impossibile est quin sit, id sit necesse est. Ita si illa eodem modo ex eo quod potest esse, & non potest esse concluduntur: certe in his contra fiat necesse est. quando quidem non idem ualent quod necesse est esse, & quod impossibile est ut sit: sed contrario modo alterum cum altero consentit, ut dictum est.

An autem fieri non possit, ut hoc modo constituantur

repugnantie & contradictiones eius quod necesse est, quæstio est. Huic enim quod necesse est esse, consequitur id quod fieri potest ut sit. Sin minus, negatio erit consequens, quoniam necesse est de quacumq; re uerè aut affirmari, aut negari. Ergo si non possit esse, impossibile est esse. Quod igitur impossibile est ut sit, id necesse erit esse quo nihil absurdius. Atqui ex eo quod potest esse, consequens id est, quod nõ impossibile est esse, ex quo id quod non necesse est esse. Ita fit ut quod necessarium est, id non sit, necesse esse, quod fieri non potest. Ne ex eo quidem quod potest esse id, quod necesse est esse, aut non esse concluditur. Nam illud utramq; in partem potest cadere: horum autem utrumlibet uerum sit, non iam illa uera sunt futura. Simul enim aliquid & esse, & non esse potest. Si uerò necesse sit esse, aut non esse, iam amplius utramq; in partem cadere non poterit. Relinquitur ergo, ut id quod non necesse est non esse, eius sit consequens, quod potest esse. Nam de eo etiam quod necessarium est, id uerè dicitur: atq; etiã hæc ipsa repugnat, et cõtradicit ei quæ ex eo cõcluditur, quod fieri non potest. Ex illo enim efficitur id quod impossibile est esse, & quod necesse est nõ esse: cuius hoc, Nõ necesse est nõ esse, negatio est. Consequuntur ergo hæc cõtradicentes altera alteri, quemadmodũ dixi: quibus ita positis, nihil repugnans concluditur. Vtrum autẽ ex eo quod necesse est esse, id quod fieri potest ut sit, sit cõsequens, quæstio est. Nam si non sit consequens, contrarium & cõtradicens erit consequens id, quod fieri non potest. Quod si quis hoc contrarium aut cõtradicens esse neget, is necesse est fateatur id esse quod fieri potest ut non sit, sed & hoc et illud falsum est in eo quod

quod necessarium est. At contrà idem uidetur secari posse, & non secari, esse & non esse. Ita quod necessarium est, id poterit non esse: quod falsum est. Illud igitur perspicuum est, non quicquid potest aut esse, aut ambulare, posse etiam non esse, aut ambulare: sed sunt de quibus id uerè non dicatur, primumq; in ijs quæ rationis expertia aliquid efficere possunt. ut ignis uim habet ille quidem caloris, sed quæ rationis sit expertus. Quæ igitur facultates ratione ad agendum impelluntur, eæ multa etiam contraria efficere possunt: rationis autem expertes, non omnes, cum præsertim ignis calorem sua ui gignere, & non gignere non possit, nec ea omnia quæ semper agunt. Sunt tamen quædam facultatibus rationis expertibus prædicta, quæ simul cõtraria recipere possint. Quod dixi, propterea quod non omnis uis ad cõtraria accipienda apta est: ne eæ quidem, quæ sunt eiusdem generis. Sunt uerò ipsæ facultates homonymæ. Quod enim possibile est, id non uno modo dicitur: aliudq; eo dicitur posse, quia iam reuera agat sic: ut posse aliquem ambulare, quia iam ambulet, & (ut semel dicam) posse esse, quod iam in actu ipso sit, id quod posse esse dicitur. aliud, quod futurum sit ut agat aliquando: uelut cum aliquem posse ambulare dicimus, quod futurum sit ut ambulet. Atq; hæc quidem uis in ijs tantummodo reperitur, quæ mutabilia sunt: illa etiam in ijs quæ immutabilia sunt. Et utrumq; uerè dicitur posse ambulare, aut esse, & quod ambulat iam, atq; in actu est, & quod uim habet ad ambulandum. Ergo quod hoc modo potest, non uerè omnino de re necessaria dici potest, alterum potest. Ita, quoniam ex parte generis consequens est, certè ex eo quod necessarium est, id

quod fieri potest, etiam si non omne, concludetur. Ac for-  
 tasse quod necessarium est, aut non necessarium, quasi  
 fons est & causa, cur sint aut non sint omnia: ut cetera  
 omnia ex eo spectari debeant, quomodo sint consequen-  
 tia. Quapropter ex his quæ dicta sunt apparet, in actus  
 & reuera esse, quæcunque fiunt necessario. Si igitur  
 priora sunt æterna, etiam actus vi & facultate prior  
 est. Atq; alia cum uim nullam habeant, actus modo sunt:  
 ueluti hæc substantiæ quas primas dicimus. alia simul  
 uim habent cum actu: eaq; naturæ ordine priora sunt,  
 posteriora temporis. alia nunquam in rerum natura  
 sunt, sed solum esse possunt.

Virum autem affirmatio negationi, an affirmatio af-  
 firmationi, & oratio orationi contraria sit ea, quæ Om-  
 nem hominem iustum esse dicit, illi, Nemo iustus est: an  
 hæc, Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus  
 est: uelut, Callias iustus est, Callias iustus non est, Callias  
 iniustus est: quæ inquam ex his inter se sint contrariæ,  
 magna quæstio est. Si enim sensa animi imitatur oratio,  
 illic autem contraria sententia de contrario est, ut hæc,  
 Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus est: cer-  
 te in ijs etiam enunciationibus quæ uoce exprimuntur,  
 ita res habeat necesse est. Sin minus illic opinio & sen-  
 tentia de contrario contraria est, ne hic quidem affir-  
 matio affirmationi cõtraria erit: uerum negatio, ut dixi.  
 Quæ igitur opinio & sententia falsa, ueræ cõtraria sit,  
 uideamus, utrumne ea quæ negat, an quæ ait. Atq; hinc  
 nostra omnis manabit oratio. Est de bono sententia  
 uera, quæ id dicit bonum esse: alia falsa, id non esse bo-  
 num: tertia, id malum esse. Harum utra ueræ illi senten-  
 tiæ

tæ contraria sit: & si una sit, utra sit contraria: quæstio  
 est. Atq; illud quidem falsum est, ex eo iudicari contra-  
 rias sententias esse, quia uerbis constant contrarijs. Nam  
 illa de bono sententia, id bonum esse, & de malo, id esse  
 malū, eadem fortassis atq; adeo uera est, siue multæ sint,  
 siue una: sunt autem hæc contraria. At uerò non quòd  
 contrariorum sint, contraria sunt proloquia, sed potius  
 quòd contrario nomine opponantur. Quòd si una senten-  
 tia de bono est, id esse bonum, alia non esse bonum: & se  
 est etiam quæ aliquid dicat, quod nec in bonum cadat,  
 nec cadere possit, profecto nulla ex illis alijs statuenda  
 contraria est, quæ cadere dicunt, quod non cadit in bo-  
 num, & cadere negant quod cadit. (Vtræque enim hæc  
 incertæ infinitæq; sunt, & quibus inesse aliquid confir-  
 mamus, quod abest, & abesse quod adest negamus) sed  
 eæ demum statuendæ sunt cōtrariæ, in quibus animo con-  
 cipiendis, prima inest erroris ac deceptionis causa. Er-  
 rores autem ac deceptiones iisdem continentur extremis,  
 quibus rerum ortus. Atqui inter disparata extrema, om-  
 nes continentur rerum generationes. Ergo etiam fallax  
 ciæ. Si igitur bonum bonum est, et non malū: illudq; sua  
 ui ac per se dicatur, hoc casu & fortuito (accidit enim ut  
 sit non malum) uerius autem ea est de quaq; re enuncia-  
 tio, quæ sua ui ex se, & per se uera est: & pari ratione  
 falsa magis, quæ suapte sponte, & per se falsa: fallax au-  
 tem hæc opinio bonum non esse bonum, eam respicit  
 quæ per se uera erat: altera autem fallax etiam, bo-  
 num esse malum, eam respicit quæ per accidens uera e-  
 rat. Ex quo efficitur, ut magis falsa sit in bono ea sen-  
 tentia, quæ ex negatione est, quam quæ est ex contrario.

At is demum errat in quaq; re uehementer, qui in diuersa & contraria sententia est. Siquidem contraria dicuntur ea, quæ in eodem genere plurimum differunt. Quòd si harum altera contraria est, magis autem ea est contraria quæ negat, certè hæc ipsa sit contraria necessè est. Illa autem altera, qua bonum in malis esse defenditur, cum ea coniuncta implicataq; est: propterea quòd eundem necesse est, bonum nõ esse in bonis, putare. Iam uerò si in cæteris omnibus hoc modo sumi repugnantia debeat, etiam hic illud uerè dictum est à nobis. Aut enim in omnibus ea quæ repugnat & contradicit, contraria est, aut in nullis. Vbi autem uerba contraria sunt nulla, in ijs falsa ea sententia ueræ opponitur, quæ ut disparatum quippiam alteri repugnat: ut is qui hominem non esse hominem putat, fallitur. Si igitur hic contrariæ sunt negationes, etiam in ijs eæ demum erunt contrariæ, quæ contradicentes erunt. Præterea eadem est ratio eius quæ bonum in bonis ponit, & eius quæ non bonum in non bonis: & præterea eius quæ bona in non bonis, & eius quæ non bona in bonis collocat. Bi ergo sententiæ ueræ, quæ non bona in non bonis putat, quæ tandem contraria erit? Non ea quidem quæ in malis non bona dicit, quandoquidem simul uera est interdum: & uera ueræ esse contraria nullo modo certè potest. Aliquid enim quod est non bonum, est in malis. Ita ueræ simul esse possunt. Nec uerò ea contraria erit, quæ non bona in non malis numerat. siquidem hæc quoq; uera est, & simul esse possunt. Relinquitur ergo, ut eius qua non bona in non bonis numerantur, illa contraria sit sententia, quæ non bona in bonis esse dicit, quoniam falsa est. Quare etiam

giam huius, Bonum non est bonum, hæc, Bonum est bonum, cōtraria est. Perspicuum autem est, nihil interesse, utrum uerbum hoc Omnis, in affirmatione, necne, colloceamus. nam contraria erit uniuersa negatio. Ut illi opinionioni, Omne quod bonū est, est in bonis, hæc repugnat, Nihil quod bonum est, est in bonis. Et certè sententia ea qua ipsum bonum esse bonum putatur, si bonum uniuersale uerbum sit, idem ualet quod hæc, Quod bonum est, id est in bonis. Inter hanc autem & illam, Quicquid bonum est, id est in bonis, nihil interest. Quod idem in eo quoque quod non est bonum, dicendum est. Quapropter si ita in ijs quæ animo concipiuntur, uti diximus, res habet, & si intelligentiarum & notionum quæ in animis imprimuntur, interpretes est oratio, qua aut affirmamus aut negamus: certè affirmationi contraria sit necesse est eadem negatio, qua idem aliquid quod affirmabatur, de toto genere negatur. ueluti huic, Omne quod bonum est, in bonis est; uel, Omnis homo bonus est; ea, in qua nulum uel nemo contrario nomine opponitur. Contradictorio autem nomine ea opponitur, in qua nō omne, uel non omnis, adhibetur. Illud etiam perspicuum est, ueram enunciationem uel sententiam, ueræ contrariam esse non posse. Nam & ex oppositis & contrarijs, contrariæ seu aduersæ constant, de quibus homo idem uerè potest dicere; at contraria eadem

simul conuenire non  
possunt.

F I N I S,

ARISTOTELIS PRIORVM  
Analyticorum, siue de prima reso-  
lutione, Liber I.

FIRMINO DVRIO INTERPRETE,  
& N. Grouchio correctore ac  
emendatore.

De principijs ratiocinationis.  
Cap. I.



Nitio dicendum uidetur quid sit, in  
quo posita est instituta disputatio,  
quaq; de re sit suscepta. Versatur au-  
tem in demonstratione, ac de demon-  
strandi arte est instituta. Tum explia-  
candum nobis est, quid sit proposi-  
tio, quid extremum, quid ratiocinatio, cuiusmodi sit tum  
qua perfecta, tum qua imperfecta dicitur. Demum  
quidnam sit quidpiam in toto aliquo esse, aut non esse:  
quidq; appellemus, aliquid de aliquo omni, aut nullo di-  
ci. Est igitur propositio, oratio qua aliquid de aliquo as-  
firmat aut negat: idq; aut in toto, aut in parte, aut inde-  
finitè. In toto autem dico, cum quid aut omni, aut nulli  
inesse dicitur: cum uerò alicui, uel non alicui, uel non o-  
mni, id particulare appello. Quod si inesse aut non inesse  
dicitur absq; uniuersali aut particulari nota, indefini-  
tum id uoco. cuiusmodi hæc sunt, Aduersa eadem arte  
continentur, Voluptas non est bona. Eò autem differe  
demonstratiua propositio à dialectica, quòd illa est ex  
aicientibus & negantibus unius partis assumptio: quippe

ut confessum sumit qui demonstrat, nihil rogat. Dialectica propositio, quaestio est utranq; contradictionis partem complexa. At quod attinet ad ratiocinationem ex utrauis struendam, nullum inter eas est discrimen. Nam & qui demonstrat, & qui rogat, ita ratiocinatur uterq; ut quid cuiq; inesse, uel non inesse prius sumpserit. Ita propositio ratiocinationis, affirmatio est, uel negatio cuiusdam de alio: eo, quo diximus, modo. Demonstratiua autem tum demum est, cum uera fuerit, & per prima initia confirmata & sumpta. Dialectica uero propositio, quod ad eum attinet qui rogat, quaestio est contradictionis: quod autem ad eum qui ratiocinatur, est assumptum quid apparet aut probabile, quemadmodum in Topicis exposuimus. Sint igitur haec, quod ad rem presentem attinet, de propositione satis: quid inquam illa sit, quo differat ea quae ratiocinationi adhibetur, a demonstratiua & dialectica, haec item inter se. Diligentius enim de his in progressu differemus. Extremum uero id appello, in quod resoluitur propositio cuiusmodi est, id quod de alio dicitur, idq; de quo illud dicitur, seu adijciatur, seu tollatur illud esse, uel non esse. Ratiocinatio uero est oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, ut diuersum quid ab ijs necessario efficiatur, quia ea ita sint: quod postremum indicat nullo extremo egere externo, ut necessaria sit consequentio. Perfectam uero ratiocinationem eam appello, quae nulla alia re eget, praeter ea quae in ea sumpta sunt, quo colligendi necessitas sit euidentis ac perspicua. Imperfectam, quae una re aut pluribus eget: quae etiam si ad extrema concessa & substrata consequantur necessario, non sunt tamen illae in propositionibus expressae. Est autem res

eadem, quidpiam in aliquo toto esse, & quidpiam de alio omni dici: nempe cum nullam subiecti partem reperias, in qua prædicatum non uerè dicatur. Eodem pacto intelligendum est, de nullo aliquo dici.

De Pronunciatorum reciprocatione.

Caput II.

At uerò cum effatorum alia rem esse dicant, alia necessario eam esse, alia eam accidere: horumq; alia aiunt, negent alia, idq; in quauis enunciandi ratione: aientium rursus & negantium, alia in toto sint, alia in parte, alia indistincta: hæc inquam cum ita sint, in effato eo quod quidpiam uniuersim esse negat, necessario extrema reciprocantur, exempli causa, Si nulla uoluptas est bona, nihil quod bonum sit, est uoluptas. In eo autem pronunciatum quod ait quid, extrema retrò comitant illa quidem: sed in parte tantum, non uniuersim: ut, Si uoluptas omnis est bona, quoddam bonum uoluptas sit necesse est. Ex particularibus uerò affirmans in parte retrò comitant necessario: nam si quædam uoluptas est bona, quoddam bonum est uoluptas. In negantibus id non ita est, ut enim quoddam animans non sit homo, non ex eo efficitur, quendam hominem non esse animans. Principio igitur constituamus propositionem, in qua quidpiam uniuersim negetur: sitq; hæc, a, b; tum si nullum b est a, ne ullum quidem a erit b. Quod si quis reluctetur, quoddam a esse b; designetur illud, sitq; c: non erit igitur tum usquequaq; uerum, quod dicebamus nullum b esse a, cum c pars sit aliqua ipsius b, eoq; contineatur. Quod si dicas, omne b esse a, hinc consequetur, quoddam a esse b. quod si nullum esse dicas, ne ullum quidem b erit a: cum antea professio

confesso id haberetur, omne b esse a. Est autem eadem  
 ratio, si in parte fuerit proloquium. nam si quoddam b  
 est a, necessario efficitur, ut quoddam a sit b. Quod si  
 nullum a esse b dicas, hinc consequetur, ne ullum qui-  
 dem b esse a. Quod si dicas, quoddam b non esse a, non  
 continuo efficitur, ut quoddam a non sit b. uerbi causa,  
 si b pro animante intelligatur, a uero pro homine: neq;  
 enim omne animans est homo, cum omnis homo sit ani-  
 mans. Eadem erit reciprocatiois uia in pronunciatis  
 necessarijs; uniuersale enim negans in totum recipro-  
 catur, affirmantium utrunque in parte tantum. Si enim  
 nullum b est a, idq; necessario: nullum quoque a est b,  
 eodem modo. Nam si ipsum b alicui a accidere contem-  
 das; a quoque cuidam b acciderit. At si omne uel ali-  
 quod b necessario sit a; sane & quoddam a necessario  
 est b, si enim id non sit necessarium, neq; etiam quoddam  
 b necessario est a. Negatio uero in parte ob eam ipsam,  
 quam antea exposui, causam, non reciprocatur. At quod  
 attinet ad accidentia, quia accidendi uocabulum uarium  
 est ac multiplex; quippe quo tum necessarium conti-  
 neatur, tum non necessarium, deniq; & possibile; sane  
 in affirmantibus omnibus eadem est quæ prius recipro-  
 candi ratio. Nam si a ipsi b uel in totum uel cuidam ac-  
 cidat, & b quoque ipsi a acciderit: nam si ut nulli con-  
 ueniat necesse est, a quoque nulli b conuenire oportet: id  
 quod paulo ante confirmauimus. In negantibus uero di-  
 uersa est ratio; quia quæ accidere dicuntur, aut quia ne-  
 cessario non insint, aut quia citra necessitatem absint,  
 eodem modo commeant. ut si quis dicat homini accide-  
 re, ut non sit equus, aut albedinem nulli uestimento, quo-

rum unum non inest, idq; necessario: alterum citra necessitatem. Et eodem prorsus modo retrò com meat utraq; propositio, quo superiores: si enim accidat, ut nullus homo sit equus: accidet quoque, ut nullus equus sit homo. Et si in nullo uestimento albedo accidat, in nulla quoque albedine uestimentum accidet. Quòd si in aliqua necessario sit, in quodam etiam indumento albedo reperietur necessario: id quod paulo antè confirmauimus. Illud idem de negante particulari iudicandum est. At priuantes illæ propositiones, in quibus quid accideret dicitur, quia plurimum fiat, & natura ita sit comparatum (quomodo accidentis uocabulo peculiariter utimur) iam non eadem lege reciprocationis utuntur: quin negatio uniuersalis retrò non com meat, particularis autem maxime. Id quod perspicuum erit, ubi de accidente differemus. In præsens id tantum nobis, præter ea quæ dicta sunt, confessum sit, quòd accidere nulli, aut cuidam non inesse, speciem habet affirmationis: nam illud, accidet, consimilem locum atq; ordinem seruat, atq; ipsum, est. Hoc autem quibuscunq; prædicatis adijciatur, affirmationem quoquo modo efficit, ac perpetuò. cuiusmodi hæc sunt, Est non bonum, non album, & in uniuersum est, non hoc, aut non illud. Id autem in progressu confirmabimus. Hæ uerò reciprocandi legem eandem sequuntur, quam & alie. His ita constitutis, dicendum nobis est, quæ sint ea ex quibus struatur ratiocinatio quæuis: quando ratiocinatio proba sit futura, quæq; uia ac ratione sit componenda: posterius de demonstratione dicendum nobis erit. Est enim ante demonstrationem de ratiocinatione differendum, eo quòd hæc latius patet.

huius

huius enim illa pars quaedam est, hæc uerò totum atque in pluribus.

Prima Figura. A. B. C.

Cap. III.

Quandocumque ergo tria extrema ita inter se affe-  
sta fuerint, ut postremum in medio toto contineatur,  
hoc autem in toto primo uel sit uel non sit, necessariò  
hinc efficitur extremorum perfecta complexio. Me-  
dium id appello, quod cum in alio sit, aliud quoq; in hoc  
continetur, & suum quoque medium seruat. Extrema  
uerò ea dico, quorum alterum in alio est, in altero au-  
tem aliud continetur. profectò si a de omni b affir-  
metur, & b de c quouis: necesse est, ut a de quouis c affir-  
metur. præsertim cum paulo antè explicatum sit, quid  
sit de aliquo toto dici. Eadem est ratio, si a de nullo b  
dicatur: b uerò in c toto sit. nam a in nullo c reperietur.  
Quòd si primum extremum cuius medio sit cõsequens,  
& hoc nulli postremo in sit, nulla erit extremorum com-  
plexio, nihil enim quicquam necessariò hinc efficitur,  
quia ea ita se habeant: cum fieri possit, ut primum po-  
stremo, tum omni in sit, tum nulli: unde nec in parte nec  
in toto necessarium quicquam efficitur. Quotiescunq;  
autem nihil necessariò colligitur, ex ijs sanè ratiocina-  
tio non fuerit. Extrema, in quibus alterum alteri toti in-  
sit, sint hæc, animans, homo, equus: in quibus nulli in sit,  
illa, animas, homo, lapis. Ne ratiocinatio quidem fuerit,  
ubi primum in medio nullo reperietur: simul & hoc in  
postremo nullo. Extrema affirmandi sint hæc, scientia,  
linea, medicina: negandi uerò hæc, scientia, linea, uni-  
tatis. Hinc perspicuum est, quando futura sit ratiocina-

tio: quando non item, ubi extrema uniuersalia fuerint. Illud etiam constat, quandocunq; fuerit ratiocinatio, extrema eo, quo diximus, modo affecta esse oportere: quod si ita digesta sint, ratiocinationem ex ijs effici. At ubi extremorum alterum ad aliud sit affectum in totum, alterum in parte, cum uniuersalis seu affirmatio, seu negatio maiori extremo coniuncta fuerit, minori uerò affirmatio in parte, necesse est hinc nasci ratiocinationem absolutam: ubi autem minori extremo additum fuerit uniuersale illud, aut quoquo alio modo extrema fuerint digesta, ratiocinatio fieri nullo modo potest. Maius extremum id dico, in quo medium continetur: minus uerò id, quod medio subternitur. Sit enim hoc confessum, quoduis  $b$  esse  $a$ , quoddam item  $c$  esse  $b$ , hinc sanè efficitur necessariò, ut quoddam  $c$  sit  $a$ : si de aliquo toto dici id sit, quod in initio explicauimus. Quod si nullum  $b$  sit  $a$ , quoddam uerò  $c$  sit  $b$ , necesse est ut quoddam  $c$  non sit  $a$ . Cum antea interpretati simus quid sit, quoq; modo audiendū, de nullo aliquo dici. Erit igitur ad hunc modum ratiocinatio suis numeris absoluta: quod idem fiet, si  $b$   $c$  affirmatio fuerit indistincta: quippe cum eadem struat ratiocinatio, seu particulare sumas pronunciatum, seu indefinitum, quod si minori extremo iungatur uniuersalis affirmatio, uel negatio, nulla hinc erit ratiocinatio, cum propositio aut in parte fuerit, aut indefinita: seu affirmet illa, seu neget. uerbi gratia, si quoddam  $b$  sit  $a$ , uel non sit,  $c$  uerò quoduis sit  $a$ : extrema consentanea sint hæc, bonum, habitus, prudentia. disparata, bonum, habitus, inscitia. Rursus si nullum  $c$  sit  $b$ : quoddam uerò  $b$ , uel etiam non omne, sit  $a$ , uel non sit: ne sic quidem erit ratiocinatio

ratiocinatio. Extrema omnino consentanea sunt, album,  
 equus, cygnus: repugnantia planè, album, equus, coruus:  
 quæ eadem usurpanda sunt, si b a propositio indistin-  
 cta fuerit. Neque item ratiocinatio fuerit, ubi priori  
 extremo addita uniuersalis, affirmatio fuerit, uel nega-  
 tio: posteriori uerò negatio in parte, uel etiam indefini-  
 ta: ceu si omne b sit a, quoddam uerò c non sit b. Cum ei,  
 cui in parte medium non coheret, prius extremū uniuers-  
 sim modo consentaneū sit ac consequens, modò alienum  
 ac repugnans. ut si proponantur hi tres fines, animans,  
 homo, album: tum ex his albis, de quibus homo asseuera-  
 ri non possit, secernantur, olor, & nix: sanè de altero ho-  
 rum animans uniuersim affirmatur, negatur planè de  
 altero: ita ratiocinatio nullo modo fuerit. Rursus a in nul-  
 lo b reperiat, nec item b in aliquo c: extrema uerò sint  
 inanimatum, homo, album: atq; tum assumantur ea al-  
 ba, de quibus homo non dicitur, olor & nix: nam ina-  
 nimium de altero quidem omni affirmabitur, de altero  
 nullo dicitur. Ad hæc, cum incerta sit huius pronuncia-  
 ti ueritas, quoddam c non est b (quod quidem uerum  
 est, seu nullum planè sit, seu non omne) cum autem eo  
 modo sumpta fuerint extrema, ut alterum in altero nula  
 lo reperiat, inde non struetur ratiocinatio: id quod  
 paulo antè confirmauimus: perspicuum est, ex hac ex-  
 tremorum structura ac dispositione ratiocinationē non  
 effici: alioqui ex illa quoq; efficeretur. Eadem autem  
 probandi ratio erit, ubi negatio in toto fuerit. Quod si  
 ambæ intercapedines in parte aiant quid, aut negēt, selt  
 altera aiat, neget altera, seu ambæ indefinitæ sint, seu  
 altera indefinita, altera certa ac definita, ne tum quidem  
 ratio=

ratiocinatio ulla erit. His autem compositionibus omnibus extrema hæc communem præbent usum, animas, album, equus: animans, album, lapis. Ex ijs quæ hucusq; exposuimus, hoc constat, ad ratiocinationem in parte per hanc figuram connectendam, necessariam esse eam extremorum collocationem: quæ si obseruetur, necessario inde ratiocinationem effici: alioqui nulla planè effici possit. Ex ijs etiam hoc intelligimus, quæ in hac figura struantur ratiocinationes, omnes suis numeris absolutas esse ac perfectas: quippe quæ ex ijs absoluantur, quæ initio sumpta sunt ac concessa. Hinc etiam id constat, quæstiones cuiusvis generis in hac figura probari, tum quæ in toto ait aut negat, tum quæ in parte. Ac figuram eam primam appellandam censeo.

Figura Secunda. M. N. X.

Cap. IIII.

Vbi uerò aliquid unum & idem, in aliquo quidem toto, in alio uerò nullo reperiatur, seu in utroque toto uel nullo, figuram eam secundam appello. In qua medium uoco id, quod de ambobus extremis dicitur: Extrema uerò ac fines, ea in quibus id dicitur: Maius quidem, id quod proxime medium situm est: Minus, quod ab eo longius distat. Collocatur autem medium extra fines ac extrema, si uerò primum est omnium: quapropter nullo pacto integra ac perfecta futura est ratiocinatio per hanc figuram: necessaria tamen conclusio hic fieri potest, seu extrema in toto sumpta sint, seu non sint. Sane ubi extrema uniuersa fuerint, structur tum legitima ratiocinatio, ubi medium in altero nullo, in altero omni reperiatur, utrauis negatione adiecta: siu secus fiat, nihil omnino

DE PRIMA RESOLUTIONE. iii

omnino colligetur. Faciamus enim, ut  $m$  in nullo  $n$  reperiatur, in  $x$  uero omni: tum quia negatio in toto recipiatur ac comeat, nullum  $m$  est  $n$ . iam autem confessum est, omne  $x$  esse  $m$ : ita nullum  $x$  est  $n$ . hoc enim antea confirmauimus. Rursus, si  $m$  in toto  $n$ , & in  $x$  nullo reperiatur, sanè &  $n$  in nullo  $x$  erit: nam si nullum  $m$  in nullo  $x$  cohereret, ne  $x$  quoq; in ullo  $m$  in se inerat autem  $m$  omni  $x$ , nullum igitur  $x$   $n$  erit. eo enim modo iterum effecta est primæ figuræ structura: & quia negatio inuertitur,  $n$  quoq; in nullo  $x$  reperiatur. ita eadem complexio efficietur. Licet autem & id ipsum ab absurdo confirmare. Ex his igitur hoc constat, ubi ita collocata atq; digesta fuerint extrema, inde ratiocinationem quidem effici, non tamen absolutam ac integram, ut in qua colligendi necessitas non ab his modo sit, quæ initio sumpta sunt, sed aliunde quoq; absoluatur. Quod si omne  $n$  sit  $m$ , item & omne  $x$ , nullum hinc efficitur ratiocinium. Extrema autem consentanea hæc proponantur, essentia, animans, homo: dissentanea uero ac repugnantia, essentia, animans, numerus. essentia autem medium est, & pro argumento. Neq; item complexio ulla erit, ubi  $m$  in nullo  $n$ , in nullo item  $x$  dicatur. Extrema consequentia sunt, linea, animans, homo: repugnantia hæc, linea, animans, lapis. Unde planè constat, ubi ex uniuersis extremis constituetur conclusio, dispositionem eam extremorum, quam initio exposui, necessariò esse obseruandam: alioqui non necessariò consequetur conclusio. At uero ubi medium in altero tantum extremo toto fuerit, tum demum conclusio est futura, quæ aliquid in parte neget, si maiori extremo adiciatur.

adijciatur illud totum, seu affirmes, seu neget: minori autem addatur illud in parte, quod illi toti aduersetur ex diametro. Quod fieri intelligo, si alterum totum neget, alterum in parte affirmet: & si totum illud affirmetur, illud in parte negetur. Nam si *m* in nullo *n*, & in aliquo *x* reperiat, necesse est *n* in aliquo *x* non reperiri. cum enim negatio retrò cōmeet, in nullo *m* reperitur *n*. At uerò pro certo sumptum est, *m* in aliquo *x* reperiri: ita *n* in aliquo *x* non erit, quando quidem in prima figura efficitur conclusio. Rursum si *m* sit in toto *n*, in *x* autem aliquo non sit, necessario efficitur, ut *n* in aliquo *x* non sit: alioqui omni inesset. *m* uerò de toto *n* dicitur: ita necesse est, ut *m* sit in toto *x*, cum antea pro certo & confessio sumeretur, in aliquo non esse. Quod si *m* in toto *n* intelligatur, in *x* autem non toto, inde efficitur, ut *n* in *x* non toto reperiat: cuius rei eadem est quæ prius, probatio. At ubi *m* in toto *x* dicitur, in *n* uerò non toto, nullatum erit conclusio. Extrema consentanea sint hæc, animans, substantia, coruus: dissentanea uerò, animans, album, coruus. Neque item erit ratiocinatio, ubi in nullo *x* dicitur illud *m*, in *n* uerò aliquo. Coniuncta extrema sumantur, animans, essentia, unitas: repugnantia, animans, essentia, scientia. Atque ita hucusque nobis expositum est, quando futura sit & non sit conclusio, ubi uniuersale pronunciatum particulari contrariū fuerit. Vbi uerò similia ambo fuerint, nempe si negent ambo, uel aiant, iacebit planè conclusio. Quod ut intelligatur, proponamus primū priuantia, ut illud uniuersale adijciatur extremo priori ad hunc modum, ut nullum *n* sit *m*, quoddam uerò *x* non sit *m*: sanè fieri potest, ut in ipso

x & omni & nullo reperitur ipsum n. Extrema plane repugnantia sint hæc, nigrum, nix, animans: omnino consentanea nunquam reperias, si m in aliquo x insit, in alio non insit. Nam si in omni x reperitur illud n, m uerò in nullo n, sanè m in nullo x erit: cum antea pro concessio sumptum sit, in aliquo esse. Hoc igitur modo extrema reperire non possis. Quapropter infirmanda est ea ratiocinatio per pronuntiati particularis incertam naturam. Nam quia uerum illud est, aliquod x non esse m, etiam si nullum sit: cum autem nullum esset, antea iacebat conclusio: perspicuum est, ne hoc quidem modo stare posse. Constituantur rursus propositiones affirmatiuæ ambæ, ut illud uniuersale eodem modo collocetur. Verbi causa, ut omne n sit m, aliquod item x sit m: tum accidit, ut omne x sit n, & nullum. Extrema in quibus cernatur nullum x esse n, sunt album, cygnus, lapis. Extrema uerò, in quibus omne x sit n, reperire non possis ea ipsa de causa, quam antea exposuimus. Quare ex incerta propositionis de parte natura ducendum est ad eam rem probandam argumentum. Quòd si illud uniuersum minori extremo iunctum sit ita, ut nullum x sit m, quoddam uerò n non sit, fieri potest, ut n in x & toto & nullo reperiat. In toto quidem reperitur, ut in his, albo, animante, coruo: in nullo autem cernitur, ut in illis, albo, lapide, coruo. Quòd si affirmant propositiones ambæ, extrema dissidentia sint, albū, animans, nix: consentanea, album, animans, olor. Ex quibus planè intelligitur, nullam fore ratiocinationem, ubi similes fuerint propositiones ambæ, & altera in toto, altera in parte: quin ne si medium in utroq; aliquo sit, uel nō sit, aut in hoc quidem aliquo,

b

in illo

in illo non item: aut in neutro toto, aut indistincte, extrema omnibus communia sunt, album, animans, homo: album, animans, inanimatum. Ex ijs igitur quæ exposuimus, perspicuum est, ratiocinationem necessariam fore, ubi extrema ita inter se fuerint affecta, ac collocata, ut diximus. Quod si ratiocinatio sit, necesse est extrema ita esse collocata, atque affecta. Hoc etiam intelligitur, omnes imperfectas esse, quæ in hac figura struuntur ratiocinationes: quippe quæ perficiantur omnes quibusdam assumptis, quæ uel in extremis necessario erant posita, uel certo conceduntur quasi ex pacto & fictione: ut fit, cum absurdo aliquid confirmamus. Constat & hoc, nullam in hac figura affirmantem effici conclusionem: sed omnes negantes, tum quæ in toto sunt, tum quæ in parte.

De figura tertia. P. R. S.

Cap. V.

At uerò ubi hoc in aliquo toto fuerit, illud autem in eodem nullo, seu ambo in eo toto, aut nullo sint, figurant eam tertiam appello. in qua Medium id uoco, de quo ambo illa enunciantur; Extrema uerò ea ipsa, quæ de alio enunciantur: Maius quidem, quod à medio longius distat: Minus uerò id, quod propius accedit. Medium autem extra ipsa extrema collocatum est illud quidem, ac situ & dispositione est postremum. Ita ne in hac quidem figura ulla efficitur perfecta ratiocinatio: effici tamen possit, seu extrema uniuersaliter medio iungantur, seu non omnino. Vbi igitur extrema uniuersim sumantur, si & p & r in toto reperiantur, necessario efficitur conclusio, ut p in aliquo r intelligatur. Cum enim  
reci-

DE PRIMĀ RESOLVTIONE. 115

reciprocetur affirmatio, sanē in aliquo  $r$  erit ipsum  $s$ . Ita q̄, quia ipsum  $p$  est in toto  $s$ ,  $s$  uerō in aliquo  $r$ , consequitur, ut  $p$  in aliquo  $r$  insit. ita enim struitur ratiocinatio in prima figura. Licet autem id ipsum confirmare, tum ab absurdo, tum expositione. Si enim ambo extrema in toto insint, & assumatur pars quædam ipsius  $s$  uerbi gratia, ipsum  $n$ : sanē ei inerit &  $p$  &  $r$ : ita cuidā  $r$ ,  $p$  quoq; inerit. Quod si  $r$  in toto  $s$ , in eodem uerō nullo ipsum  $p$  reperiatur, efficietur conclusio, qua  $p$  in aliquo  $r$  non inerit: idq; necessariō. quippe eadē est, quæ prius eius rei probandæ ratio, si pronunciatum hoc  $r$   $s$  retrocedat ac commet. Confirmabitur & id ipsum ex incommodo, ut fit in superioribus. Vbi uerō ipsum  $r$  in nullo sit  $s$ , in hoc uerō toto ipsum  $p$ , iacebit planē conclusio. Extrema consentanea sunt, animans, equus, homo: dissidentia, animans, inanimum, homo. Ne tum quidem ratiocinatio erit, ubi in nullo  $s$  ambo dicantur. Extrema coniuncta sumantur, animans, equus, inanimum: repugnantiā uerō, homo, equus, inanimum. ex ijs inanimum est medium. Hinc igitur manifestum, quando sit, uel nō sit futura in hac figura ratiocinatio, ubi extrema omnino sumpta sunt: quippe ubi affirmant, colligetur extremum alterum in aliquo altero esse: ubi uerō negant, nihil efficietur. At ubi alterum ait, alterum negat: si maius quidem neget, alterum autem affirmet, hinc consequetur, extremum alterum in altero aliquo non esse. sin contrā sit, nulla futura est conclusio. Quod si extremum alterum medio iungatur uniuersim, alterum uerō in parte: si ambo affirment, necessariō efficietur conclusio, etiam si utrumuis eorum in toto dicatur. Nam si  $r$  sit in

toto s, p uerò in eo aliquo, necesse est p in aliquo r inesse. Nam, quia com meat affirmatio, ipsum sanè s in aliquo p erit; atq; ita, cum ipsum r in toto s intelligatur, ipsum uerò s in aliquo p, sanè r in aliquo p erit: quare & p in aliquo r. rursum si ipsum r in aliquo s intelligatur, in eo uerò toto ipsum p, necesse est ut p in aliquo r insit. Huius enim conclusionis adstruendæ eadem est atque superiorum uia, quam etiam confirmare possis, quemadmodum antecedentes, tum absurdo, tum expositione. Quòd si extremorum alterum aiatur, alterum neget, atq; illud uniuersim dicatur: sanè ubi minus extremum ita affirmet, stabit conclusio. Nam si r in toto s sit positum, p uerò in eo ipso aliquo non insit, necesse est ut p in aliquo r quoq; non insit. Nam si in eo toto esset, r autem in toto s, profectò ipsum p in toto s quoq; res periretur. At pro concesso sumptum est, non inesse. Potest autem adstrui hic modus absque eo ductu, si aliqua pars ipsius s sumatur, in qua p non sit. Quòd si maius extremum affirmet, minus autem neget in parte, nulla erit conclusio: ut si p in toto s insit, in eo uerò aliquo ipsum r non insit. Sumantur pro extremis omnino consentientibus, animatum, homo, animans: pro dissidentibus uerò ac planè repugnantibus nulla accipi possunt, si r in s alia ex parte insit, alia non item. Si enim p in toto s reperiatur, r uerò in s aliquo, & p quoq; in aliquo r erit. at, ut confessum est, in nullo erat: quin, quemadmodum antea, eodem modo hic faciendum est. Cum enim aliquid in alio aliquo non esse indefinitum sit ac incertum, sanè quod in nullo est, uerè dicitur in aliquo non esse: cum autem in nullo esset, nulla erat ratiocinatio.

Quòd

DE PRIMA RESOLVTIONE. 117

Quòd si extremum negans uniuersim dicatur, affirmans uerò in parte, ubi negans prius fuerit, affirmans autem posterius, stabit ratiocinatio. Nam si  $p$  in nullo  $s$ , in hoc uerò aliquo sit ipsum  $r$ : sanè  $p$  in quodam  $r$  non erit. Nam si pronunciatum hoc  $r$   $s$  permutetur, uisetur prima figura. Quando uerò minus extremum negauerit quid, iacebit planè ratiocinatio. Fines consentientes sunt, animans, homo, fera: repugnantes uerò, animans, sapientia, fera: in quibus illud Fera, medium inseritur. Ne syllogismus quidem erit, si ambo extrema negent, ut alterum in toto sit, alterum in parte. Fines dissidentes sunt, ubi minus in medio toto dicitur, animans, sapientia, efferatum; coniuñcti ac consentientes, animans, homo, fera. In quibus autem maius extremum omnino dicitur, minus uerò in parte, exempla repugnantia sunt, coruus, nix, album: consentanea uerò reperiri non possunt, si  $r$  in ipso  $s$  partim sit, partim non sit. Nam si omni  $r$  ipsum  $p$  sit consequens, ipsum uerò  $r$  alicui  $s$ , sanè  $p$  ipsum alicui  $s$  consequens est. At pro certo ac concesso habebatur, nullum consequi: uerùm ex incerta ueritate propositionis de parte, hoc confirmari debet. Quòd si ambo fines in medio aliquo sint, uel non sint: sed hic insit, ille non item: seu alter in aliquo, alter uerò in eo non omni, seu indefinita sint ac incerta, ne tum quidem firma est ullo pacto futura ratiocinatio. Fines autem omnibus modis in commune utiles, animans, homo, album: animans, inanimatum, album. Hinc igitur constat, quando sit in hac figura futura firma conclusio, quando secus. Ac si ita fines disponantur, ut præcepimus, necessariò conclusionem effici: quòd si stet ratiocinatio,

natio, fines necessariò ita esse collocandos. Illud quoque constat, imperfectas eas esse, quæ in hac figura struuntur, ratiocinationes: quippe quæ absoluantur omnes, ubi nonnulla assumas. Adde quòd in hac figura nihil uniuersim efficere possis, seu affirmes, seu neges. Id etiam ex his perspicuum est, quando in quauis figura iaceat conclusio: sanè ubi extrema ambo in parte aiant quid, aut negent, nihil planè inde efficitur. Quòd si affirmatio cum negatione uniuersali sumatur, perpetuò sequitur conclusio negans minus extremum de maiori. Verbi causa, si  $a$  in toto  $b$ , aut aliquo sit,  $b$  uerò in nullo  $c$ , cum retrò commeent propositiones, necessariò efficitur, ut  $c$  in aliquo  $a$  non sit: quod in alijs figuris eodem modo fit. nam in quauis efficitur ratiocinatio ex conuersione. Constat & hoc, si indefinita propositio pra affirmante particulari sumatur, eundem atq; illam syllogismum efficere in quauis figura. Illud quoque manifestum apparet, imperfectas ratiocinationes in prima figura omnes perfici atque absolui: quippe, aut demonstratione finiuntur omnes, aut per absurdum. At utrovis horum modorum efficitur prima figura. Nam ubi demonstratione perficiuntur, reciprocaione absoluantur omnes: hæc autem primam figuram constituebat. In his autem quæ ab absurdo confirmantur, ratiocinatio in prima figura struitur, proposita atque constituta aliqua re falsa: ut si in ultima figura  $a$  &  $b$  in toto  $c$  reperiuntur, ipsum  $a$  in aliquo  $b$  erit: alioqui in nullo  $b$  fuerit  $a$ ,  $b$  uerò in toto  $c$ .  $a$  igitur in nullo  $c$  inest: at antea in toto esse concessum est. eodem modo in cæteris fieri solet. At uerò reduci possunt ratiocinationes omnes in

eas, quæ uniuersim colligunt in prima figura. Est enim  
 in secunda figura id perspicuum, omnes perfici per illas,  
 præterquam quòd non eadem uia omnes: quin uniuersa-  
 sales perficiuntur quidem, si priuans retrò commeet: as  
 quæ in parte sunt, ambæ ab incommodo confirmantur,  
 quæ autem in parte sunt in prima figura, ut ex seipsis  
 perfectæ sint, atque absolutæ, eas tamen per secundam  
 figuram confirmare licet ductu ad incommodum. uerbi  
 causa, Si a est in toto b, hoc uerò in aliquo c, a quoque  
 in aliquo c erit. Nam si in nullo sit, sit uerò in toto b, b  
 sanè in nullo c erit: id quod ex secunda figura intelligi-  
 tur. Eadem est in priuante conclusione confirmatio.  
 Nam si a in nullo b cernitur, b uerò in aliquo c maxi-  
 mè, a sanè in aliquo c non reperitur: alioqui si in toto  
 eo esset, et in nullo b reperiretur, profectò ipsum b in  
 nullo c esset: eo autem modo struebatur media figura.  
 Vnde quia ratiocinationes figuræ mediæ, ad eas quæ in  
 prima figura uniuersales fiunt, reducuntur omnes: par-  
 ticulares autem ex prima ad eas referuntur, quæ in me-  
 dia fiunt: perspicuum est, quæ in parte efficiuntur, refe-  
 rendas eas esse ad eas quæ in prima figura uniuersim  
 fiunt. Quæ uerò in tertia figura struuntur, si extrema u-  
 niuersa sint, continuò per ratiocinationes illas primæ  
 figuræ perficiuntur. Quòd si in parte sint extrema, ad  
 syllogismos eos referuntur, qui in parte colligunt per  
 primam figuram. Hos uerò ad illos referri docuimus:  
 quare referentur quoque qui in parte struuntur per ter-  
 tiam figuram. Hinc igitur planè constat, ratiocinatio-  
 nes omnes ad eas referri debere, quæ uniuersim fiunt in  
 prima figura. Atque ita hucusque nobis expositum est,

b a qua

quæ sit dispositio, uis & natura eorum ratiocinationū,  
quæ aliquid esse uel non esse colligunt, seu per se in sua  
quæque figura cernantur, seu ex diuersis figuris simul  
comparentur.

De uaria pronunciatorum coniunctione.

Cap. VI.

At uerò quia diuersa sunt hæc, inest, necessariò in-  
est, accidit inesse (permulta enim insunt illa quidem,  
non tamen necessariò: alia nec necessariò insunt, nec re  
ipsa omnino insunt, inesse tamen possunt) perspicuum  
est, inde ratiocinationes ex ijs singulis confectas, diuer-  
sas esse, extremaq; in ijs nõ eodem modo se habere: quin  
alia ex necessarijs constat, alia ex absolutis, alia ex con-  
tingentibus. In necessarijs igitur eodem fermè modo res  
se habet, ac in absolutis: si enim eodem modo collocen-  
tur extrema, tum in ijs quæ inesse, tum in ijs quæ neces-  
sariò inesse quid aiunt uel negant, modò conficietur ra-  
tiocinatio, modò non conficietur. Hoc tantum differunt,  
quòd extremis adijcitur necessariò inesse, uel non inesse:  
priuans enim propositio eodem modo recipitur,  
ac in toto aliquo esse, ac de toto aliquo dici, eodem hic  
modo locum habent, quo in absolutis. Quo fit, ut quem-  
admodum in ijs quæ insunt, ita in necessarijs conclusio  
per reciprocationem ostendatur: idq; in omnibus, præ-  
terquam quòd in media figura, cum altera propositio  
fuerit affirmatiua uniuersalis, altera particularis pri-  
uans: itemq; in tertia, cum altera uniuersalis affirmatio  
erit, altera negatio in parte, non ita ostendi possit: quin  
neesse est, ubi singulare aliquod proposueris, cui neu-  
trum insit, in eo ratiocinationem efficere: in eo enim ne-  
cessariò

DE PRIMA RESOLVTIONE. 121

cessariò efficietur. Quòd si in re singulari proposita necessariò efficietur, in illius generis, cuius pars est illa res, singula parte etiam efficietur. Harum autem ratiocinationum utraq; in sua figura efficietur.

Quomodo necessarium & absolutum pronunciatum committantur in prima figura.

Cap. VII.

Fit autem nonnunquam, ut necessaria efficiatur conclusio, ubi altera propositio necessaria sit: uerum non utrauis, sed quæ maiori extremo coniuncta est. uerbi causa, si sumptum sit, a necessariò esse, uel non esse in b: b uerò in c esse modò: sanè si eo modo sumptæ sint propositiones, a in c necessariò erit, uel non erit: quippe quòd sit in b necessariò, uel non sit. c uerò pars est ipsius b: unde perspicuum est, c necessariò alterum eorum futurum. Quòd si b esse a necesse non sit, c uerò esse b maximè, inde non efficietur necessaria conclusio; alioqui accidet, quoddam b necessariò esse a tum in prima, tum in tertia figura, quòd planè est falsum. fieri enim potest, ut b eiusmodi sit, ut illi nulla in parte a aliquando insit. Iam uerò conclusionem non sequi necessariam extremis propositis, facile intelligitur. exempli causa, si a sit motus, b animans, loco c locetur homo: tum homo necessariò est animans; animans autem mouetur, neque id necessariò, neque itidem homo. Eadem est ratio, si priuans fuerit propositio a b: est enim demonstrandi ratio eadem. In ratiocinationibus autem particularibus, cum propositio uniuersalis necessaria fuerit, connexio efficietur necessaria; sin particularis necessaria sit, non inde sequetur conclusio necessaria, siue priuans sit uniuersalis propositio.

b 5 siue

siue affirmatiua. Constituamus primum uniuersalem necessariam, sitq; omne  $b$  necessario  $a$ : quoddam uero  $c$  sit  $b$ , tantum necessario inde consequitur, quoddam  $c$  necessario esse  $a$ :  $c$  enim sub  $b$  continetur. omni autem  $b$ ,  $a$  necessario inerat. ita fiet, ubi conclusio priuans fuerit. est enim eadem probandi uia. Quod si particularis propositio necessaria sit, non consequetur conclusio necessaria. quemadmodum enim in uniuersalibus rationationibus, ita neq; in his quicquam absurdum accidit: quod & in priuantibus aequè est intelligendum. sint extrema hæc, motus, animans, album.

Coniunctiones quæ in secunda figura.

Cap. VIII.

Cum autem in secunda figura propositio priuans necessaria fuerit, necessaria efficietur connexio: si affirmatiua, non item. Constituatur enim primum priuans necessaria, ita ut  $a$  nulli  $b$  inesse possit, in sit autem ipsi  $c$  tantum. Nam cum negatiua reciprocetur, &  $b$  nulli  $a$  inesse poterit:  $a$  uero omni  $c$  inest: igitur in nullo  $c$   $b$  esse potest, est enim  $c$  sub  $a$  comprehensum. Ita fiet, si negatio ipsi  $c$  adijciatur. Nam si nulli  $c$  inesse potest, &  $c$  nulli  $a$ ,  $a$  uero omni  $b$  inest: ita fit, ut nulli  $b$  possit inesse  $c$ . constituatur enim rursum prima figura. ita fit, ut & ipsum  $b$  nulli  $c$  inesse possit: eodem enim modo retroeunt. Quod si affirmatio necessaria sit, non efficietur necessaria conclusio. Faciamus enim, ut omne  $b$  necessario sit  $a$ , nullum uero  $c$  sit  $a$  tantum: si retrocedat negatio, constituatur prima figura, in qua antea probatum est, nisi maior propositio negatiua necessaria

ecessaria sit, connexionem non fore necessariam: unde  
 nec in his necesse est fore. Præterea, si necessaria sit  
 conclusio, fit, ut c alicui a non insit necessario: si enim b  
 nulli c inest, idq; necessario, & c nulli b æquè necessa-  
 riò inest. b autem alicui a necesse est inesse: nam a om-  
 ni b necessario inerat. ita fit, ut sit necesse c alicui a non  
 inesse. At nihil uetat, quin eiusmodi acceptum sit, cui u-  
 niuersum ipsum c inesse possit. Iam uerò extremis pro-  
 positis, probari possit, conclusionem non esse absolute  
 necessariam, sed tantum quamdiu illa sunt. Verbi gra-  
 tia, pro a sumatur animans, loco b homo, in locum c  
 succedat album, sintq; eodem modo sumptæ proposi-  
 tiones: accidit, nullum album esse animans. nullum item  
 album est homo, non tamen necessario: fieri enim pos-  
 test, ut homo sit albus, non tamen quamdiu nullum al-  
 bum est animans. Ita conclusio necessaria est, quan-  
 diu illa sunt: absolute necessaria non item. Ita fit in  
 ratiocinationibus particularibus. cum enim proposi-  
 tio priuans uniuersa fuerit, & necessaria, connexio  
 quoque necessaria erit. Quòd si affirmatiua uniuersa  
 sit, & necessaria: negatio autem particularis sit, nec  
 necessaria: non sequetur connexio necessaria. Pri-  
 mum itaque constituamus negationem uniuersalem ne-  
 cessariam, Nullum b potest esse a, quoddam autem c  
 est a. Nam quia reciprocatur negatio, necesse est nul-  
 lum a esse b. quoddam autem c est a: ita fit, ut necessa-  
 riò quoddam c non sit b. Rursum proponatur uniuersa  
 affirmatio necessaria, ut affirmatio adijciatur i-  
 p̄si b: tum si omne b necessario est a, quoddam autem c  
 non est a, perspicuum est inde, quoddam c non esse b, sed

non necessario. Eadem enim extrema usui erunt ad id probandum, quæ antea in uniuersalibus syllogismis. Quòd si negatio necessaria sit in parte, nibilo magis conclusio necessaria est: id enim per ipsa extrema probari potest.

Quo pacto in tertia figura committantur,  
Cap. IX.

Cum autem extrema de medio in totum dicentur in ultima figura, fuerintq; ambæ propositiones affirmantes, utrauis necessaria, conclusio quoque necessaria consequitur. Quòd si propositionum altera aiat, altera neget, cum negans necessaria fuerit, connexio necessaria est futura; ubi uerò aiens necessaria fuerit, non erit necessaria conclusio. Constituantur ambæ primùm affirmantes, ut  $\& a \& b$  omni  $c$  insit, sitq; necesse a inesse ipsi  $c$  iam cum  $b$  omni  $c$  insit,  $c$  alicui  $b$  inest (commutatur enim uniuersalis in particularem.) Ita si  $a$  necessario insit omni  $c$ ,  $\& c$  alicui  $b$  insit, necesse est  $a$  alicui  $b$  inesse: quippe cum  $b$  comprehendatur sub  $c$ . Ita rursus prima figura. Eadem ratione probabitur, si necesse sit omni  $c$  inesse  $b$ : commutatur enim altera,  $\& c$  alicui  $a$  inest. Itaque si omne  $c$  necessario est  $b$ , quoddam autem  $a$  est  $c$ , quoddam  $a$  necessario est  $b$ . E conuerso sit priuans propositio  $c$   $a$ ,  $\& c$   $b$  affirmans, sitq; priuans necessaria: iam quia reciprocatur affirmatio, quoddam  $b$  est  $c$ , nullum autem  $c$  est  $a$ , idq; necessario: igitur quoddam  $b$  necessario non est  $a$ , cum  $b$  sub  $c$  comprehendatur. Quòd si affirmatio necessaria sit, non sequetur necessaria connexio. Constituiamus enim ex  $c$   $b$  necessariam affirmationem, ex  $c$   $a$  negationem non necessariam;

## DE PRIMA RESOLVTIONE. 125

cessariam: quia commutatur affirmatio, quoddam  $b$   
 necessario est  $c$ : igitur cum nullum  $c$  sit  $a$ , quoddam ue-  
 ro  $b$  sit  $c$ , quoddam  $b$  non est  $a$ , non tamen ex necessitas  
 te: docuimus enim, cum negatio in prima figura neces-  
 saria non fuerit, neque conclusionem necessariam fore:  
 quod & ab extremis intelligi potest. Constituamus e-  
 nim loco  $a$  bonum, pro  $b$  animal, loco  $c$  equum: tum nul-  
 lus equus est bonus: (id enim fieri potest) omnis autem  
 equus necessario est animal: neque tamen necesse est  
 quoddam animans non esse bonum, cum fieri possit ut  
 omne sit bonum, quod si forte id fieri non possit, aliud  
 extremum constituamus, uigilare, uel dormire: nam o-  
 mne animans utrumq; horum recipere potest. Cum i-  
 gitur ambo extrema de medio uniuersim dicentur, ex-  
 posuimus, quando conclusio necessaria fuerit: si uero al-  
 terum uniuersim, alterum in parte dicatur, idq; affir-  
 mando in ambobus, cum idem uniuersim & necessa-  
 rio dicetur, conclusio efficietur necessaria: cuius rei  
 probatio eadem est quæ prius. affirmatio enim in parte  
 com meat, ac reciprocatur. Igitur cum omne  $c$  necessa-  
 rio sit  $b$ ,  $a$  uero sub  $c$  contineatur, necesse est quoddam  
 $a$  esse  $b$ : quod si quoddam  $a$  est  $b$ , necessario uicissim e-  
 tiam quoddam  $b$  est  $a$ , idq; de necessitate: hæc enim re-  
 trocedunt. Badem est ratio, cum ex  $c$  &  $a$  necessaria  
 fuerit, & uniuersalis propositio, quia  $b$  ipsi  $c$  subijci-  
 tur: si in particularis necessaria sit, non efficitur necessa-  
 ria conclusio. Sit enim, uerbi causa, ex  $c$   $b$  particularis  
 propositio, ac necessaria: sitq; omne  $c$   $a$ , nec id necessa-  
 rio: commutata igitur propositione  $c$   $b$ , prima figura  
 efficitur. uniuersalis autem propositio non est necessa-  
 ria: at

ria: at particularis maxime. Cum autem ita constituta sunt propositiones, docuimus non effici necessariam complexionem. igitur neque ex his etiam consequetur, quod uel maxime ab extremis intelligitur. Sit itaque a uigilia, b uero bipes, ipsi c succedat animans: tum b cuiusdam c necessario inest, a uero omni c inest: nec tamen a ipsi b necessario inest. neque enim necesse est, id quod bipes est, dormire, aut uigilare. Hoc idem ex iisdem extremis probabitur, ubi a c propositio fuerit particularis ac necessaria, conclusionem non fore necessariam. Quod si extremorum alterum affirmetur, negetur alterum, cum id quod negatur, & uniuersum & necessario negabitur, complexio tum necessaria erit. Nam si nullum c est a, idque necessario, quoddam autem c est b, quoddam b necessario non est a. At uero cum affirmatio necessaria fuerit, siue ea in toto dicatur, siue in parte, uel negatio fuerit particularis, non erit conclusio necessaria: cetera enim eadem quae prius, afferemus. ubi autem affirmatiua uniuersalis necessaria fuerit, extrema sint, uigilia, animans, homo: sitque homo medium. Cum uero affirmatio in parte fuerit ac necessaria, sumentur haec, uigilia, animans, album. nam quoddam album necessario est animans: fierique potest, ut nullum animans uigilet: nec tamen efficitur, ut quoddam animans non uigilet necessario. Cum uero negatio particularis fuerit ac necessaria, extrema haec proponantur, bipes, motus, animal: sitque in his medium animal. Hinc igitur intelligi potest, conclusionem non fore absolutam, nisi propositiones ambae absolutae sint. At necessaria est, ubi altera tantum propositio necessaria fuerit: in ambobus autem,

DE  
autem  
portet  
pe ut a  
cessari  
neq; ab  
nuncia  
rio ab  
disfrim

De

De

quan  
cietur  
prae  
men  
enim  
tum  
autem  
to sunt  
nam no  
non esse  
tur. Q  
conseq  
est esse  
uel sibi  
dicitur  
sarium,

autem, siue affirmantes sint syllogismi, siue negantes, oportet alterum effatum complexioni respondere: nempe ut absolutū sit, si illa sit absoluta: necessarium, si necessaria. Ita id quoque perspicuum est, neque necessariam, neque absolutam fore connexionem, nisi antecedit pronunciatum necessarium, uel absolutum. Ac de necessario abunde satis, qua inquam ratione colligatur, quoque discrimine distinguatur ab eo quod absolute inest.

De coniungendis ac componendis effatis: de contingenti, ac ratiocinationibus ex eo conficiendis, quoque pacto recipitur in seipsum.

Cap. X.

De contingenti uero deinceps nobis est dicendum, quando, quaque uia, quibus item propositionibus conficietur syllogismus. Contingere autem ac contingens in presentia intelligo, id quod cum non sit necessario, si tamen ponatur, nullum inde sequitur incommodum. cum enim necessarium dicimus esse contingens, nominis tantum similitudine id facimus, & agnominacione. quod autem contingens id sit, quod diximus, abunde argumentato sunt affirmationes & negationes inter se contrariae: nam non contingens esse, & impossibile esse, ac necesse non esse, uel eadem sunt, uel certe sese mutuo consequuntur. Quod si ita est, eorum quoque contraria sese mutuo consequuntur. Hac enim, accidit esse, non impossibile est esse; non necesse est non esse, uel eadem sunt plane, uel sibi inuicem adiuncta: de re enim quauis affirmatio dicitur, uel negatio. Ita fit, ut contingens sit non necessarium, & non necessarium contingens. At uero hoc in-

contin-

contingenti reperitur, ut omnes de eo propositiones in se mutuo commeent ac reciprocentur. quod non ita intelligo, quasi affirmationes in negationes commutentur: sed quia speciem affirmandi habent, in oppositas commutari. uerbi causa, contingit esse, in hanc commutari potest, contingit non esse: item, in omni contingit, in hanc commeat, in nullo contingit, aut non omni. Item, in aliquo contingit, in hanc uertitur, non omni accidit. quod idem fit in cæteris. Nam quia contingens non est necessarium, quod autem huiusmodi est, potest non esse: hinc constat, si contingit b esse a, contingit & non esse: quod si accidit in omni reperiri, accidit & in nullo reperiri. Eadem est affirmationum in parte ratio: eadem enim est in his demonstrandi uia. At uero propositiones huiusmodi affirmant, non negant. Nam uerbum accidendi (quod & prius diximus) eodem fungitur munere, quo ipsum esse. His igitur ita constitutis, rem ab initio repetamus. Vocabulum accidendi duobus modis usurpamus: altero, pro eo quod frequentius fit, & à necessario deficit: cuiusmodi hæc sunt, hominem canescere, augeri, tabescere, & (ut semel dicam) quicquid aptum est ut in sit. Id enim non habet perpetuam necessitatē, quia non semper est homo. hic tamen cum est, aut necessario illud est, aut certe plurimum. Altero modo accidere id dicimus, quod incertum est & indefinitum, quodq; ita & secus euenire potest. cuiusmodi hæc sunt, animās incedere: aut dum incedit, terram concuti, & (ut uno uerbo dicam) quicquid fit forte fortuna. eorum enim omnium nihil in hæc partem natura magis est propensum, quam in contrariam. Quocirca utraq; contingentis acceptio in contra-

rias propositiones recipiatur, sed non eodem plane modo. Quin quod natura propensius est, conuertitur in non necessarium. eo modo dicimus, contingens est, hominem non canescere: quod autem indefinitum, & usque deq; est, in id mutatur quod in utranq; partem ex æquo uergit. Ac de his ita incertis, neq; scientia constitui potest, nec ratiocinatio euidens, quia medium inconstans est. De his autem quæ natura propensa sunt in partem alteram, potest quidem constitui: quin disciplina ferme omnes, ac inquisitiones de his fiunt, quæ ita accidunt. de illis autem ut ratiocinatio fieri possit, non solent tamen quæstiones institui: sed de ea posterius explicabimus fusius. Iam uerò dicamus, quando, quæque uia, ac cuiusmodi futura sit ex contingentibus propositionibus ratiocinatio. At uerò cum hæc dicendi forma, accidit hoc illi inesse, duobus modis intelligi possit, tum de eo cui insit, tum de eo cui inesse possit: hæc enim loquendi ratio, de quocunque b contingit, & a dici horum utrunque designat, uel de quo dicitur b, aut de quo dici potest: hæc autem inter se nihil differunt, in quocunque b, & a quoque eidem accidere, & omni b inesse posse a. Planum igitur, duobus modis accipi posse illud, contingit a in omni b inesse. In initio igitur dicamus, quis sit futurus syllogismus, cum b accidit ipsi c, a uerò ipsi b: ita enim ambæ propositiones contingentes sumuntur. cum autem a ei accidit, cui b inest, altera absoluta est propositio, altera contingens. Ducendum igitur nobis est initium ab ijs quæ similia sunt, ac eiusdem formæ, quod & aliàs fecimus. Quum a accidit omni b, b uerò omni c, syllogismus erit perfectus, quo colligetur,

a accidere omni c: quod ex sinitione perspicuum est. ita  
 enim antea explicuimus, accidere omni. Haud secus, si  
 a nulli b accidit, b autem omni c, a nulli c accidet. Di-  
 ximus enim, cui b accidit, a non accidere, id sibi uelle, ut  
 ne unum quidem omittatur ex ijs quibus b accidit. At  
 uerò quum a omni b accidit, b uerò nulli c, ex prolo-  
 quijs ita acceptis nulla nascitur ratiocinatio: quòd si ef-  
 fatur ex b c commutetur pro natura accidentis, is ipse  
 erit syllogismus, qui paulo antè expositus est. Nam quia  
 accidit, ut b nulli c in sit, potest & inesse omni: id enim  
 antea docuimus. Ita si b omni c accidit, a uerò omni b,  
 idem iterum oritur syllogismus. Hoc idem fit, si amba-  
 bus propositionibus contingentibus adijciatur negatio:  
 uerbi causa, si a nulli b accidit, b uerò nulli c. Vt enim  
 ex pronuntiatis ita sumptis nulla constituatur ratiocina-  
 tio, si tamen ea commutentur, eadem erit quæ super-  
 rior. Ex quo perspicuum est, nullum planè fieri syllo-  
 gismum: aut fieri quidem, sed imperfectum, ubi nega-  
 tio uel minori extremo adijciatur, uel etiam ambabus  
 propositionibus. Necessariò enim ita demum colligitur  
 complexio, si primùm reciprocatio fiat. At ubi pronun-  
 ciatum alterum uniuersale fuerit, alterum in parte: si uo-  
 niuersale maiori extremo coniungatur, perfectus erit  
 syllogismus. Nam si a omni b accidit: b uerò alicui c, a  
 quoq; alicui c accidit: quod facile intelligitur ex inter-  
 pretatione eius quod omni accidit. Iam si a nulli b ac-  
 cidit, b uerò cuidam c, necessariò consequitur, ut a cui-  
 dam c possit non inesse: cuius rei probanda eadem est,  
 quæ superius, ratio. Quòd si particularis propositio ne-  
 gatiua sumatur, uniuersalis autem affirmatiua, & eun-  
 dem

DE PRIMA RESOLVTIONE. 131

dem retineant situm, ut a omni b accidit, b cuidam c accidit non inesse: syllogismus ex propositionibus ita acceptis non habet uim apertam. Quod si reciprocetur particularis, ac sumatur, b alicui c accedere, eadem quæ prius sequetur complexio, quemadmodum initio fecimus. Sin maior in parte fuerit, minor uero in toto, nullo pacto hinc fiet syllogismus, siue affirmet ambæ, siue negent, siue qualitate euariant: si etiam ambæ indefinitæ sint, aut particulares. Nihil enim uetat, quo minus b excedat ipsum a, nec æqualiter dicatur. Sumatur igitur c pro eo, quo b excedit ipsum a: sanè huic nec omni, nec nulli, nec alicui, nec non alicui accidit ipsum a: etiam si reciprocetur contingentes propositiones, modò b pluribus accidat, quàm a. Quod autem ita constitutis propositionibus primum postremo, modò omni, modò nulli, accidere sit necesse; extrema planè ostendunt. Siniq; hæc extrema omnibus communia, in quibus necessariò insit primum postremo, animans, candidum, homo: in quibus non inest, animans, candidum, uestimentum. Nullum autem fieri syllogismum constitutis ita extremis, hinc manifestum euadit: quia syllogismus omnis, aut colligit inesse, aut necessariò inesse, aut quid cuiquam accedere. Quod autem is syllogismus nec inesse colligat, nec necessariò inesse, hinc intelligitur: affirmatiua enim conclusio tollitur negatiua, negatiua uero per affirmatiuam euertitur. Restat, ut primum postremo accidat: quod fieri non potest. Ostendimus enim, si ita statuatur extrema, primum postremo omni inesse necessariò in nonnullis, in alijs nulli inesse: idq; necessariò. Non igitur contingens fuerit conclusio: quippe

quod necessarium est, id ab eo quod accidit, diuersum esse diximus. Constat igitur, ubi extrema uniuersaliter accepta fuerint in contingentibus propositionibus, semper fieri syllogismū in prima figura, siue affirment, siue negent, præterquam quòd si affirment, perfectus est futurus: si negent, imperfectus. Contingens autem & accidens id sumendum est, quod à necessario distinguitur, quo modo diximus: non quod cum eo conuenit, id quod nonnunquam ægrius discernitur.

Coniunctio contingentis, & absoluti in prima figura. Cap. XI.

Quòd si altera propositio absoluta sit, altera uerò contingens, cum accidere significabit, ea quæ maiori extremo cohærebit, perfecti erunt qui hinc orientur syllogismi, & de contingenti, ut antea explicuimus. Quòd si minori extremo coniungatur, imperfecti erunt omnes syllogismi, ac priuantes, nec secundum contingentis acceptionem antè expositam, sed quòd aut nulli, aut non omni necessario insit. Si enim nulli, aut non omni ex necessitate insit, accidere dicimus, ut id nulli, aut non omni insit. Fac igitur, ut a omni b accadat, b uerò omni c insit, tum quia c sub b comprehensum est, a autem accedit omni b, perspicuum est, illud idem ipsi c accidere, sitq; perfectus syllogismus. Eodem modo suis numeris absolutus fuerit syllogismus, quo colligetur accidere, ut a nulli c insit, si priuans fuerit propositio a b, affirmatiua autem b c, sitq; de contingenti sumpta a b, pura uerò b c. Constat igitur, perfectos constitui syllogismos, ubi minor propositio absoluta fuerit: quòd si opposito modo res habeat, syllogismi quoque erunt: quod

DE PRIMA RESOLUTIONE. 133

quod ab absurdo ostendi debet. Unde quoque perspicuum fiet, imperfectos eos fore: quippe qui ex propositionibus acceptis probari nequeant. Est autem primum exponendum, si cum *a* sit, necessario *b* erit: si *a* esse possit, posse esse *b*, idque necessario. Faciamus enim, dum res ita habeat, ut loco *a*, possibile collocetur: pro *b*, impossibile: tum possibile, dum fieri potest, fiat: impossibile uero, quia fieri nequit, ne fiat. Iam cum *a* possibile sit, *b* impossibile, tum fieri potest, ut *a* fiat sine *b*: quod si fieri, esse quoque potest: quod enim factum est, ubi demum fuerit factum, tum est. Possibile autem, & impossibile, non in faciendo modo accipienda sunt, sed & in uero, absoluto, & quotcumque alijs modis in uniuersum possibile accipitur: in omnibus enim eadem erit ratio. Præterea si *a* sit, *b* quoque esse: non est ita accipiendum, neque protinus existimandum, quasi ex eo quod unum quid, ut *a* sit, *b* fore. Nihil enim quicquam ex uno tantum necessario consequitur: sed ex duobus minimum. idque, ubi proloquia ita fuerint in ratiocinationis formam exposita, ut antea præceptum est. Nam sic dicitur de *d*, ipsum uero *d* de *f*, necesse est ut *c* de *f* dicatur. Quod si propositiones ambæ possibile sint, conclusio quoque possibilis erit. Quemadmodum igitur, si *a* pro propositionibus accipiat, *b* uero ut complexio: hinc fiet, ubi *a* necessarium fuerit, *b* quoque necessarium esse: neque id modo, sed si illud possibile fuerit, hoc quoque possibile fore. Quare ita constituta, constat, ubi falsum quidem positum fuerit, non tamen impossibile, id quod inde accidit, falsum quidem esse ex fictione: impossibile non item, uerbi causa, si *a* falsum quidem

fit, non tamen impossibile: cum autem *a* est, *b* quoque consequitur: sane *b* falsum erit, non item impossibile. Cum enim monstratum sit, ex *a* consequi *b*, hoc autem possibile esse, si illud quoque possibile sit: fingamus autem *a* esse possibile, *b* igitur possibile erit: si enim impossibile esse dicas, accidet, ut idem possibile sit, & impossibile. His igitur rebus ita expositis, faciamus ut omne *b* sit *a*, & omne *c* possit esse *b*. hinc necesse est, ut omne *c* possit esse *a*. Quod si lubet, fingamus non posse, & hoc nobis concedatur, ut omne *c* sit *b*. quod ut falsum sit, non est tamen impossibile. tum si omne *c* non potest esse *a*, cum omne *c* sit *b*: non omne *b* potest esse *a*. sit enim in figura tertia syllogismus. At uero antea positum erat fieri posse, ut omne *b* esset *a*: colligitur itaque necessario, ut omne *c* possit esse *a*. Cum enim res falsa, non tamen impropria ex fictione posita fuisset, quod ex ea consequitur, impossibile est. Illud ipsum ductu ad incommo- dum in prima figura ostendere etiam licet, si concedamus, ut *c* sit *b*. nam si omne *c* est *b*, omne autem *b* potest esse *a*, *c* quoque omne potest esse *a*: cum tamen positum sit, non omne posse. Quod autem dicimus omni inesse, non est accipiendum, tempore quodam præfinito, quasi nunc sit, aut hoc uel illo tempore, sed omnino. ex eiusmodi enim propositionibus syllogismos constituimus. Quod si propositio in ipso articulo, & tempore præfinito accipiatur, nullus inde fiet syllogismus: nihil enim fortasse prohibuerit, omne quod moueatur, hominem esse aliquando, nempe si præter hominem nihil moueatur: omnis tamen equus potest moueri, at nullus equus potest esse homo. Præterea loco ipsius *a*, sumatur animal,

sitque

fit; argumentum id quod mouetur, postremus autem  
 limes sit homo; tum propositiones eodem modo se ha-  
 bent ut antea, complexio tamen necessaria est, non con-  
 tingens: quippe necesse est hominem animal esse. Hinc  
 planum est, uniuersale illud simpliciter accipiendum  
 esse, non tempore præfinito. Rursus a b proloquium  
 uniuersale capiatur, & priuans, ut nullum b sit a: om-  
 nne autem c possit esse b. his ita constitutis, efficitur,  
 ut nullum c possit esse a. sin minus, faciamus ut c sit b,  
 eo modo quo prius necessario efficitur, ut quoddam b  
 sit a: constituitur enim in tertia figura syllogismus.  
 hoc autem est absurdum. Contingit igitur, ut nullum  
 c sit a. cum enim res falsa ponatur, non tamen impossi-  
 bilis, ex ea impossibile quid sequitur. Hic autem syllo-  
 gismus non est de contingenti, ut definitum est, sed  
 quod nulli necessario insit: hoc enim est contrarium fi-  
 ctionis iam constitutæ. est enim positum, ut quoddam  
 c necessario sit a. Syllogismus autem ad incommodum  
 de contraria & aduersa conficitur. Quod autem com-  
 plexio contingens non sit, termini id planè indi-  
 cant. accipiamus enim loco a coruum, pro b intelli-  
 gens, loco c hominem: sanè nullum b est a, nulla enim  
 res intelligens est coruus. at omne c potest esse b, quip-  
 pe cum omnis homo intelligere possit: at necessario nul-  
 lum c est a: non est igitur complexio contingens, quin  
 nec perpetuò necessaria. Constituamus enim ut a sit  
 quod mouetur, b uerò scientia, & c homo: tum nullum  
 b est c, b autem omni c inesse potest: complexio inde  
 consequens necessaria non erit. neque enim est necesse,  
 nullum hominem moueri, imò uerò quempiam non est  
 necesse.

necesse. Hinc perspicuum est, complexionem sequi, ut  
 nulli insit necessario. Sunt autem commodius sumenda  
 extrema. Quod si assumptio negatiua sit, & contin-  
 gens, ex his propositionibus ita acceptis nullus fit syllo-  
 gismus: quod si contingens retroeat, fiet syllogismus ut  
 antea. Faciamus omne b sit a, fieriq; posse ut nullum c  
 sit b, dum extrema ita se habent, nihil efficitur neces-  
 sario, quod si permutetur b c, & accipiatur omne c  
 posse esse b, eo modo fit syllogismus quo antea: quippe  
 cum eundem habeant situm extrema. Eadem est ratio,  
 ubi priuantia fuerint ambo interualla: dum a b signifi-  
 cet non inesse, b c accidere nulli. Ut enim per proposi-  
 tiones acceptas non efficiatur necessaria argumentatio,  
 si tamen permutetur contingens propositio, illico fiet  
 syllogismus. Sit enim sumptum, nullum b esse a: item  
 fieri posse, ut nullum c sit b: ex his nihil efficitur ne-  
 cessario. Quod si sumas, omne c posse esse b, ut res ha-  
 bet: propositio autem a b eadem seruetur, idem rursus  
 efficietur syllogismus. Quod si sumptum sit, omne c non  
 esse b: non item non accidere, non inesse: nulla inde fiet  
 quouis pacto ratiocinatio, siue a b propositio affirmet,  
 siue neget. Sint autem omnium comunia extrema, quib-  
 us ostendatur necessario inesse, album, animans, nix: ex-  
 tremata alia, quibus ostendatur non posse inesse, album, a-  
 nimans, pix. constat, si extrema uniuersaliter sumantur,  
 & altera propositio absoluta sit, altera contingens,  
 dum minori extremo coniuncta fuerit propositio con-  
 tingens, perpetuo fieri syllogismum: praeterquam quod  
 nonnunquam ex ipsis propositionibus fiet, aliquando  
 propositione una commutata. Quando autem utrunque

horum

horum fiat, & qua de causa, superius exposuimus. Quod si altera uniuersalis intercapedo fuerit, altera in parte tantum, syllogismus semper erit perfectus, dum maiori extremo uniuersalis contingens iungatur, siue affirmet, siue neget: particularis autem affirmatiua sit absoluta, non aliter ac cum extrema uniuersaliter accipiantur. Huius rei probatio eadem est quæ superius. Vbi uerò propositio maiori extremo iuncta in toto fuerit, & absoluta, nec contingens: altera uerò in parte, ac contingens, siue negent ambæ, siue affirmet: seu altera neget, aiat altera, syllogismus erit omnino imperfectus. Hoc interest, quod alij ductu ad incommodum ostendentur, alij per reciproca contingens, quemadmodum in superioribus fieri diximus. Adde quod syllogismus erit ex permutatione, ubi propositio maiori extremo iuncta uniuersalis fuerit, quæ esse, uel non esse significet: altera uerò particularis priuans, & cōtingens; ut si omne b sit a, aut non sit, & fieri possit ut quoddam c non sit b: si b c commutetur secundum naturam cōtingens, constituitur syllogismus: ubi uerò particularis propositio significet non esse, nullus fiet syllogismus. Extrema ad docendum inesse, sint hæc, album, animans, nix: quibus autem docetur non inesse, album, animans, pix. Est enim probatio ostendēda ex indefinito. Quod si uniuersalis sit propositio, quæ minori extremo coheret, quæ aut ad maius extremum posita est, sit particularis, aiens, negans, contingens, an absoluta, nihil refert. Quocumq; enim modo habeat, nullo pacto syllogismus constituitur. Nihil item magis syllogismus futurus est, cum in parte uel indefinitæ propositiones fuerint, siue contingentes fuerint, siue

absoluta, seu etiam ordine inuerso. Eadem est huiusce rei ostendenda ratio quæ prius, & extrema communia ad ostendendū inesse necessario, animans, album, homo: at quibus ostenditur posse inesse, animans, album, uestis. Hinc perspicuum est, cum maiori extremo uniuersalis propositio apposita fuerit, perpetuò firmam esse rationationem: quòd si minori extremo adiungatur, nihil ullo pacto inde colligi.

Coniunctio necessarij & contingentis.

Cap. XII.

At uerò, ubi proloquiorū alterum necessario esse, uel nō esse significauerit, alterum autem accidere, modo extrema eodem pacto ac antea se habeant, efficietur syllogismus, isq; perfectus, cum minori extremo necessarium iunctum fuerit. Complexio uerò contingens erit, non absoluta, si ambæ propositiones affirmatiuæ sint, siue uniuersales sint ambæ, siue non sint. Quòd si altera affirmet, altera neget, cum affirmans necessaria fuerit, conclusio erit contingens: nec significabit, non inesse quid. sin necessaria sit ea quæ negat, colligetur, & accidere non inesse, item non inesse, seu in toto sint extrema, seu non sint. Est autem contingens in complexione & eo modo intelligendum, quo accipi superius diximus: neque autem colligetur, necessario non inesse. Hæc enim maximè diuersa sunt, non necessario esse, & necessario nō esse. Sanè complexionem necessariam non effici, ubi extrema affirmantur, hinc perspicuum est. Faciamus enim, ut omne b necessario sit a, & omne c accidat esse b: syllogismus sanè imperfectus erit, quo colligetur, omne c accidere esse a. Hunc autem imperfectum esse, ex ipsa

ipsa probatione constat: eodem enim modo ostenditur  
 colligere, quo superiores. Rursum accadat, ut omne  $b$  sit  
 $a$ , sit uero omne  $c$  necessario  $b$ ; hinc sane colligetur, om-  
 nne  $c$  posse esse  $a$ : esse uero, non item. atq; hic perfectus  
 est, & nulla ex parte imminutus: ilico enim absoluitur  
 ex propositionibus ab initio sumptis. Quod si uariae ac  
 dissimiles fuerint propositiones, fingamus negantem ef-  
 se necessariam, ut nullum  $b$  sit  $a$ , nec esse possit, idq; ne-  
 cessario: omne autem  $c$  possit esse  $b$ : necessario efficitur,  
 ut nullum  $c$  sit  $a$ . concedamus enim, uel omne  $c$  esse  $a$ , uel  
 aliquod: consensum autem fuit, nullum  $b$  posse esse  $a$ .  
 Quia igitur recipiatur negatiua, & nullum  $a$  potest  
 esse  $b$ : admittitur autem, omne  $c$  esse  $a$ , uel certe quod-  
 dam: nullum igitur  $c$  potest esse  $b$ , aut quoddam esse ne-  
 quit: cum ab initio omne  $c$  esse  $b$  concessum sit. Constat  
 autem posse colligi, accidere inesse, quandoquidem col-  
 ligitur non esse. Rursum sit affirmatiua propositio ne-  
 cessaria, sitq; contingens, ut nullum  $b$  sit  $a$ , omne autem  
 $c$  sit  $b$  necessario: syllogismus sane perfectus erit, quo  
 colligetur non esse, sed posse non esse: quippe ita accipi-  
 tur maior propositio. Nec licet hinc in absurda deduce-  
 re: si enim admittatur, nullum  $c$  esse  $a$ : est autem con-  
 cessum, fieri posse ut nullum  $b$  sit  $a$ , nullum hinc effi-  
 citur incommodum. Quod si negatio minori extre-  
 mo iuncta sit, & significauerit accidere, syllogis-  
 mus erit per recipiacionem, quemadmodum an-  
 tea fieri diximus. Quod si significet non posse esse,  
 nullus erit syllogismus: ne si ambæ quidem priuantes  
 sint, minor autem non fuerit contingens. Sunt au-  
 tem extrema eadem, in quibus alterum alteri insit, al-  
 tum,

bum, animans, nix; in quibus non in sit, album, animans,  
 pix. Eodem pacto res habebit in particularibus syllo-  
 gismis. cum enim priuans necessarium fuerit, efficietur  
 non esse: ut si nullum b possit esse a, quoddam c possit  
 esse b, hinc necesse est consequi, quoddam c non esse a.  
 nam si omne c sit a, nullum autem b potest esse a, sanè  
 nullum quoq; a potest esse b. Itaque si omne c est a, nul-  
 lum c potest esse b. At modò concedebatur, quoddam c  
 posse esse b. Quando uerò affirmatiua particularis ne-  
 cessaria fuerit, ea inquam quæ in syllogismo priuante, ut  
 b c, uel etiam uniuersalis in affirmante syllogismo: uerbi  
 causa, a b: non colligetur aliquid esse, cuius rei eadem est  
 probatio, quæ superioribus adhibita est. Quòd si uniuersalis  
 minori extremo iuncta sit contingens, siue affirmet,  
 siue neget, maior autem sit particularis & necessaria,  
 nulla est ratiocinatio. Extrema in quibus alterum alteri  
 in sit necessario, animans, album, homo: in quibus inesse  
 nequeat, animans, album, uestis. Vbi uerò uniuersalis  
 necessaria fuerit, particularis autem contingens, si uni-  
 uersalis priuatiua sit, extrema affirmantia, animans, al-  
 bum, coruus: negantia, animans, album, pix. Quòd si u-  
 niuersale affirmet, extrema affirmandi hæc sint, animal,  
 album, cygnus: negandi uerò, animal, album, nix. Neq;  
 item syllogismus erit, ubi ambæ indefinitæ fuerint pro-  
 positiones, aut particulares. Extrema communia aien-  
 di, animans, album, homo: negandi, animans, album, in-  
 animum. Quoddam enim album animans est, quoddam  
 etiam inanimum est album, & id necesse est esse, nec  
 unquam esse potest. In contingenti itidem fit: extrema  
 igitur hæc ad omnes modos ualent. Ex his quæ exposui-  
 mus,

DE PRIMA RESOLUTIONE. 143

mus, perspicuum est, si extrema eodem modo collocata fuerint, in absolutis & necessarijs fieri syllogismum, & non fieri eodem modo in ambobus: præterquam quod in absolutis, ubi priuans fuerit propositio, complexio erit contingens: in necessarijs autem complexio tum contingens, tum absoluta erit. Id etiam intelligitur, omnes esse imperfectos syllogismos, eosq; per figuras antè expositas perfici.

De ratiocinationibus ex ambobus pronuntiatis  
contingentibus in secunda figura.

Cap. XIII.

Nulla erit in secunda figura ratiocinatio, cum ambo ex contingenti fuerint, seu affirmet, seu negent, seu in toto sint, seu in parte. Quod si alterum esse, alterum accidere significet, sitq; absolutum affirmans, ne tum quidem syllogismus erit: ubi autem negans fuerit uniuersale, syllogismus semper erit. Eadem erit ratio, ubi alterum fuerit necessarium, alterum contingens. Contingens autem in his intelligendum est, quod in complexionibus locum habet, ut & antea intelligebatur. Principio uerò ostendendum est, contingens negatiuum non reciprocari: nempe si a nulli b inesse possit, non necessario reciprocatur, ut b nulli a accidat. sit enim hoc admissum, ut b nulli a inesse possit: iam cum commeent affirmationes ex contingenti in negationes, aduersæ in aduersas, contrariæ in contrarias, b autem contingit inesse nulli a, constat & omni inesse posse: id quod sanè falsum est. Ut enim hoc illi omni accidat, non continuo necesse est, illud huic omni accidere: ita non commeat negatio. Iam quid uetat, quo minus a nulli b accidat, b uerò alicui a

non insit, idq; necessariò: uerbi causa, fieri potest, ut ò  
 mini homini album non insit, cum omni inesse possit. At  
 falsum est, hominem accidere nulli albo, quandoqui-  
 dem in multis non inest, idq; necessariò: necessarium au-  
 tem à contingenti diuersum esse diximus. Quin ne ab  
 absurdo quidem commeare probabitur: nempe si quis,  
 quia mendacium sit nulli a accidere ipsum b, roget qua  
 si uerum sibi cōcedi, non nulli accidere (hæc enim aiunt  
 & negant) quod si uerum sit, ex eo effici putet, ut a-  
 liquod a necessariò sit b, atque ita quoddam b esse a,  
 quod fieri non possit: non enim si nulli a ipsum b non  
 accidat, continuò quoddam a necessariò est b: cum il-  
 lud, nulli rei non accidere, duobus modis intelligatur:  
 uno, si alicui necessariò insit: altero, si alicui necessariò  
 non insit. Nam quemadmodum id quod in aliquo neces-  
 sariò inest, falso dixeris, in toto posse reperiri: ita quod  
 in aliquo a necessariò non est, non uerè asseuerabis in  
 toto eo non posse esse. Quapropter si quis ex eo quòd c  
 in toto b non accidat, postulet sibi concedi, in illo aliquo  
 ipsum ex necessitate non esse, falsum profecto is sumat,  
 quandoquidem in toto fortasse reperitur. At in toto non  
 accidere, ideo dicimus, quia in nonnullis est necessariò.  
 Quo fit, ut in aliquo ex necessitate esse, in aliquo item  
 non esse, ambo illi aduersentur: in toto, inquam, posse  
 esse, huic item in nullo accidere. Hinc igitur constat,  
 ex eo accidenti & non accidenti, quod iniitò exposui-  
 mus, non modò sumi oportere in aliquo esse necessariò,  
 sed etiam in aliquo ex necessitate non esse, quod si sumat-  
 ur, nullum ex eo sequitur incommodum: ita nulla effi-  
 citur ratiocinatio. Ex ijs quæ bucusq; diximus, perspi-  
 cuum

## DE PRIMA RESOLVTIONE. 143

eum est, negationem non recipiari. quod cum abun-  
 de probatum sit, ponamus in nullo *b* accidere ipsum *a*, in  
 illo autem toto ipsum *c*. sanè ratiocinatio nulla efficitur  
 per reciprocationem: quando quidem paulo antè docui-  
 mus, enunciationem huiusmodi retrò non commeari.  
 Nec item ab absurdo effici possit: ut enim in toto *c* acci-  
 dere id concedatur, nihil inde falsum efficiatur: quippe  
 cum in toto *c*, & in eo ipso nullo, ipsum *a* esse possit. Hoc  
 autem constat, si quæ futura sit conclusio, de contingenti  
 eam perpetuò fore, eo quòd nullum sumptum sit pronun-  
 ciatum absolutum, eamq; aut affirmantem, aut negan-  
 tem: at neutro modo fieri potest. Nam si affirmet, per  
 extrema docerimus non posse inesse: sin neget, conclusio  
 probabitur illa quidem necessaria esse, non item con-  
 tingens. Quod ut intelligamus, ponamus pro *a*, album  
 loco ipsius *b*, hominem: in ipso *c*, equum: sanè ipsum *a*,  
 quod pro albo intelligitur, in altero toto esse potest, in  
 altero uerò nullo: *b* uerò in ipso *c* nec esse potest, nec i-  
 tem non esse: ex eo enim non posse esse constat, quòd nul-  
 lus equus homò est. At quòd ne non esse quidem possit,  
 ex eo intelligitur, quòd necesse sit, nullum equum homi-  
 nem esse: necessarium autem à possibili diuersum esse di-  
 ximus, nulla igitur eo modo efficitur conclusio. Eadem  
 erit probandi ratio, si priuatio diuersam habeat disposi-  
 tionem: ubi item ambæ enunciationes affirmant, uel ne-  
 gent: quippe ex ijs ipsis finibus res ipsa confirmabitur:  
 itè si altera in toto sit, altera in parte: aut ambæ in par-  
 te, aut indefinitæ: seu quo alio modo permutari illæ pos-  
 sunt. nam ad ea omnia demonstrada, eadem adhibebun-  
 tur extrema. Hinc igitur hoc est manifestum, si ambo  
 pronun-

pronunciata de accidenti sumantur, nullam fore conclusionem.

De coniunctione earum enunciationum,  
quæ quid esse dicunt, & quid acci-  
dere, in secunda figura.

Cap. XIII.

Quod si unum quid esse dicat, alterum autem quid accidere, hoc autem affirmet, illud uero neget, ne tum quidem syllogismus erit; seu in toto, seu in parte sumantur extrema: cuius rei confirmadæ eadem est quæ prius ratio, & per eos ipsos fines efficitur. At ubi affirmans accidere dixerit, negans uero inesse, tum stabit ratiocinatio. Quod ut intelligatur, ponamus a in nullo b esse, in toto uero c idem posse esse; cõme ante negatione, ipsum b in nullo a reperietur, a uero in toto c accidit. hinc sanè efficitur cõclusio in prima figura, nulli c accidere b. Quod idem fiet, si negatio ipsi c adijciatur. Quod si ambo pronuntiata negent, ut alteri neget esse, alterum posse non esse dicat, ex enunciationibus ita propositis nihil ex necessitate efficitur. Quod si ea quæ est ex accidenti recipietur, efficitur conclusio, ut nulli c accidat ipsum b, eodem atq; antea modo. ita enim prima figura repetetur. Quod si ambo effata affirmant, iacebit conclusio. Extrema consentanea sint hæc, ualetudo, animans, homo: repugnantia, ualetudo, equus, homo. Eodem modo res habet in syllogismis ijs qui sunt in parte. ubi enim affirmatio quiddam esse dixerit, seu in toto, seu in parte, nulla tum erit complexio: id quod eadem uia, ac ijs ipsis finibus ostenditur, quibus antecedentes. At ubi priuans fuerit, ex reciprocatione efficitur, ut & antea. Rursus  
si in-

si intercedat ambæ priuantes ita sumatur, ut in toto sit, quæ non esse aliquid dicit, sanè ex pronuntiatis ita digestis nihil efficitur necessario: efficitur aut complexio, si reciproceatur illud ex accidente. Quod si priuans esse quippiam dicat, idq; in parte, conclusio nulla erit, seu affirmet, seu neget pronuntiatum alterũ: ne si ambo quidẽ indefinita sint affirmãtia, aut negãtia, aut in parte. Cuius rei eadẽ est quæ prius confirmatio, ac per eos ipsos fines.

Dispositio necessarij & accidentis in secunda  
figura. Cap. XV.

At uerò ubi pronuntiatorũ alterum ex necessitate est, alterum uerò quidpiã accidere dixerit, si negatio necessaria sit, efficitur conclusio, non modò quòd possit non esse, sed et quòd non sit: quòd si affirmatio ea sit, iacebit conclusio. Sit enim hoc concessum, nullum in quã b esse a ex necessitate, omne uerò c posse esse a: tum commutata negatione, ne ullum quidem a est b: omne autẽ c poterat esse a: atq; ita rursum efficitur in prima figura complexio, nullum c posse esse b. Hoc etiam cõstat, nullum c esse b. nam faciamus esse: tum si a nulli b accidit, b uerò in aliquo c est, sanè a in aliquo c non accidit, cum omni accidere antea sit concessum. Idem erit probationis modus, si negatio ipsi c adijciatur. Rursum proponatur affirmatio necessaria, negatio uerò accidẽs, ut a nulli b accidat, omni uerò c necessario insit in ea finitũ dispositione nulla efficitur conclusio. quando quidem fieri potest, ut b in c ex necessitate non sit. ut si pro a statuas album, in b uerò hominem, in c olorem: sanè album in olore necessario inest, in homine uerò nullo accidit: homo tamẽ in nullo est olore, idq; necessario. Vnde perspicuum est, complexionem

plexionem contingentem non effici, cum necessarium & contingente maximè sit diuersum. Quinetiam ne necessaria quidem complexio inde sequitur: quando quidem effici eam diximus, aut ex necessarijs ambobus, aut ex priuante altero. Adde quòd, ut ea concedantur, potest tamen b in c reperiri. Quid enim uetat, c sub b comprehendi, à uerò ipsi b toti accidere, ipsi uerò c ex necessitate inesse? uerbi causa, si in c intelligatur uigilia, in b animans, loco uerò ipsius a motus: in uigilante enim motus est necessariò, animanti autem toti accidit: cum tamen omne quod uigilat, sit animans. Vnde constat, ne conclusionem quidem fore, quæ non esse dicat: quippe cum in ea dispositione necesse est quippiam esse: nec item contrarias enunciationes colligi, ita nulla planè efficitur conclusio. Eadem erit probationis uia, si permutetur affirmatio. At ubi similes & cognatæ propositiones fuerint, si ambæ negent, semper sequitur complexio, reciprocan te ea quæ est de contingenti, eo quo diximus modo. Sit enim sumptum, a in b necessariò non esse, in c uerò posse non esse: tum si commutentur propositiones, & b in nullo a erit, a uerò in toto c poterit esse, sanè eo modo struitur prima figura: hoc idem fiet, si ipsi c negatio adijciatur. Quòd si affirmantes ambæ sint, nulla est futura conclusio. Constat enim eam non fore, quæ quippiam non esse dicat, aut ex necessitate non esse, eo quòd priuans propositio nulla sumpta sit, quæ uel esse, uel necessariò esse dicet, quin ne colligetur quidem posse non esse, cum b in c non insit necessariò, extremis ita collocatis: nempe si a intelligamus album, b cygnum, c uerò hominem. nec itè conclusio erit affirmationũ aut negationũ contrariarũ,

DE PRIMA RESOLUTIONE. 147

cum probatum sit *b in c* necessariò non esse. nullo igitur pacto syllogismus efficitur. Eodem modo res habet in syllogismis, qui sunt in parte: cum enim priuans in toto fuerit, & necessaria, perpetuò efficietur conclusio, tum quæ accidere dicat, tum quæ non esse. Cuius rei confirmatio per reciprocationem facienda est. Vbi uerò affirmatio ea fuerit, nulla planè ratiocinatio erit. Id enim eadè uia, ijsdem item finibus monstrabitur, quibus in uniuersalibus modò usi sumus. Ne tum quidem erit, cum ambæ affirmantes firmentur: eius enim rei eadem est, quæ antea, confirmatio. Vbi uerò ambæ quidem negent, in toto aut sit, ac necessaria ea quæ nõ esse significat, sanè ex ijs quæ sumpta sunt, nihil necesse est effici. Quòd si contingens illa propositio reciprocetur, stabit ratiocinatio eo modo, quo antea. Sin ambo proloquia indefinita proponantur, aut in parte, nulla erit ratiocinatio: id quod eadem ratiocinatione, ijsdem item extremis confirmatur. Ex ijs igitur quæ exposuimus, perspicuum est, ubi priuans uniuersa fuerit & necessaria, conclusionẽ effici. non modò quòd possit quippiam non esse, imò uerò quòd non sit: quòd si affirmans ea sit, nullam conclusionem sequi. Hoc etiam constat, ubi in necessarijs et absolutis eadem seruetur finium dispositio, eodem modo fieri, & non fieri ratiocinationem. Est & hoc manifestum, omnes eas ratiocinationes imperfectas quidem esse, perfici autem & absoluti in figuris ijs quas commemorauimus.

De ratiocinationibus quæ ex ambobus contingentibus in tertia figura struuntur.

Cap. X V I.

At uerò in tertia figura efficietur conclusio, seu

k 2 ambo

ambo pronunciata accidentia sint, seu alterum tantum. Sanè cum ambo accidere significauerint, complexio quoq; accidens erit. Idem fiet, si alterum accidere, alterum esse quid dixerit. Quòd si alterum necessarium fuerit, ubi affirmauerit illud quidem, complexio consequetur, neq; necessaria, neq; absoluta. At quum necessarium illud fuerit priuans, colligetur quidpiam non esse, ut in superioribus fieri diximus. Est autem in his contingens illud intelligendum eodem modo, quo in complexione. Sint igitur ambo cōtingentia primum, ut  $\& a \& b$  ipsi c omni accidant. Iam cum affirmans in parte retrò commeet, b autem omni c accidat,  $\& c$  quoq; cuidam b acciderit: ita si a omni c accidat, c uerò alicui b, necesse est profectò, ipsum a alicui b accidere. Nam ita struitur prima figura. Quòd si a nulli c accidat, b uerò in toto c inesse possit, necesse est, ut a in aliquo b possit non esse: quippe cum iterum fiat prima figura per reciprocatio- nem. Quòd si ambo priuantia proponantur, ex rebus sanè cōcessis nihil efficietur necessariò. Quòd si retrò commeet pronunciata, efficietur cōclusio, eo modo quo antea. Si enim  $\& a \& b$  possint non esse in c, ex reciproca- tione rursus fiet prima figura. Vbi uerò finium alter in toto fuerit, alter in parte, ubi eadem fuerit eorum dispo- sitio quæ in absolutis, eodem quoq; modo erit, uel non ea- rit ratiocinatio. Faciamus enim, ut a omni c accidat, b ue- rò alicui c, profectò si inuertatur ea propositio, quæ est in parte, iterum efficietur prima figura. Nam si a in toto c inesse potest, c uerò in aliquo b, a sanè in aliquo b inesse potest. Eadem est ratio, si ipsi c adijciatur uniuersalis nota. Item ubi a c priuans fuerit, b c affirmans: ex inuer- sione

DE PRIMA RESOLVTIONE. 149

sione enim rursus fiet prima figura. At ubi ambæ enun-  
 ciationes negant, altera in toto, altera in parte, ex ijs eo  
 modo sumptis nulla efficitur cõplexio. quòd si recipro-  
 centur illæ, efficitur sanè eo, quo antea, modo. Quòd si  
 ambæ indefinitæ sumantur, aut in parte, nullus erit s̄lo-  
 logismus: quippe cum necesse sit, a in b & toto & nullo  
 reperiri. Extrema consentanea sunt hæc, animans, ho-  
 mo, album. Dissidentia uerò, equus, homo, album, in qui-  
 bus ipsum album medium est.

Coniunctio accidentis & absoluti in tertia  
 figura. Cap. XVII.

Vbi autem effatum alterũ quid esse dixerit, alterum  
 quid accidere, colligetur quidpiam accidere, esse non itẽ.  
 Constat autem ratiocinatio in eadem extremorum di-  
 spositione, qua prius. Faciamus enim primũ, ut affir-  
 ment illa, ut a sit in toto c, b uerò toti c accidat: retrò cõ-  
 meante ipso b c, prima figura efficitur, colligeturq; a in  
 aliquo b posse inesse: hoc enim diximus, ubi in prima fi-  
 gura pronunciatũ alterum significet quid accidere, com-  
 plexionem effici accidentem. Hoc idem fiet, ubi ipsum  
 b c dixerit esse, a c uerò accidere: item ubi a c neget, b c  
 affirmet, & utrumuis esse significet, utroque modo con-  
 tingens erit complexio. Fit enim iterum prima figura,  
 in qua si pronunciatum alterum sit contingens, conclu-  
 sionem quoque contingentem fore docuimus. Quòd si  
 minori extremo iungatur negatio contingens, uel ambo  
 pronuntiata negent, in positis pronuntiatis nulla est ratiocinatio: erit autem, si hæc reciprocentur, quemadmo-  
 dum fit in superioribus. Vbi uerò pronunciatorum al-  
 terum in toto sit, alterum in parte, affirmentq; ambo, uel

certè quod in toto est, neget: quod autem in parte, affirmet, idem erit ratiocinationum modus. omnes enim per primam figuram perficiuntur. Vnde perspicuū est, collatum iri, non quidem esse, sed accidere. Si autē affirmet uniuersale proloquiū, particulare uerò neget, confirmatio ducetur ab absurdo: ut si *b* sit in toto *c*, *a* uerò alicui possit non inesse, necessariò efficitur, ut *a* in aliquo *b* possit non esse. Nam si *a* in toto *b* necessariò reperiat, est iam concessum, ipsum *b* in toto *c* inesse: ita ipsum *a* in toto *c* necessariò erit. id enim antea probauimus. At pro certo habebatur, in aliquo posse non esse. Vbi uerò ambae indefinitae, aut in parte sumuntur propositiones, nulla erit conclusio. Cuius rei eadem est, quae in uniuersalibus fuit, probatio, ac per eos ipsos fines.

Connexio necessarij ac contingentis in tertia figura. Cap. XVIII.

Quando uerò pronuntiatiū alterū necessariū est, alterū cōtingens, et affirmant ambo, cōclusio perpetuò contingens erit. Vbi autē alterū ait, alterū negat, si aiens sit necessariū, colligetur posse non esse: sin negans id fuerit, cōcludetur tū posse non esse, tum non esse: necessariò nō esse, nequaquā, ut nec in alijs figuris. Faciamus primum, ut ambo extrema affirment, ut *a* in toto *c* necessariò insit, *b* uerò in toto *c* esse possit: tum quia *a* in toto *c* necessariò inest, *c* uerò alicui *b* accidit, *a* quoq; alicui *b* accidat, nō inerit: eo. n. modo in prima figura colligebatur. Eadē erit probādi uia, si illud *b* *c* sit necessariū, *a* cōtingens. Rursus alterū aiat, neget alterū, sitq; aiens necessariū, ut *a* in nullo *c* esse possit, *b* uerò in toto *c* necessariò insit, iterū sanè fiet in prima figura. Conclusio autē contingens

DE PRIMA RESOLVTIONE. 194

iungens erit, non absoluta: quippe cum pronunciatū pri-  
 uans dicat accidere. Ex quo perspicuū est, conclusionem  
 fore cōtingentē: cum enim eo modo digestæ essent pro-  
 positiones in prima figura, sequebatur cōtingens cōple-  
 xio. Quod si priuās sit necessariò, cōplexione colligetur,  
 posse in aliquo non esse, itē & non esse. Ponamus enim,  
 a in c non esse ex necessitate, in eodem autē toto ipsum b  
 posse esse, si affirmatio illa b c cōmutetur, fiet prima fi-  
 gura, in qua priuans propositio sit necessaria: ex qua di-  
 spositione diximus effici, ut a in quodā c possit non esse,  
 & non sit. Neesse est igitur, a in aliquo b non esse. Cum  
 autē negatio minori extremo iuncta sit, eaq; cōtingens,  
 ratiocinatio erit, si pronunciatū illud permutetur, ut &  
 antea fiebat: sin necessaria sit, nulla erit cōclusio, quippe  
 cum alterū in altero toto sit necessariò, in nullo item esse  
 possit. Alterum in altero toto est, ut in his, somno, equo,  
 homine dormiente. In nullo uerò, ut in his, somno, equo,  
 homine uigilante. Eadem ratione si extremum alterum  
 in toto medio sit, alterum in parte tātum, aiantq; ambo,  
 efficietur, alterū alteri accidere, illi inesse non item. Colli-  
 getur item contingens conclusio, si negetur unum, affir-  
 metur alterum, & hoc sit necessarium. nam si quod ne-  
 gatur necessariū sit, colligetur quidpiam non esse. Est e-  
 nim eadē probandi ratio, seu in toto sint extrema, seu nō  
 sint, cum in prima figura instaurentur syllogismi. In his  
 igitur, ut illis, euenire est neesse. Quando uerò negatio  
 in toto minori extremo iuncta fuerit, eaq; contingens,  
 ratiocinatio per reciprocationē efficietur. sin necessaria  
 ea fuerit, nulla erit conclusio: id quod eadem uia, iisdem  
 item extremis confirmabitur, ac in uniuersalibus. Hinc

igitur planè intelligi potest, quando, quoq; modo, in hac quoque figura futura sit ratiocinatio, quando accidere quid, quando item quidpiam esse colligetur. Manifestum est etiam, omnes syllogismos imperfectos quidem esse, in staurari autem eos ac perfici in prima figura.

Quòd omnis ratiocinatio ad illas tres figuras referatur, extra quas nulla planè reperitur. Cap. XIX.

Ex ijs quæ hucusq; exposuimus, constat, qui in his figuris fiunt syllogismi, per eos uniuersales perfici, qui in prima figura struuntur, ad eosq; referri: ubi uerò ostenderit, ratiocinationem omnem in aliqua earum figurarum strui, perspicuum erit, eandem esse omnium syllogismorum rationem. Necessè est igitur, demonstrationem omnem ac ratiocinationem efficere, ut quidpiam sit, uel non sit: idq; aut in toto, aut in parte, & recta probatione, uel ex fictione. Huius autem fictæ probationis pars ea est, quæ sit ab absurdo. Primum igitur de ratiocinatione ea recta probante differamus, in qua si res semel est probata, in reliquis facile perspicietur: in ea inquam, quæ est per incommodum, & omnibus quæ sunt ex hypothesi. Si igitur colligendum sit, ipsum a in illo b esse, uel non esse, necessè est ut aliquid de aliquo confessum sit præsumptum. Quòd si sumatur, a de b dici, in argumentum sumetur quæstio proposita in initio: si autem ipsum a de c dici sumatur, c uerò de nullo alio, nec de illo aliud, nec de a quicquam aliud, nulla erit ratiocinatio, quippe cum nihil efficiatur necessariò ex eo, quòd unum de uno sit sumptum: est igitur pronunciatum alterum assumendum. Itaq; si a in alio dici sumatur, aut aliud in

ipso

ipso *a*, aut aliquid aliud in ipso *c*, nihil uetat ratiocina-  
 tionem eo modo strui. Conclusio autem ex ijs ita sumptis,  
 nihil pertinebit ad ipsum *b*, ne si ipsum *c* in alio, hoc item  
 in alio, rursus hoc aliud in alio, ut nunquam quicquam  
 cum *b* coniungatur, ne tum quidem colligetur ipsum *b*  
 in *a*: cum à nobis hoc antea dictum sit, nunquam quic-  
 quam de alio ratiocinatione collectum iri, nisi medium  
 quoddam sumptum sit, quod ad utrumque illorum recta  
 quadam dicendi lege se habeat. Nam cum omnis inuni-  
 uersum ratiocinatio ex propositionibus cōstet, profectò  
 quæ ad quiddam certum pertinet, ex ijs conficitur propo-  
 sitionibus, quæ ad illud affectæ sunt: & quæ hoc in illo  
 concludit, ex ijs struitur, quæ hoc cum illo coniungant.  
 fieri autem nequit, ut pronunciatum quoddam sumatur  
 ad concludendū ipsum *b*, cum de eo nihil affirmetur aut  
 negetur: nec item ad colligendum *a* in *b*, si nihil ambo-  
 bus cōmune sumatur, sed de utroq; seorsum propria non-  
 nulla affirmentur, aut negetur. Vbi igitur hoc de illo  
 ratiocinatione est concludendum, medium quid in ijs est  
 sumendum, quod ea quæ dicuntur copulet ac uinciat.  
 Quando ergo quidpiam ambobus commune sumi oportet,  
 id tribus modis fieri potest. Nam aut *a* de *c*, & *c* de  
*b* dicetur, aut *c* de ambobus, aut ambo de illo. hæc autem  
 sunt figuræ & nobis expositæ: perspicuum est, syllo-  
 gismum omnem in aliqua ex ijs figuris necessariò strui.  
 Eadem enim est ratio, ubi per plura media ipsi *b* con-  
 iungetur *a*; in pluribus enim eadem quæ in paucioribus  
 erit figura. Ex his igitur constat, ratiocinationes omnes  
 recta probantes per figuras expositas effici.

Quòd autem in ijs quæ sunt ex hypothesi, eodem

modo res habeat, hinc intelligitur. Nam omnes quæ per incommo- dum quidpiam efficiunt, falsum quid concludunt: propositum autem ex hypothesi probant, quando quidem ex contrario posito aliquid eueniat, quod fieri non possit: uerbi causa, cõcludimus dimetientem nullam cum latere rationẽ habere, ex eo quod si aliquam habere posueris, sequetur, imparia paribus esse æqua. Sande concluditur, numeros impares paribus esse æquos. At dimetientem irrationabile esse, ex hypothesi monstratur: nempe quia ex illius contrario quidpiam falsum euenit. Illud enim est, quod dicimus concludere per impossibile, quidpiam ex hypothesi initio proposita cõcludere, quod fieri nequeat. Cum igitur in ratiocinationibus ijs quæ ad incommo- dum deducunt, recta ostendatur, ac cõcludatur quidpiam falsum, questio autem proposita probetur ex hypothesi: & paulo antè docuimus, quæ aliquid recta ostenderet, omnem per aliquam ex tribus illis figuris effici: manifestum est ratiocinationes ex incommo- do per eas quoque fieri: nec eas modo, sed & quæ sunt ex hypothesi pari ratione omnes. transsumptum enim omnes quidem concludunt, propositum autem ex consensu ac conuentione probatur, aut ex alia aliqua hypothesi. Quod si ita est, necesse est demonstrationem ac ratiocinationem omnem per tres illas figuras, quas exposuimus, effici. Cum autem hoc planè probatum sit, manifestum inde est, syllogismum omnem per primam figuram per fieri, & quemlibet ad eos referri, qui in ea sunt uniuersales.

Iam uerò in omni ratiocinatione necesse est extremum alterum affirmari, unum item in toto sumi: quippe cum sine illo toto nullus planè sit syllogismus. uel certè

ad propositum non pertinebit, aut propositam initio  
 quæstionem postulabit. Ponamus sanè, uoluptatem ex  
 musica esse honestam. Si quis igitur postulet, uoluptas  
 tem esse honestam, absq; eo quòd dicat omnem, ratioci-  
 natio nulla erit: quòd si quãdam honestam esse postulet,  
 eamq; aliam, hoc nihil ad rem propositã: sin eam ipsam  
 roget, positam quæstionem sumit. Hoc autem clarius cer-  
 netur in demonstrationibus mathemeticis: uerbi gratia,  
 si probandum sit, qui in æquicruro ad basin sunt angu-  
 li, inuicem esse æquos. Ducantur ad centrum lineæ a b  
 iam si pro certo sumat, angulum a c æquum esse angu-  
 lo b d, non omnino id postulans de semicirculorum an-  
 gulis. Rursus si assumat, angulum c angulo d æquum ef-  
 se, nec id in omni angulo sectionis sumat, tum si quærat,  
 a totis æqualibus angulis, si æquales tollantur, qui re-  
 stant æquales esse, propositum is postulabit: nisi sumat,  
 si ab æqualibus æqualia auferantur, reliqua esse æqua-  
 lia. Hinc igitur perspicuum est, in omni ratiocinatione  
 quidpiam uniuersale esse oportere, conclusionemq; uni-  
 uersalem ex ambobus finibus in toto probari: eam ue-  
 rò quæ sit in parte, tum hoc, tum illo modo. Vbi igitur  
 conclusio in toto est, fines quoque in toto sumi ne-  
 cesse est. Vbi uerò hi in toto sumuntur, fieri potest, ut  
 conclusio non sit in toto. Planum est autem, in omni  
 ratiocinatione, aut pronunciata ambo complexioni si-  
 milia esse necessariò, uel certè alterum: non modò in-  
 quam, qua aiat, aut neget, quin & qua necessarium sit,  
 uel absolutum, uel accidens. Quod in alijs quoq; dicendi  
 rationibus obseruandum est. Constat autem omnino,  
 quando futura sit, uel non sit ratiocinatio: quando item  
 perfici

perfici possit, quando perfecta sit: & ubicunq; ratiocinatio fuerit, fines eo modo necessario esse collocandos, quo antea exposuimus.

Hoc etiam constat, demonstrationem omnem ex tribus finibus modo, non pluribus strui. Nisi forte per diuersa argumenta complexio eadem colligatur: ut si e complexio per a b, & c d, aut per a b, & a c, & b c probetur. Quid enim causæ est, quo minus eiusdem complexionis probandæ plura sint & diuersa argumenta? Vbi autem plura fuerint, plures quoq; ratiocinationes erunt, non una. Vel etiam ubi pronunciatum utrunq; a in quâ, & b, syllogismo effectum fuerit, ut sit a per d e, b uerò per f g: uel alterum inductione, ratiocinatione alterum confirmetur: eo quoq; modo plures erunt ratiocinationes, cum complexiones sint plures: nempe tum a, tum b, tum c. Quòd si una ratiocinatio fiat, non plures, illo quidem modo licebit eandem conclusionem uarijs argumentis effici: ad c autem per a b, ut plura sint media, fieri nullo modo potest. Ponamus enim conclusionem e, quæ ex a, b, c, d colligatur: profectò necesse est, ex ijs quædam ad alia rationem totius habere, alia uerò partium. Id enim dudum ostendimus, ubi ratiocinatio sit, quædam extrema inter se ita affecta esse oportere. faciamus igitur, ut a ad b ita affectum sit, profectò ex ijs complexio quædam sequitur, eaq; aut e, aut c, aut d, aut quæpiam diuersa ab ijs. Quòd si ipsum e inde concludatur, ex solis a b ratiocinatio constabit. Quòd si c d rationem inter se totius & partis habeant, quidpiã quoq; ex his efficietur: nempe uel e, uel alterum ex illis a b, uel etiam quidpiam diuersum. Quòd si sequatur ipsum e, uel a etiam, uel b, profectò

DE PRIMA RESOLUTIONE. 157

fectò plures fuerint ratiocinationes: aut eandem conclusi-  
 onem per fines diuersos probari accidet eodem modo,  
 atq; antea fiebat. Si uerò quidpiam ab ijs diuersum se-  
 quatur, plures erunt ratiocinationes, eæq; à se inuicem di-  
 screte. Quòd si illud c ad d non sit ita affectum, ut ratio-  
 cinationem componere possint, frustra sanè sumpta sint:  
 nisi forte aut ad inductionē, aut ad disceptationem oc-  
 cultandam, aut ob aliquam aliam causam huiusmodi  
 id fiat. Quòd si ex ipsis a b diuersa quædam sequatur  
 conclusio, non ipsum e: ex c d uerò, aut alterum illorum,  
 aut quidpiam ab illis diuersum, plures sanè ratiocinatio-  
 nes fient, non tamen ad quæstionem propositam: quippe  
 eum propositum esset, ipsum è syllogismo concludere.  
 Quòd si ex ipsis c d nulla conclusio efficiatur, frustra sa-  
 nè ea sumpta sint, nec conclusione colligetur initio pro-  
 posita quæstio. Constat igitur, omnem in uniuersum de-  
 monstrationem, omnem item ratiocinationem ex tribus  
 tantum finibus strui.

Quod cum planè intelligatur, perspicuum quoq; est,  
 duobus tantum pronunciatis eam constare, non pluri-  
 bus: quippe cum tres fines duo tantum pronunciata effi-  
 ciant, nisi quidpiam extrinsecus accedat ad perficiendū  
 ratiocinationem, ut initio à nobis dictum est: unde luce  
 clarius apparet, in qua ratiocinatione pronunciata ea  
 non sunt paria, ex quibus principalis conclusio efficitur  
 (oportet enim nonnullas ex complexionibus anteceden-  
 tibus pro enunciatis accipi) eam inquam argumentatio-  
 nem aut nihil collegisse, aut plura postulasse quàm quæ  
 ad quæstionem necessaria essent. Itaq; si ratiocinationes  
 in potioribus tantum pronunciatis cernantur, ex his pa-  
 ribus

ribus omnes struentur, finibus uerò imparibus. Cum hæc pronunciata uno uincant: complexiones autem dimidia pars pronunciatorum erunt. At ubi probabitur conclusio per ratiocinationes antecedentes, uel per media plura non coniuncta, ut si a b per c & d probetur: numerus finium eodem modo uincet numerum pronunciatorum: finis enim ille insertus aut extrà collocabitur, aut medius inseretur. Quod utrouis modo fiat, pauciora erunt interualla extremis: pronunciata autem æqualia sunt interuallis. Nec uerò hæc perpetuò paria erunt, illi uerò impares, sed uicibus permutatis, cum pronunciationes pares fuerint, fines erunt impares: ubi uerò hi sint pares, pronunciationes erunt impares: quippe cum adiuncto extremo uno, simul accedat pronunciatum unum, undecunque extremum illud accedat. Quia igitur pares erant propositiones, fines uerò impares, ubi fit ea accessio, necesse est id permutari: complexiones uerò eundem locum ac rationem non seruant ad fines & proloquia. Vbi enim extremum unum accedit, adijciuntur simul complexiones una tantum pauciores extremis antegressis. finibus enim alijs sua cuiq; efficitur conclusio, ultimo tantum non fit. ut si ipsis a, b, c, adijciatur ipsum d, continuo accedunt conclusiones duæ: altera quidem ipsi a, altera uerò illi b. Quod idem fit & in alijs. Quod si finis ille medius inseratur, eadem erit ratio. tantum enim ad unum non concludet. Plures igitur erunt complexiones & extremis & pronunciatas.

Quando uerò ex nostra disputatione intelligitur, quæ sunt ea de quibus struuntur syllogismi, qualia item in quaq; figura, quotq; modis probari possint: facile quoq; intelligere

DE PRIMA RESOLUTIONE. 159

intelligere possimus, quæ nam quæstiones ad probandum difficiles sint, quæ ite paratæ & faciles. Sunt enim eæ faciles ac expeditæ, quæ per plures figuras, modos item ac casus concluduntur: quæ uerò in paucioribus probantur, & per casus non item multos, eæ magis sunt difficiles & perplexæ. Sanè affirmatio uniuersalis per primam tantum figuram concluditur, idq; uno tantum modo. Negatio uerò per primam & mediam: ac per illam una tantum ratione, per hanc uerò duobus modis. Affirmatio autem, quæ est in parte, in prima & postrema figura concluditur: ac in prima uno tantum modo, in postrema tribus. Negatio uerò in parte in omnibus figuris probatur, præterquam quod in prima unico tantum modo, in media uerò duobus, in postrema tribus. Vnde planè liquet, uniuersalem affirmationem agrè admodum astrui, euertere autem facile. Est autem omnino facilius multò, quæ in toto sunt quæstiones euertere, quam quæ in parte. Nam seu in nullo, seu in aliquo non in sit, euertuntur: quorum hoc in omnibus figuris efficitur: illud autem in duabus. Eadem est ratio priuantiu. Nam seu in toto sit, seu in aliquo, tollitur quæstio proposita: id autem in duabus figuris fieri posse diximus. In ijs autem quæ in parte sunt quæstiones, unico modo fit refutatio: nempe si aut in toto, aut in nullo rem esse probes. Ad confirmandum autem magis sunt expeditæ quæstiones in parte: quippe cum & in pluribus figuris, & per plures modos concludantur. Et ut semel finiam, neminem ignorare oportet, quæ sunt in toto quæstiones, per eas quæ sunt in parte, has uerò per illas uicissim refelli. In confirmatione autem uniuersales quæstiones per particulares astrui

astrui minime possunt: hæc uerò per illas maxime. illud etiam constat, refutandi negotium facilius esse multo, quam confirmandi. Ex ijs igitur, quæ exposuimus, perspicuum est, quæ uia struatur omnis ratiocinatio, quot extremis ac pronunciatis ea constet, quamq; hæc ratio nem inter se habeant: quæ item quæstiones in quibus figuris concludantur, quæ item in pluribus, quæq; in paucioribus probentur.

De copia pronunciatorum paranda, pars altera. Cap. XX.

Iam uerò exponendum nobis est hoc loco, quo pacto ratiocinationum copia nobis suppetit ad quæstionem, quæq; uia ac ratione initia in unaquaq; sumamus. Neq; enim satis est, syllogismorum struendi rationem nosse, nisi eorum componendorum facultatem habeamus. Rerum igitur quædam tales sunt, quæ in nullo alio uerè & in toto dicantur: ut Cleon, & Callias, & quicquid singulare est, & sub sensum cadit. In ijs uerò aliæ dicuntur: eorum enim uterq; & homo est, & animans: aliæ uerò de alijs quidem dicuntur: aliæ uerò priores de his non item. Nonnullæ de alijs dicuntur, & de ijs aliæ: ut homo de Callia dicitur, de homine animans. Constat igitur, res quasdam esse quæ de nullo alio suapte natura dicantur: quæ enim sub sensum cadunt, omnia ferme talia sunt, ut in nullo dicantur, nisi fortuito: dicimus enim non nunquam, hoc album esse Socratem, illud quod accedit esse Calliam. Quod autem sursum uersus procedendo aliquando fit status, alio loco iterum dicemus ac confirmabimus, id hoc loco quasi concessum ponamus. In his igitur concludi non potest aliud dici, nisi fortè quorundam

dam opinione id fiat, quin ea ipsa in alijs dicentur. Nec item singularia in alijs, sed alia in illis dicuntur. Quæ autem in ijs media sunt, utraq; rationem admittere possunt. Nam & ipsa de alijs, & alia de ipsis dicentur: ac omnis ferme disputatio, ac commentatio de ijs potissimum instituitur: in ijs autem omnibus propositiones hoc modo sumendæ sunt. principio proponendum est, de quo agitur, eius finitionem, ac omnes rei proprietates: tum rei consequentia, & antecedentia, ac repugnantia ea quæ in re esse nullo modo possunt. nec enim ea sunt sumenda, in quibus res esse nequit, cum retrò commet negatio: in consequentibus distinctione est utendum, quæ sint, quæ in rei essentia sint posita, quæ uerò illius proprietates: quæ item ut accidentia dicantur, in ijsq; quæ nam opinione sint in re, quæ reuera. Nam quò maior fuerit eorum omnium uis ac copia, eò expeditius propositum cõcludemus: quò autem ueriora fuerint, melius reus demonstrabimus. Sunt autem ea deligenda, nõ quæ rem aliquam, sed quæ totum consequantur: uerbi causa, non sunt sumenda quæ homini alicui, sed quæ omni sint consequentia. Constat enim ratiocinatio uniuersalibus pronuntiatis: ubi autem sumitur indefinitum effatum, ambiguum est, uniuersale sit nec ne: cum definitum est, facile intelligitur. Eodem modo sumenda sunt antecedentia ea, quæ omnino res ipsa consequatur, idq; ob eam ipsam causam. Nec uerò sumendum est, consequens totum sequi, nempe ad hominem omne animas, aut ad musicam omnem scientiam: sed sequi tantum, quemadmodum etiam proponimus illud ipsum. Illud enim præterquã quòd inutile est, fieri sane nullo pacto potest: uerbi cau-

sa, ut omnis homo, sit omne animans, aut iusticia omne bonum; antecedenti uero illi quidem iungi solet illud Omne. Cum autem aliquo contineatur propositum, cuius consequentia sunt sumenda, tum non sunt ea deligenda quæ totum sequantur, uel non sequantur, quippe cum in illis iam sumpta sint. Quæ enim animans consequuntur, ea quoque omnia hominem sequuntur: quæ uero in illo non insunt, ne in hoc quidem reperiuntur. At proprietates uniuscuiusque rei sumi debent: quippe cum quædam sunt speciei peculiare, non communes generi: in formis enim diuersis necesse est quasdam proprietates reperiri. Nec uero illud uniuersale in ijs requirendum est, quæ antecedunt id quod continetur, ut se habent ad animans hominis antecedentia, nam si animans hominem consequitur, illa quoque consequatur necesse est. Hæc autem ad hominis ipsius delectum proprie pertinent: sumi quoque debent, plurimum consequuntur, uel antecedunt. Nam ad quæstiones eas quæ plurimum eueniunt, ratiocinationes struuntur ex pronuntiatis, aut omnibus, aut nonnullis, quæ plurimum ita sint: quippe cum complexio rei cuiusuis suorum initiorum similitudinem quandam referat. Nec uero ea deligenda sunt, quæ aliquid omnino consequuntur, ut ex quibus ratiocinatio componi nequeat: cuius rei causa in progressu aperietur.

Ei igitur qui aliquid de aliquo toto confirmare uelit, in ea inspiciendum est, quæ illi subiiciuntur, quod sit astruendum, de quibus illud dicatur. Item in consequentia omnia eius, de quo id dici debeat. Nam si in ijs unum & idem reperiat, necesse est alterum in altero esse. Si uero sit propositum, non in toto, sed in aliquo tantum esse.

esse, sumenda sunt utriusque antecedentia. Si enim in  
 his aliquid unum sit, necesse est alterum in altero esse:  
 quando uerò concludendum erit, quippiam in alio nullo  
 esse, tum ratio habenda est consequentium eius, in quo  
 aliud esse probandum est: expendenda sunt & repu-  
 gnantia, quæ inesse nequeunt ei, quod probandum est  
 non inesse. Aut uerò contra, subiecti repugnantia, &  
 attributi consequentia accipienda erunt. Nam si hæc,  
 quæcunq; illa sint, eadem reperiantur, alterum in altero  
 nullo esse poterit: ita enim fit ratiocinatio modò in pri-  
 ma figura, modò in media. Quòd si in aliquo aliud non  
 esse concludendum sit, eius antecedentia accipienda sunt,  
 cui inesse oporteat: & ea repugnantia, quæ ei inesse ne-  
 queant, eius quod in altero non esse probandum est. Nam  
 si ex ijs aliquid unum & idem reperiat, necesse est, ut  
 alterum in altero aliquo non reperiat: uerum quæ à  
 nobis dicuntur, singula hoc modo forsan magis erunt  
 perspicua. Constituamus enim consequentia ipsius a in  
 b, eius uerò antecedentia in c, repugnantia uerò, & quæ  
 illi inesse nequeant in d; rursum in f, intelligantur ea  
 quæ ipsi e in sunt: antecedentia uerò, & quæ ipsum con-  
 sequitur, in g; ea autem quæ ipsi inesse nequeant, in b.  
 Sanè si quoddam c cum aliquo f conueniat & idem sit,  
 necesse est a in toto e esse. ipsum enim f in toto c inest,  
 a uerò in toto c ita fit, ut a sit in toto e. Quòd si c & g  
 idem sint, necesse est a in aliquo e reperiri: quippe cum  
 a consequatur c totum: e uerò ipsum g quoq; sequatur  
 omnino. Quòd si fortè f & d conueniant, in nullo e in-  
 erit a, idq; per prosyllogismum. Cum enim negatio reci-  
 proceatur, & f & d idem sint, in nullo f erit a: e uerò in

toto finest. Rursus si b & h concurrant, in nullo e ipsum a inerit: nam b in toto a inest, in e uerò nullo: cum ipsum b cum h idem sit, & h in nullo e inesse diximus. Si uerò d & g in idem redeant, a in aliquo e non erit. Nam in ipso g non erit a: quandoquidem ne in d quidem inest: g uerò sub e continetur. ita ipsum a in aliquo e non erit. Quòd si g & b eadem sint, inuersa erit conclusio. Nam g in toto a erit, quippe cum b sit in toto a: e uerò in toto b, cum idem sit atq; g; hinc non efficitur necessariò, ut a sit in toto e: at in aliquo esse est necesse, quia reciprocatur affirmatio in toto in eam quæ sit ex parte. Constat igitur, in utraq; cuiusuis quæstionis parte ea esse spectanda quæ diximus, cum ex his struatur ratiocinationes omnes. Ac in consequentibus quidem, aut cuiusuis rei antecedentibus inuestigandis, priorum ac communiorum ratio est habenda potissimum: uerbi causa, in ipso e potius quærenda sunt l f, quàm f tantum: in a etiam sunt prius sumenda l c, quàm c tantum. Nam si a in c f reperitur, tum in f, tum in e inest. Quòd si illa non sequetur, fieri potest ut ipsi f sit consequens. Eadem est ratio habenda in antecedentibus illius. Nam si communioribus sit consequens, a quoque sequetur, quæ illis continentur: quòd si illa non sequatur, hæc tamẽ sequi possit. Apertum est autem ac perspicuum, in tribus extremis, ac pronunciatis duobus rationem illam esse positam, omnes item conclusiones in tribus figuris superioribus effici: tum enim probamus ipsum a in toto e reperiri, cum c & f eadem sint, ex his autẽ medium efficitur: extrema autem sumpta sunt a e, ita fit prima figura: illud autem in ipso aliquo ostenditur, cum c & g pro eodem sumuntur, quo modo efficitur figura postrema:

D  
postre  
rò esse  
& me  
inest,  
inest.  
in e u  
cum c  
tur. N  
tur lu  
guris  
esse ut  
tiocin  
firmat  
sequen  
uno es  
alias  
dum  
ant u  
repu  
inest  
confe  
dia f  
uerò  
non  
pron  
tri in  
nunci  
ficiu  
oport  
tur, b

postrema: ipsum enim  $g$  pro medio habetur, in nullo uerò esse concluditur, cū  $d$  &  $f$  eadē sint. at tum & prima & media figura efficitur: prima quidē, quia  $a$  in nullo  $f$  inest, quandoquidē retrocedit negatio:  $f$  autem in toto  $e$  inest. Media uerò efficitur, quia  $d$  in nullo  $a$  reperitur, in  $e$  uerò toto inest. Colligitur autem, in aliquo non esse, cum  $d$  &  $g$  eadem sint: quo modo postrema figura struitur. Nam  $a$  in nullo  $g$  inest,  $e$  uerò in eo toto est. Hinc igitur luce clarius apparet, omnem ratiocinationem in figuris illis strui, quas exposuimus, nec in delectu sumenda esse utriusq; consequentia, ut ex quibus nulla struatur ratiocinatio. ex consequentibus enim nulla planē fuit confirmatio: nec item quidpiā negare licet ex utriusq; consequentibus. Nam ad hoc efficiendum oportet aliquid in uno esse, in alio non item. Hoc autē per se est manifestum, alias omnes rationes ac uias delectus habendi, ad struendum syllogismum, esse planē inutiles: nempe si conueniant utriusq; consequentia, aut antecedentia ipsius  $a$ , & repugnantia, quæ ipsi  $e$  inesse nequeunt, uel quæ neutri inesse possunt: ex ijs enim nulla est ratiocinatio. Nam si consequentia eodem conueniant, ut  $b$  &  $f$ , efficitur media figura ex ambobus pronuntiatis affirmantibus: si uerò eadem sint antecedentia ipsius  $a$ , & quæ in  $e$  esse non possunt, ut  $c$  &  $h$ , fit prima figura ex posteriore pronūciato priuante, quod si eadem sumantur, quæ neutri inesse queant, ut  $d$  &  $h$ , priuantia sunt ambo pronūciata in prima aut media figura, quo modo nulla efficitur conclusio. Quod autē certa quedam eadem sumi oporteat, non alia aut aduersa ea, quæ hac arte continentur, hinc erit apertum: primum, quod cura ac cogitatio

tota medij inuestigandi causa suscipitur: medium autem unum est sumendum, & idem, non uariū: deinde aduersa omnia ac repugnantia, quæ eidem inesse nequeant, ex quibus forte syllogismus strui possit, omnia ad superiores modos referentur: ut si b & f sint contraria, aut quæ in eodem esse non possint. Nam si hæc ita sumantur, concluditur, a in nullo e esse: quod ex ijs sumptionibus non efficitur, sed ex ratione superiori, cum enim b sit in toto a, et in nullo e, necesse est, ut b cum aliquo h conueniat: præterea si b & g in eodem esse non possunt, concluditur a in quodam e non esse: nam eo modo fiet media figura. Nam b in toto a inerit, & in nullo g, ita g conueniet cum aliquo d: nihil enim refert, an b & g eidem repugnent, & inesse nequeant: an g cum quodam d sit idem. Nam in d comprehensa sunt omnia, quæ repugnant ipsi a: liquet itaq;, ex obseruatione huiusmodi nullam effici ratiocinationem. Quod si b & f sint aduersa, profectò b cum aliquo h conuenit, atq; ita ex ijs efficitur conclusio. Profectò qui res eo modo obseruant, ijs accidit, ut uiam quandam ac rationem aliam inuestigent ab ea quæ necessaria sit: idq;, quia non intelligunt b & h eadem esse.

Ut autem fit in ratiocinationibus ijs quæ institutum probant, eodem planè modo & in ijs quæ ad incommo- dum ducunt. Sunt enim hæc ex consequentibus & antecedentibus amborum, eademq; in ambabus adhibenda est obseruatio. Nam quod probando concluditur, ab absurdo quoque colligi potest, idq; per eos ipsos fines. Quod item ab absurdo colligitur, id etiam probatione colligitur. uerbi causa, nullum e esse a, ita probatur: faciamus quoddam e esse a: tum quia omne a est b, quoddam

item

item est a: sanè aliquod e esse b necesse est. at confessum erat, nullum planè esse. Rursus ita colligetur in aliquo esse: nam si a est in nullo e, e uerò in toto g, ipsum a in nullo g reperietur, cum antea in eo toto fuerit. Hoc idem fit in alijs quæstionum generibus: semper enim & in quouis concluditur propositum ab incommodo, per utriusq; antecedentia & consequentia. In quauis etiam quæstione eadem est sequenda ratio, seu propositum concludere uelis, seu aduersarium ad incommodum deducere: quippe cum ex iisdem sint extremis ambo modi concludendi. ut si conclusum sit, in nullo e esse a, colligetur ipsum b in aliquo e inesse: quod fieri nequit. Si sumatur ipsum b, in e quidem nullo, in a uerò toto inesse, perspicuū est ipsum a in nullo e fore. Rursus si rectà conclusum sit, ipsum a in nullo e inesse, hoc ipsum ex incommodo monstrabitur, si faciamus in aliquo esse. Quod eodem modo fit in alijs quæstionibus: in quauis enim extremum quoddam commune sumendum est, aliud ab ijs quæ subiecta sunt, in quo falsum colligetur: atq; ita inuerso eo pronunciat, altero autem eodem manente per ea ipsa extrema, efficietur ratiocinatio probans. Hæc enim ab ea differt, quæ est ad incommodum, quòd in hac pronunciatum alterum falsum accipitur, in illa ambo reuera ponuntur. Hæc autem in progressu magis explicabuntur, ubi de incommodo differemus. Id tantum in præsentia perspicuū erit, ad illa præcepta aduertendum esse, seu rectà concludere uelis, seu ad incommodum deducere. In alijs quoq; ratiocinationibus, quæ sunt ex hypothesi, cuiusmodi sunt quæ ex transsumpto fiunt, & quæ ex qualitate ducuntur, ad ea quoq; aduertendum est, quæ subiecta sunt

non in quaestione propofita, fed in trāslatitia. Est autem eadem planè animaduersionis ratio: intelligendum uerò nobis est, ac diuisione explicandum, quot sint modi ratiocinationum ex hypothesi. Hac igitur ratione unaquæ que quaestio concluditur: nonnulla tamen alia quoq; uia concludi possunt, ut uniuersales ex particularium inspectione, idq; per hypothesin. Nam si c & g eadem sint, & sumatur, ipsum e in solo g reperiri: ipsum a in toto e reperietur. Quòd si rursus d & g eadem sint, e uerò in g solo dicatur, concludetur, a in nullo e inesse. Constat itaq; eam esse animaduersionem adhibendam. Eadem est in necessarijs & contingentibus ratio: est enim in ijs eadem obseruatio. & in contingenti ratiocinatio erit per eadem extrema, ac eodem ordine posita, atq; in absolutis. Contingentis autem nomine ea quoq; intelligenda sunt, quæ cum non sint, esse tamen possunt: ostendimus enim, contingens per ea quoque concludi. Eadem quoq; est ratio in alijs dicendi modis.

Ex ijs quæ adhuc exposuimus, id constat, non modò hac uia ratiocinationes omnes strui posse, sed et alia nullo pacto esse. Cum enim antea probatum sit, ratiocinationes omnes in figuris antea expositis strui, illæ uerò ex alijs ac consequentibus & antecedentibus rei cuiusuis componi nequeunt, quippe cum ex ijs pronũciata fiant, et medium sumatur, profectò nulla ratiocinatio ex alijs potest effici. Omnium igitur quaestionum concludendarum, tum quæ in philosophia sunt, tũ quæ in quauis arte ac disciplina tractantur, una est & eadem uia & ratio. in re enim quauis cogenda sunt simul, quæ in ea insunt, & in quib. ipsa inest: earumq; maximã copiam parare, atq;

atque ita illa in tribus extremis contemplari, si evertas, hoc modo: si confirmes, illo. idq; si ad ueritatem agas, in ueris pronunciatis, & quæ re ipsa ita sint: si de dialectica ratiocinatione cogites, in probabilibus & ueris similibus. Ac ratiocinationū initia in totum exposuimus, tum quomodo inter se affecta esse debeant, tum quæ sit eorum conquirendorum ratio, ne præcepta omnia, quæ exposuimus, in singulis inspiciamus, nèue in confirmando & refutando eadem sequamur; in toto itē ac in parte astruendis, aut in ijs evertendis: sed pauca quædam, ac certa nobis sint ad obseruandum proposita. In singulis autem rebus sic sunt deligenda principia, ut aut ipsius rei quæ proposita sit, principia quæras, ut boni; aut sciētiae principia. Sunt autem propria cuiq; arti permulta: unde & initia illa in quaq; re afferre, hominis est in ea maximè uersati & periti. uerbi causa, ex peritia, quæ in rebus est astrologicis, astrologia petita sunt principia. quippe ubi astrorum ratio longa obseruatione comperita est, tum inuenta sunt & instituta de astrologia demonstrationes; id quod in cæteris tum artibus, tum sciētijs, eodem modo habet, quæcunq; sunt illæ tandem. Vbi igitur inuenta fuerint, quæ in unaquaq; re insunt: nostrū tum erit, demonstrationes continuo ex ijs edere. Nam si in inuestiganda rei natura nihil sit prætermissum, quod illi reuera & planè insit; licebit sanè rerum omnium, quæ ostendi possint, demonstrationem instituere & adferre. Explicare etiam facile erit, si quid ita sit natura comparatum, ut demonstrari nequeat. Quo igitur pacto pronuntiata deligenda sint ad opus, in totum fermè exposuimus; de qua ratione diligentius ac subtilius in commentario

ratio de Arte dialectica differuimus.

Huius autem uia ac rationis particulam quãdam esse eam quæ per genera fit diuisione, facile intelligi potest, cum diuisio sit quasi imbecilla quædam ratiocinatio: postulat enim, id quod probare oportuit, semper autem quidpiam superius concludit. id quod ignorarunt, quicumque ea sunt usi, atque inde rei naturam probare conati sunt: quasi uerò natura rei ac essentia demonstratione concludi possit. ita nec intellexerunt, quid diuisione concludi possit: nec hoc item eo, quo diximus, modo concludi potuisse. Ac cum demonstratione concludendum est, quippiam esse, medium id, quo struenda est ratiocinatio, semper sumi oportet minus ac angustius priori extremo, non de eo toto dici. At contra fert diuisio: sumit enim uniuersum medium. Nam ponamus pro a, animans, pro b, mortale, in c uerò immortale: homo uerò, cuius definitio sumi debet, loco ipsius d locetur: sane sumit, qui diuidit, omne animans mortale esse, aut immortale: perinde ac si dicas, omne a aut esse b, aut c: tum ponit, hominem esse animans. sumit igitur, ipsum a in d inesse: concluditur itaque, omne d aut esse b, aut c: atque ita hominem necessario mortalem esse, uel immortalem. At animans esse mortale solum, non efficitur necessario, sed postulatur, cum tamen concludendum id fuisset. Rursus si quis constituat, a esse animans mortale, b uerò pedestre, loco ipsius c expes, in d uerò hominem intelligat: eodem pacto sumit a aut in b esse, aut in e, nam omne animal mortale, aut pedestre est, aut expes. a item in d esse: sumit enim, hominem animal esse mortale. ita necessario efficitur, ut homo sit animal pedestre, uel expes: non autem, ut sit pedestre. sed hoc sumit, cum id  
rursus

rursus illa argumentatione concludendum esset. Ita in omni diuisione hoc modo accidit, mediū uniuersale sumit extrema uerò, id de quo sit concludendū, & differentia, demū nil planè afferunt, quo efficiant necessariò ac doceant, quidnam homo sit, uel aliud quiduis, de quo agatur. Hæc enim illis una ratio est pro omnibus: nec interim quæ huius probationis uis esse possit, suspicantur. Perspicuum est autè, nihil hac uia nec in accidentibus, nec proprietatibus aut genere euertere posse, aut concludi. deniq; in quibus omnibus quæstio est, itane an secus res habeatur cuiusmodi hoc est, sit ne dimetiens rationalis, an irrationalis. Nam si sumat, qui diuidit, lineam omnem rationalem esse, aut irrationalem, ac dimetiendam esse lineam: inde efficitur, dimetiendam rationalem esse, aut irrationalem. Quod si sumat, eam esse irrationalem, id ipsum ponit, quod concludi oportuit, atq; ita propositum probari nequit. cum enim hæc sit diuisionis ratio, & per eam probari non possit aut rationale, aut irrationale (sit loco a linea: in b uerò, rationale, aut irrationale; in c, dimetiens) constat, non ad omnem modò disputationem, non conferre illam inuestigandi rationem: sed ne ad eam quidem, cui maxime accommodata uideretur. Est igitur ex ijs quæ adhuc exposuimus, dilucidum, quibus ex rebus, quæq; ratione ac modo demonstrationes componantur, quæ item sint in quouis genere quæstionis obseruanda.

De ratiocinationum resolutione, pars tertia.

Cap. XXI,

Dicendum autem deinceps fuerit, quomodo ratiocinationes referamus ad figuris eius, quæ antea exposuimus. Nam hoc unum ex proposita disputatione

tatione restat: tum demum enim ad finem perductum erit propositum, cum & syllogismorum structuram intellexerimus, & eorum inueniendi facultatem habuerimus, & structos iam & compositos in figura superiorum res resoluendi. In quo hoc etiam consequemur, ut ex ijs quæ postea explicabuntur, confirmentur quæ antea exposuimus, eorūq; clarior sit & apertior ueritas: quippe cum uera omnia necessario cōsentiant. At principio entendum est, ut duo pronunciata ratiocinationis secernas, quando quidē facilius est diuisio illa, quæ in maiores partes fit, quam quæ in minutiores: tota autem suis partibus sunt maiora. Tum animaduertendum, utrum in toto sit, utrum in parte. Quod si ambo sumpta non sint, & expressa, alterum sumendum est, & supponendū. Nam & qui scribunt, & qui differunt, ubi pronunciatiū uniuersale proposituerint, quod est in eo comprehensum omittunt: aut hæc quidē ponunt, ea autem prætermittunt, ex quibus hæc concluduntur, quippe quæ frustra postularentur. Est autem diligenter hoc obseruandum, sit ne sumptum quidpiam superuacaneum, an prætermissum quicquam, quod necessariū esset: atq; hoc adiungendum est, illud abijciendum, quousq; ad duo tandem pronunciata peruenit sit. nisi enim hæc ita fiant, resolui ac reduci non possunt ratiocinationes rogatæ. Ac in nonnullis statim perspicitur, si quid desit: in alijs res est obscurior. ratiocinari enim uidentur, quia ex pronunciatis semel positis ac concessis quidpiam efficitur necessario: uerbi causa, si sumptum sit, nisi essentia aliqua tollatur, essentiam non tolli: quod si partes tollantur, illud quoque perire, quod illis constat. Nam si semel ea sint posita, necessario

inde

inde efficitur, partem essentiae essentiam esse. ex pronun-  
 ciatis tamen assumptis id non est ratiocinatione conclu-  
 sum: imò pronunciata desunt, quibus id efficiatur. Rur-  
 sum, si ubi homo sit, necesse est animans esse: quando ue-  
 rò animas sit, essentiam esse: necessario quidem efficitur,  
 si homo sit, essentiam quoq; esse. necdum tamen ratioci-  
 natione id effectū est: quippe cum non eo modo colloca-  
 ta sint pronunciata, quo praecepimus. In his autē ideo de-  
 cipimur, quia quemadmodum syllogismus argumentatio  
 est necessaria, ita hic ex pronunciatis cōcessis efficitur a-  
 liquid necessario. at argumētatio necessaria in pluribus  
 dicitur, quam syllogismus: quippe cū ratiocinatio omnis  
 necessaria est, non quicquid necessario cōcludit, ratioci-  
 natio est. Itaq; non si quid ex pronunciatis propositis ne-  
 cessario efficitur, continuo est enitendum, ut ad suam fi-  
 gurā referatur ea argumentatio: sed sumenda sunt pri-  
 mum duo pronunciata, atq; ita in sua extrema dissoluen-  
 da, ac pro medio id habendū, quod in utroq; pronun-  
 ciato sumitur. Nam in quavis figura mediū in utroq; pronun-  
 ciato reperiri est necesse. ubi igitur de alio dicatur me-  
 dium, & aliud de eo, aut de alio illud quidē enuncietur,  
 de eo autē negetur aliud, tum prima erit figura: si de alio  
 illud dicatur, et negetur de alio, media erit figura: sin de  
 illo alia dicantur, seu unum negetur, affirmetur alterum,  
 postrema erit: ita enim medium disponi docuimus in sin-  
 gulis figuris. Eadem autem erit ratio, etiam si pronuncia-  
 ta uniuersa non sint: est enim tum eadem medij collocan-  
 di ratio. Hinc igitur perspicuum est, orationem eam syl-  
 logismum non esse, in qua res eadem saepius dicta non  
 sit; neque enim in ea medium aliquod sumptum est. At  
 uerò

uerò quando iam intelligimus quæ nam quæstio in qua  
 que figura concludatur, in qua uniuersalis colligatur,  
 qua item particularis, constat non esse omnium figura-  
 rum rationem semper habendam, sed eius quæ cuiq; quæ-  
 stioni accommodata erit: in ijs autem quæstionibus quæ  
 per multas figuras concluduntur, ex medijs collocatione  
 figuram deprehendemus. At enim ferè fit, ut in syllogis-  
 mis decipiamur ob concludendi necessitatem, id quod  
 paulo antè diximus: nonnunquam ex similitudine extre-  
 morum collocandorum, id quod profectò ignorare non  
 debemus: uerbi causa, si a dicatur in b, & hoc in c, uide-  
 ri possit cõstitui ratiocinatio extremis ita collocatis, cum  
 tamen nulla sit argumentatio necessaria, nedum syllogis-  
 mus. Nam agnoscemus in a perpetuum, in b uerò Aristo-  
 menem intelligibilem, in c Aristomenem, sanè a in b re-  
 uera inest: nam Aristomenes intelligibilis est perpetuus.  
 b item in ipso c est: nam Aristomenes intelligibilis est Ar-  
 ristomenes. a uerò non est in c, cum Aristomenes sit cadu-  
 cus & mortalis. ex ea igitur extremorum dispositione  
 syllogismus non efficiebatur, sed pronunciatum a b in to-  
 to sumi oportuit. at falsum est, si quis postulet omnem in-  
 telligibilem Aristomenem esse perpetuum, cum Aristo-  
 menes sit mortalis. Rursus loco ipsius c, Miccalus: pro b  
 uerò, Miccalus musicus: ubi est ipsum a, ponatur ipsum  
 perire eras: sanè b de c uerè affirmatur, nam Miccalus  
 est Miccalus musicus: a item in b uerè dicatur, nam eras  
 stino die perierit musicus Miccalus. cum tamen falsum  
 sit, a in c esse, id quod superiori exemplo est simile. men-  
 dacium est enim, si dicis, omnè Miccalum musicum eras  
 periturum: id quod si præmittatur, nihil planè conclusi-  
 detur.

detur. ac is error ob rem exiguam admittitur: nam quas si nihil referat hoc in illo dicere, aut hoc in illo toto esse, ita concedimus.

Sapenumero etiã errare ac falli ex eò solemus, quòd fines ij non rectè explicantur, qui in pronuntiatis adhibentur. uerbi causa, si a sit sanitas, morbus uerò loco is p̄sius b, in c uerò sit homo: sanè uerè dixeris, nullum b posse esse a, quippe cum nullus morbus possit esse sanitas. b item in toto c esse: nam homo quiuis morbo est obnoxius. hinc profectò consequi uideatur, ut in nullo homine morbus esse possit: quod ideo fit, quia fines non sunt aptè digesti in uoce. Neq; enim ratiocinatio efficitur. s̄ pro habitu sumas res cas, quæ ab habitu appellationem habent: ut si pro sanitate sanum collocetur, pro morbo ægrū. neq; enim uerè dixeris, qui ægrotat, eū ualere non posse. quod si non sumas, nihil cōcludas, nisi fortè quidpiã accidere, id quod fieri sanè potest: accidit enim, ut in nullo homine sit sanitas. In media etiã figura, falsa conclusio eadè ratione colligitur. Accidit enim, in nullo morbo sanitatem esse, in quouis autè homine esse, atq; ita in nullo homine morbum reperiri. At in tertia figura falsa conclusio efficitur ex ipso contingente. Fieri enim potest, ut in re eadè tota sit sanitas, ac morbus: sciētia item, ac ignoratio, cōtraria item quæuis: cum tamen in se mutud inesse non possint. Id autem cum ijs quæ suprã dicta sunt, minimè consentit: nam quandoq; plura in eodè esse possunt, illa quoq; in se mutud esse poterant. Constat igitur, deceptionē in ijs ex finium collocatione oriri. Nam si res affectas, & quæ ab habitu appellationē habent, commutes, nihil concluditur falsum. Liqueet igitur,

in prononciatis huiuscemodi rem affectā commutandā esse in affectionem, ac pro extremo esse collocandam.

Nec uerò in omnibus conandum est, ut extrema una dictione explicentur: quippe cum in multis ipsæ orationes sint, in quibus nomen unū positum non est: unde paulo difficilius est ratiocinationes huiuscemodi in suas figuras referre. At in nonnullis ob eam inuestigationem falli ac errare accidit: uerbi causa, immediatorum uidebitur esse conclusio. Faciamus enim, ut in a sint duo recti, in b triangulus, in c uerò æquicrurus: sanè a est in c per b medium, in b uerò per aliud medium non item: quippe cum triangulus duos rectos suapte natura habeat, & per se: ita ipsius a b nullum erit medium, cum tamen demonstrari possit. Perspicuum est igitur, medium non esse in omnibus sumendum, quasi quidpiam unum, sed ut orationē nonnunquā. Id quod in exemplo proposito accidit. Cum autem primum in medio, & hoc in postremo dicitur, non est ita accipiendum, quasi extrema de se mutuo eadem ratione dicantur: aut primum de medio, eo modo quo medium de ultimo, sed quot modis quidpiam esse dicitur, & uerè enunciatur: totidem sanè modis arbitrandum est, intelligi aliquid in alio esse. uerbi causa, aduersorum scientia est una. ponamus enim, in a unam esse scientiam, in b uerò inuicem aduersa: sanè a in ipso b inest, non quasi aduersa sint una scientia, sed idcirco, quia uerè in his dicitur, unam esse eorū scientiam. Accidit autē nonnunquam primum in medio dici, medium in tertio non item. Verbi causa, si sapientia est scientia, est autem sapientia rerum bonarum: concluditur, rerum bonarum esse scientiam. hic non assumptum est in recto, scientia est

est bonum: at propositio in recto fuit, sapientia est scientia. In nonnullis medium in tertia quidem dicitur, primum in medio minime: exempli gratia, omnium qualitatum uel etiam aduersorum est scientia, bonum autem & aduersum est & qualitas: atque inde efficitur, quod boni est scientia, non quod bonum scientia sit. Neque hic propositio in recto fuit, quod scientia esset, aut qualitas, aut contrarium: at assumptio in recto fuit, quod bonum hæc ipsa esset. Aliquando nec primum in medio dicitur, nec medium in tertio: ubi primum in tertio aliquando quidem dicitur, aliquando non dicitur. ut quia quarum rerum scientia est, earum est genus aliquod: at boni est scientia: concluditur inde, boni esse genus aliquod: nihil autem de alio dicitur in recto. Si uero illud est genus, cuius habetur scientia, boni autem scientia quedam est: concluditur, bonum esse genus: profecto primum in postremo dicitur, de se mutuo non item. Quod eodem modo in negatione est intelligendum. cum enim hoc in illo non esse dicimus, non semper intelligimus, hoc non esse illud: sed nonnunquam, hoc non esse illius, aut illi. ut mutationis non est mutatio, nec generationis generatio est: at uoluptatis est generatio, non est igitur ipsa uoluptas generatio. Rursus, ipse risus aliquod est signum: signi autem non est aliud signum: risus igitur non est signum. hoc idem fit in cæteris alijs, in quibus eueritur questio, ex eo quod genus ad rem quodam modo referatur. Rursus, quod occasio non sit tempus opportunum, ita concluditur: Nam Deo sua est occasio: at nullum illi tempus est opportunum, quippe cum Deo nihil utilitatem afferre possit. extrema enim collocaanda sunt, occasio, tempus opportunum, deus: pronun-

ciatum autem in casu nominis sumi debet. Hoc enim d<sup>o</sup> minino ac in omnibus præcipimus, quòd fines & extrema in recta appellatione accipi debent: ut homo, bonus, contraria: non autem hominis boni, contrariorum. Pronunciata autem accipi debent ex uarijs singulorum casibus, nempe aut huic, quemadmodum æquale: aut huius, ut duplum: aut hunc, ut pulsans, uidens: aut hic, ut homo est animans: aut si quo alio modo nomen in pronunciato inflecti potest. Illud autem, esse quippiam in alio, ac de eo uerè dici, tot modis intelligi oportet, quot sunt genera summa: eaq; aut certo quodam modo, aut omnino: simplicia item, aut coniuncta, quod in negatione eodem modo accidit. Sunt autem ea obseruanda, ac quàm optimè fieri possit distinguenda.

Id autè quod in pronunciatis iteratur, extremo priori coniungendū est, non medio. quod dico tale est: si concludatur iusticiæ esse scientiam, quòd bona sit, illud bonum, quà bonum, extremo iungendum est. constituamus enim in *a* scientiam, quòd bonum: in *b* uerò, illud quod bonum: in *c*, iusticia: sanè *a* de *b* uerè dixeris. nam boni quòd sit bonum, scientia est. & *b* quoque in *c* uerè dicitur: est enim iustitia id quod bonum. Ad hunc igitur modum resolutio efficitur. Quòd si ipsi *b* coniungatur illud, quod bonum, iam non erit uerum: nam *a* de *b* uerè dicitur, *b* de *c* non item. nam si in iusticia dicas, eam bonam esse, quà bonum: id & falsum est, & intelligi nequit. Eadem erit ratio, si salubre ostendatur esse cognobile quà bonum, aut hircoceruus quà non est, aut homo caducus quà sensibilis: est enim in omnibus ijs quæ adpredicantur, extremo apponenda geminatio. Nec uerè eadem

Eadem est extremorum dispositio, ubi quid omnino concludatur, & quando hoc uel illud, uel quodam tenus, uel alio quodam modo: uerbi gratia, cum bonum probabitur esse cognobile, & cum quid concludetur cognobile quā bonum. Quin si cognobile omnino cōcludatur, medium collocandum est, id quod est: *fin* quā bonum sit, aliquid ens. Constituamus enim in *a* scientiam, quā est quoddam ens, in *b* uerò aliquod ens, in *c* bonum: profectò *a* in *b* uerè dicitur: quippe cum scientia sit alicuius entis, quā ens est. *b* item in *c* nam quod loco ipsius *c* constitutum est, quodpiam ens est: ita & *a* in *c* uerè dicitur. erit igitur boni scientia, quā bonum quoddam est: nam quoddam ens certam quandam naturam modò designabat. Quòd si ens medium locetur, & extremo ens omnino, non quoddam ens adiectum sit, diximus non effici scientiam esse boni, quā bonum est, sed quā ens: ut loco *a* est scientia, quā ens: in *b* uerò ens, in *c* bonum. Ac constat, extrema eo modo esse sumenda in ijs qui in parte sunt syllogismi.

Nomina etiam nominibus, quæ idem ualent, commutare oportet, orationem item oratione: nomen etiam ac orationem, ita ut orationem semper nomine commutes. Nam facilius eo modo extrema digeruntur: exempli gratia, si nihil referat, dicis suspicabile non esse genus opinabile, an opinabile non esse id quod suspicabile: nam idem significat, id quod pro oratione sumptum est, tum suspicabile & opinabile pro extremis sint collocanda. At uerò quia hæc diuersa sunt, uoluptas est bonum, & uoluptas est ipsum bonum, non sunt eodem modo extrema constituenda. Sed si concludatur

uoluptatem esse ipsum bonum, extremū est collocandum  
 ipsum bonum: *sin* esse bonum, bonum modò id quod in  
 alijs eodem modo fit. Nec uerò hæc aut in re, aut in ser-  
 mone idem ualent, cui ipsum *b* inest, eidem toti inest *a*: et  
 in quo toto reperitur *b*, in eo ipso toto inest ipsum *a*. Ni-  
 hil enim prohibeat, *b* in *c* quidē esse, sed non omni: nem-  
 pe si *b* sit quippiam pulchrum, *c* uerò album: profectò *si*  
 in re quadam alba quippiam pulchri insit, uerè dixeris,  
 album esse pulchrum, non omne fortasse. Itaq; si *a* est in  
*b*, nec tamen in ijs omnibus est, de quibus ipsum *b* dici-  
 tur, seu ipsum *b* in toto *c* reperiat, seu in aliquo: nō est  
 necesse, *a* in *c*, non modò toto, sed ne ullo quidem inesse.  
 Quòd si in quacūq; re ipsum *b* uerè dicatur, ipsum *a* in-  
 sit in ea omni, inde efficietur, in quo toto ipsum *b* dici-  
 tur, in eo quoque omnino dici ipsum *a*: si uerò de quo *b*  
 dicitur, in eo toto dicitur ipsum *a*, nihil prohibet, *b* in *c*  
 quidem esse, in eo uerò non toto *a* esse, uel etiam omnino  
 non esse. Vbi igitur tria sunt extrema, perspicuum est il-  
 lud, de quocunq; *b* dicitur, ipsum quoque *a* dici, idem  
 ualere, ac, de quibuscunq; dicitur *b*, de ijs quoq; omnibus  
 ipsum *a* dici. quòd si *b* de aliquo omnino dicatur, *a* quo-  
 que eodem pacto dici: *sin* in aliquo non omnino dicatur,  
 nō est necesse ipsum *a* in eo toto esse. Nec uerò existiman-  
 dum est, ob dispositionis exempla alienum quid, aut ab-  
 surdum euenire: neq; enim in exemplum adducimus, hoc  
 esse illud: sed ut geometra lineam istam pedalem esse di-  
 cit, ac rectam & illatabilem, cum ea non sit: nec ijs uti-  
 tur, quasi inde aliquid cōcludat. qui enim quippiam de-  
 monstrat, id nullo pacto ex eo efficiet, quòd totius ratio-  
 nem ad partem suam non habeat: aliud autem ad hoc,

ut pars sit toti comparata: cum ne ratiocinatio quidem isto modo fiat: sed ea expositione utimur eodem modo, ac qui dicunt rem percipere sensu eum qui instituitur. neque enim hæc ita fiunt, quasi sine his res ipsa demonstrari nequeat: ut sunt ea, ex quibus ratiocinatio struitur. Nec uerò ignorare id debemus, non omnes conclusiones, quæ una & eadem ratiocinatione efficiuntur, ad eandem figuram pertinere: sed alias per hanc, alias per illam colligi. Vnde constat, resolutionem eo quoque modo esse faciendam. Cum autem quæstio non omnis in quauis figura, sed in singulis certè probetur, ex complexione facile intelligitur, in qua figura res inuestigari debeat. Ac in definitionibus probandis, ubi definitionis particulans unam probaueris, ea ad quæ probatio pertinet, pro extremo collocanda est, non tota oratio. Ita enim accidet, ut prolixitate minus turbemur. Exempli gratia, si quis probauit aquam esse humorem potabilem, potabile & aqua pro extremis sunt collocanda.

Iam enitendum non est, eos syllogismos referre in figuras, qui sunt ex hypothesi. Nec enim referre eos possis ex ijs quæ proposita sunt: quia syllogismo non probant, sed ex conuentione & pacto admittuntur. Verbi causa, si quis id ponat, si una contrariorum non sit facultas, nec scientiam quidem eorum unam esse: tum probet contrariorum non esse unam facultatem, nempe quia salubris & insalubris non est eadem: ita enim fieret, ut res eadem salubris esset, & insalubris. profectò probatum est eo modo, non unam esse contrariorum omnium facultatem. at eorum scientiam non esse unam, probatum quidem id non est, quamuis necessario fateri id oportet

teat: non ratiocinatione quidem, sed ex pacto ac confensu. Non potest igitur hic syllogismus ad figuram referri: sed ille potest, quo concluditur non unam esse contrariorum facultatem: is enim fortasse ratiocinatio fuit, ille hypothesis tantum. Eodem pacto res habet in ijs qui per incommodum concludunt. nec enim resolvere eos possis: ductum autem ad incommodum, maxime. nam is ratiocinatione probatur. Illum quidem facere non possis, quia ex hypothesis concluditur. Est autem inter hos syllogismos, & superiores, discrimen: quod in illis praecedente est opus, ut rem confiteatur aduersarius. ut si probatur unam esse contrariorum facultatem, ac eorum eandem esse scientiam: in his autem sine ulla praecedente, rem confitebuntur ob perspicuam falsitatem uerbi causa, si ponas dimetientem esse rationabilem, consequitur, ut numeri impares paribus sint aequales. Sunt autem permulti quoque alij, qui ex hypothesis concludunt, syllogismi, qui diligenter & apte obseruandi sunt & annotandi. Ac quot sint syllogismorum ex hypothesis genera, quotque modis illi fiant, posterius explicabimus. Quod ad rem praesentem attinet, hoc tantum intelligi debet, syllogismos eiusmodi in figuras referri non posse, ob eam, quam exposui, causam.

In quaestionibus autem omnibus, quae per plures figuras probantur, si quae in una conclusa sit, ipsam argumentationem in alteram figuram referre possis, ut quae prius in prima concluditur, in secundam, quae in hac, in primam referatur, non omnes, sed aliquae: id quod in progressu perspicuum erit. Nam si a in nullo b reperitur, & b est in toto c, a sane in nullo c reperitur: nam  
hoc

DE  
hoc p  
nunciat  
a erit,  
non om  
& hoc  
recipr  
cinati  
sales q  
in par  
nullum  
negat  
est b,  
tur, ip  
candur  
a. atq;  
cipro  
cinati  
fuerit  
nulla  
ra, si  
hoc i  
folui  
nam  
forte  
figu  
ri po  
ranit  
& a  
proc  
tatis

DE PRIMA RESOLVTIONE. 183

hoc pacto prima figura efficitur. Quod si inuertis pronun-  
 ciatum priuans, media erit figura. Ita enim  $b$  in nullo  
 a erit, & in  $c$  toto. Hoc idem fiet, ubi in parte tantum,  
 non omnino concludet ratiocinatio. Ut si  $a$  in nullo  $b$ ,  
 & hoc in aliquo  $c$  in sit. nam efficietur figura media, si  
 reciprocetur pronunciatum priuans. Ex ijs autem ratio-  
 cinationibus, quæ in secunda figura struuntur, uniuersa-  
 les quidem in primam figuram referuntur: ex ijs, quæ  
 in parte concludunt, altera tantum. Faciamus enim, ut  
 nullum  $b$  sit  $a$ , omne uero  $c$  sit  $a$ : sanè si retrò commet  
 negatio, prima figura dicitur. nam eo modo nullum  $a$   
 est  $b$ , & omne  $c$  est  $a$ . Quod si ipsi  $b$  affirmatio iunga-  
 tur, ipsi uero  $c$  negatio, illud  $c$  in maiori extremo collo-  
 candum est. ita enim fiet, ut nullum  $a$  sit  $c$ , & omne  $b$  sit  
 $a$ . atq; ita nullum  $b$  erit  $c$ , nec ullum quidem  $c$  erit  $b$ . re-  
 ciprocatur enim priuans pronunciatum. Quod si ratio-  
 cinatio in parte concludat, ubi maiori extremo negatio  
 fuerit iuncta, in primam figuram reducetur: ut si  $a$  in  
 nullo  $b$  in sit, & in  $c$  aliquo. efficietur enim prima figu-  
 ra, si retrò commet negatio. nam  $b$  in nullo est  $a$ , &  
 hoc in aliquo  $c$  in est. Vbi uero affirmatio ita fuerit, re-  
 solui non possit. ut si omne  $b$  sit  $a$ , non omne uero  $c$  sit  $a$ :  
 nam illud  $a$   $b$  reciprocationem non admittit. Quod si  
 forte illa fiat, non stabit conclusio. Neo itè quæ in tertia  
 figura struuntur ratiocinationes, in primam omnes refer-  
 ri possunt: contra quæ in hac sunt, ad tertiã omnes refe-  
 rantur. Faciamus enim, exempli causa, ut omne  $b$  sit  $a$ ,  
 & aliquod  $c$  sit  $b$ : cum igitur affirmatio in parte reci-  
 procetur,  $c$  quoq; in aliquo  $b$  in erit,  $a$  autem in toto  $b$  e-  
 rat sit igitur figura tertia. Eadem erit ratio, si priuans sit

ratiocinatio. Nam quia affirmatio in parte inuertitur,  
 ac retrò commeat, efficitur, ut  $a$  in nullo  $b$  in sit, &  $c$  in  
 aliquo. Ex ratiocinationibus autem, quæ in postrema fi-  
 gura struuntur, una modò in primam figuram resoluti-  
 nequit: nempe ubi negatio in toto non fuerit, reliquæ re-  
 ferri possunt omnes. Ponamus enim, ut &  $a$  &  $b$  in to-  
 to  $c$  dicantur, profectò ipsum  $c$  in utrumuis retrò com-  
 meabit in parte: atq; ita ipsum  $a$  in aliquo  $b$  in erit, &  
 efficietur prima figura, dum  $a$  in toto  $c$  inest, & hoc in  
 aliquo  $b$ . Eadem erit ratio, ubi  $a$  in toto  $c$  in erit,  $b$  uerò  
 in  $c$  aliquo. nam ipsa  $b$   $c$  inuertuntur ac reciprocantur.  
 Quòd si  $b$  in toto  $c$ , & in hoc aliquo ipsum  $a$  in sit, collo-  
 candum est ipsum  $b$  in primo limite, nam eo modo ipsum  
 $b$  in toto  $c$  erit, & hoc  $c$  in aliquo  $a$ : atq; ita ipsum  $b$  in  
 aliquo  $a$ : & quia pronuntiati in parte retrò commeat,  
 ipsum  $b$  in aliquo  $a$  in erit. Ac ubi ratiocinatio priuans  
 fuerit, & extrema omnia in toto sint, eodem modo om-  
 nia sumi debent. Sit enim, exempli gratia,  $b$  in toto  $c$ , &  
 in hoc nullo ipsum  $a$ : profectò ipsum  $c$  in aliquo  $b$  non  
 erit.  $a$  uerò in nullo est  $c$ : ita medium erit ipsum  $c$ . Hoc ie-  
 dem sit, ubi negatio est in toto, affirmatio in parte, nam  
 $a$  in nullo  $c$  inest:  $c$  uerò in  $b$  aliquo. quòd si negatio in  
 parte sumpta sit, resolutio nulla erit: nempe si omne  $c$  est  
 $b$ , quoddam autè  $c$  non sit  $a$ . Si enim illud  $b$   $c$  inuertatur,  
 pronuntiata ambo illa quidem in parte erunt. Constat  
 autem in mutua illa reductione in figuras, pronuntiati,  
 quod minori extremo iunctum est, in utraq; figura esse  
 inuertendum: hoc enim commutato, egressio efficitur.  
 Ex his autè quæ in figura media fiunt ratiocinationes, u-  
 na in figurâ quidem tertiam resoluitur: altera non item.

Refertur

DE PRIMA RESOLVTIONE. 129

Refertur enim ea, in qua negatio est uniuersalis. nam si a in nullo b inest, et in c aliquo, utrumuis cum ipso a æque inuertitur: atq; ita nullum a erit b, & quoddam a erit c. erit igitur ipsum a medium. Quòd si a in toto b inest, in aliquo c non item, nulla fit resolutio, cum neutrum ex pronuntiatis post reciprocationem sit uniuersale. Resoluentur etiam in mediam figuram, quæ in tertia sunt ratiocinationes: quando cunq; negatio in toto fuerit. ut si a in nullo c inest, & in b aut aliquo, aut omni: nam c in nullo a inerit, et in b aliquo. Quòd si priuatio sit in parte, nulla erit resolutio. neq; enim reciprocationem admittit negatio ea quæ est in parte. Hinc igitur constat, eos ipsos syllogismos in his figuris non resolui, qui in primam referri non potuerunt. Ac cum alij syllogismi in primam figuram referantur, ij ex incommodo tantum probantur. Ita ex ijs quæ hucusq; exposuimus, perspicuum est, quo pacto ratiocinationes reduci oporteat: quòd etiam figuræ in se mutuo commeant & resoluuntur.

Nec uerò parum refert ad confirmandum, uel refutandum, arbitrerisne hæc idem ualere, an diuersa esse. non est inquam hoc, & est non hoc. uerbi causa, non est album, & est non album; neq; enim idem ualent, nec huius, esse inquam album, negatio est illud, esse non album, sed non esse album. Cuius rei ea est ratio. nam eodem modo se habet illud, potest ambulare, ad alteru, potest non ambulare: quo modo illud, est album, ad alterum, est non album; & hoc, nouit bonum, ad illud, nouit non bonum. Nihil enim refert dicas, hic bonum cognoscit, an, est peritus boni: nec item refert dicas, potest incedere, an est potens incedere, itaq; illorum contraria eadem sunt, non

potest ambulare, non est potens ambulare. Quod si idem ualent, illud, non est potens ambulare, & est potens non ambulare, uel etiam nec ambulare, profectò hæc eadem in eadem re simul reperiuntur: quippe cum homo idem facultatem habeat ut ambulet, & non ambulet, & est peritus boni & non boni. At affirmatio & negatio contrariæ, in eadem re simul nunquam insunt. Atque ita, quemadmodum hæc non idem ualent, non nosse inquam bonum, & nosse non bonum: ita nec illa, esse non bonum, & non esse bonum, rem eandem significant. Nam in his quæ similitudine inuicem comparantur, si unum sit alterum, aliud quoq; necessario est: nec idem ualent, esse non æquale, & non esse æquale. Bi enim quod est, esse nõ æquale, aliquid subijcitur, quod est inæquale: alteri planè nihil. quo fit, ut nõ queuis res æqualis sit, aut inæqualis: æqualis, uel non æqualis maxime. Iã hæc non simul perpetuò reperiuntur, est non album lignum, & non est album lignum. Nam si quid est lignum non album, illud est lignum: si quid uerò non sit lignum album, non est necesse ut sit lignum: unde constat, ipsius pronüciati, est bonum, illud, est nõ bonum, negatione non esse contrariã. Quod si de re quauis una, uel affirmatio uerè dicitur, uel negatio opposita, profectò ubi negatio non uerè dicitur, affirmatio quodam modo uerè enunciabitur. At cuiusuis affirmationis sua est negatio: illius igitur ista erit cõtraria, non est non bonum. Porro hunc ordinem hæc omnia seruant inter se. ponamus loco ipsius a esse bonum, in b non esse bonum, in c uerò esse non bonum, idq; sub ipso b: demum non esse non bonum in d, ac subijciatur ipsi a: sanè in re quauis aut ipsum a in erit, aut b ipsum, item c uel d, & in  
nulla

nulla re eadem inesse simul possint: ac in quacunq; re e  
 reperitur, necesse est ipsum b in quauis reperiri. Nam si  
 uerè dicitur, aliquid esse non album, uerum quoq; est, il-  
 lud non esse album: quippe cum fieri nequeat, ut quid si-  
 mul sit album, & non album: nec item sit lignum non al-  
 bum, & sit lignum album: quòd si affirmatio ipsa non  
 i sit, inerit negatio. ipsum autè c non perpetuò in toto b  
 reperitur. nam quod planè non est lignum, nec lignum  
 quidem est non album. Contrà fit in bis, in quocunq; re a  
 reperitur ipsum a, in eo reperitur ipsum d: quandoquidem  
 necesse est uel c uel d in eo reperiri. At uerò quoniam fie-  
 ri nequit, ut res eadè simul sit non alba, et sit alba, ipsum  
 d semper inerit. Nam de ea re quæ alba sit, uerè dixeris,  
 eam non esse non albam: at ipsum a non dicitur in toto  
 d. nam de ea re quæ lignum planè non sit, non uerè dix-  
 eris ipsum a, nempe quòd ea sit lignum album, atq; ita in  
 ipsa ipsum d uerè dicitur: at ipsum a, nempe quòd ea sit  
 lignum album, non ita. Constat etiam, in nulla re eadem  
 inesse posse a & c, quamuis b & d in nonnullis iisdem  
 reperiri possint. Eandem rationem seruant priuationes  
 ad enunciationes, modò is obseruetur situs. collocemus in  
 a æquale, loco ipsius b non æquale: ubi est c, ponatur in a  
 æquale, in locum d succedat non inæquale. ac in rebus  
 permultis, quibus aliquid idem partim insit, partim non  
 insit, æquè uera negatio fuerit: nempe quòd non omnia  
 illa sunt alba, uel etiam quòd non est album unumquod-  
 que ex illis: cum tamen falsum sit, unumquodq; esse non  
 album, uel omnia esse non alba. Eodem modo illius  
 pronuntiati, omne animans est candidum, non est hæc  
 negatio contraria, omne animans est non album (hæc  
 enim

enim ambo falsa sunt) sed illud, non omne animal est candidum. Iam uerò, ex quo constat, hæc pronunciata res diuersas significare, est non album, inquam, & non est album: cumq; alterum aiat, alterũ neget: perspicuum est, non eandem esse utriusq; probandi rationem. uerbi causa, omne animans non esse candidum, aut posse non esse candidum, & uerè dici non album: quod idem est, atq; esse non album. At uerò horum omnium, nempe quòd uerè dicatur, esse album, uel non album, eadem est concludendi ratio: ambo enim hæc per rationes concludendæ affirmationis, concluduntur in prima figura. Nam ipsum uerum eandem uim & situm habet, ac ipsum est: nam ipsius pronũciati, uerum est asseuerare hoc album, non est hæc negatio contraria, uerum est asseuerare hoc non album: quin potius illi contraria est, non uerum est asseuerare album. Quòd si uerè dicatur, quisquis homo fuerit, eum musicum esse, uel non musicum: sumendum est, omne animans musicum esse, uel non musicum: atq; ita res est confecta. At uerò illud, omnem hominem non esse musicum, in modum refutationis concluditur: idq; in tribus modis, quos superius exposuimus. At ut semel dicã, quandoq; a & b ita sunt inter se affecta, ut in nulla re eadem ambo inesse possint, & in re quauis necesse sit alterum esse: c item & d eandem inter se rationem seruant: ac ipsius c illud a sit cõsequens, nec retrò commeet: profectò ipsum d consequens erit ad b, nec recipiabitur. atq; a & d in re eadem esse possunt, b & c non possunt: ac primum hinc planè intelligitur, ipsum d confectum qui ad b. Nam cum alterum horum, c inquam uel d, necesse sit esse: in qua autem re b inest, ipsum c esse nequit, quia

quia ad ipsum statim consequitur a: hæc autem, a in qua  
 & b, in re eadem simul esse nequeunt: manifestū est igitur,  
 quod ipsum d consequitur. Nam uerò cum c non recipitur  
 cum ipso a, & in re quauis uel c dicitur, uel d,  
 ita accidit, ut a & d in eadem re insint: b uerò & c esse  
 simul nequeunt, eo quod ipsum a sit consequens ad c. In  
 de enim res quædam absurda consequitur, & quæ fieri  
 non possit. Constat igitur, ne ipsum quidem b cum c reci-  
 procarit: quandoquidem ipsum a cum d stare potest. At  
 uerò in nonnullis accidit, ut decipiamur in huiusmodi  
 finium dispositione: idque ex eo, quod non bene sumantur  
 contraria ea, quorum alterum in re quauis inesse sit ne-  
 cesse. uerbi causa, si a & b in re eadem simul esse non  
 possunt, & necesse est in qua re alterum non sit, in ea  
 alterum esse: c item & d eodem modo inter se sunt affe-  
 cta, ac ipsum a in totum consequitur ad c: ita enim con-  
 cludetur, in qua re sit d, in ea necessario esse b: id quod  
 falsum est. Sumamus enim negationem ipsorum a b, quæ  
 sit in loco f: illorum item c d, quæ sufficiatur in locum i-  
 ipsius g: profectò necesse est, in re quauis aut a uerè dici,  
 aut f, nempe affirmationem, aut negationem: c item, uel  
 g, cum hæc sint aientia & negantia, ac in quacunq; re c  
 inest, in ea quoq; a ponitur: atq; ita in quacunq; re inest  
 ipsum f, in ea quoq; inest & g. Rursus quædo in re qua-  
 uis uel f uel b dicitur, g item, uel d: g autem consequitur  
 ad f, atq; ita ipsum b consequens erit ad d, id quod iam  
 intelligimus. Itaq; si a consequitur ad c, b quoq; ex d con-  
 sequens erit: id quod planè falsum est. Nam in his quæ ita  
 sunt inter se affecta, consecutionem contra ualere docui-  
 mus: nec enim fortasse est necesse, ut in re quauis aut a  
 dicatur,

dicatur, aut *f*: *f* item, aut *b*: nec enim ipsum *f* negatio est illius *a*. nam boni, non bonum, negatio est: at non idem ualeat, hoc non est bonum, ac illud, non est nec bonum, nec non bonum. Eadem est ratio ipsorum *c* *d*: nam duæ negationes in his sumptæ sunt.

ARISTOTELIS DE PRIMA  
resolutione Liber I I.

Caput I.

**H**ucusq; igitur id à nobis expositū est, quot figuris, quot item quibusq; pronunciatis, quando, quaq; ratione struatur ratiocinatio: quæ etiam inspectanda sint ac obseruanda ei, qui aliquid refutare, uel confirmare uelit: quæ etiam sit inuestigandi propositi ratio in arte quauis, qua item uia ac ratione unius cuiusq; quæstionis principia reperiamus. At uerò cum ex syllogismis alij in toto sint, alij in parte: qui in toto sunt, multa semper concludunt: qui uerò in parte sunt, si affirmant, plura quidem concludunt: si negent, unam tantum conclusionem colligunt. quod ideo fit, quia pronunciata alia retrò commeant, at negatio in parte non item. Coclusio autem aliquid de aliquo significat: ita fit, ut ratiocinationes alia multa concludant. uerbi causa, si conclusum sit, *a* in toto *b* inesse, uel etiam in aliquo, necessariò inde efficitur, ut *b* in aliquo *a* reciprocetur: ut quòd si *a* in nullo *c* insit, ne in ullo quidem *a* ipsum *b* in erit. Hoc autem pronunciatum à superiori diuersum est. Quòd si *a* in aliquo *b* non insit, non ideo efficitur, ipsum *b* in aliquo *a* non reperiri: quippe cum fieri possit, ut in eo toto insit. Atq; ea est una omnium syllogismorum ratio,

tid, tam qui in toto, quàm qui in parte colligunt. in uni-  
 uersalibus autem, alia quoque ratio afferri potest. Eo-  
 rum enim omnium quæ uel medio continentur, uel con-  
 clusione, una est & eadem ratiocinatio, si hæc in conclu-  
 sione ponantur, illa in medio. uerbi causa, si conclusio a  
 b colligatur per c, necesse est, ut a de omnibus ijs dicatur,  
 quæ ipso b aut c continentur. Nam si d in toto b est, hoc  
 uerò in toto a, profectò d in toto a continebitur. Rursus  
 si e in c toto contineatur, c uerò in a, profectò & e in ip-  
 so a toto continebitur. Eadem est ratio, ubi priuàs fuerit  
 conclusio. In secunda autem figura concludere tantùm  
 licet, quod complexione continentur: ut si a in nullo b in-  
 sit, & in c toto, efficietur ipsum b in nullo c inesse. Quòd  
 si d sub c contineatur, constat in eo non esse ipsum b: ex  
 ea autem ratiocinatione non constat, ipsum b non inesse  
 ijs quæ sub a continentur: tametsi re ipsa in ipso e non  
 in sit, si sub a ipsum cõtineatur. At ratiocinatione est effe-  
 ctum, b in nullo c inesse: in a uerò nõ esse, citra probatio-  
 nem, et ut confessum est sumptũ. Itaq; ratiocinatione nõ  
 efficitur, b in e non esse. In ijs autẽ qui in parte colligunt  
 syllogismi, quod ad ea attinet quæ cõplexione continen-  
 tur, nulla est eorum necessitas. neq; enim efficitur ratio-  
 cinatio, ubi illa in parte sumpta sit propositio. Eorum au-  
 tem quæ medio continentur, omnium quidem conclusio  
 erit, non tamẽ ex ratiocinatione: ut si a in toto b, & hoc  
 in aliquo c in sit, profectò id quod sub c collocatum est,  
 non cõcludetur: quod autem sub ipso b est, maximẽ, non  
 tamen ob ratiocinationem antecedentem. Hoc idem fit  
 in alijs quoque figuris. neque enim concludetur id, quod  
 complexione comprehensum est. Alterum autem, con-  
 cludetur

cludetur illud quidem, sed non per ratiocinationem: quò modo in uniuersalibus probabantur, quæ sub medio erant, per pronunciatum nondum probatum, atq; ita in his concludetur: alioqui ne in illis quidem conclusio erit.

Potest autem fieri, ut pronunciatæ ueræ sint ea quibus constat ratiocinatio, nonnunquam etiam falsa: aliquando, ut alterum uerum sit, alterum falsum. Complexio autem necessario uera est, uel falsa: ac ex pronunciatæ ueris complexio falsa cõcludi nequit: ex falsis uera quidem colligi potest, non tamen per causam colligetur, sed quòd sit modò. Neq; enim ex falsis ratiocinatio unquam est, eaq; per causam: cuius rei ratio in progressu explicabitur. Principiò igitur ex ueris falsum concludi non posse, ex his erit perspicuum, nam si ubi a sit, necesse est b esse: ubi hoc non sit, necesse est a non esse. ubi igitur uerum sit ipsum a, necesse est quoq; ipsum b uerũ esse. Alioqui accidet, ut res eadem simul sit, & non sit: id quod fieri nequit. Neq; uerò suspicetur aliquis, ex eo quòd ipsum a extremum unicum positum sit, ex uno posito quidpiam necessario effici. Neq; enim hoc fieri potest. nam id quod efficitur necessario, conclusio appellatur: ex quibus autem ea efficitur, illa minimum tria sunt extrema, interualla autem ac pronunciatæ duo. Vbi igitur uerum sit, in quo b insit, in eo toto ipsum a inesse: in quo uerò sit c, ipsum b quoq; insit: necesse est, in quo sit c, in eo quoq; a inesse. Nec falsum id ullo modo esse potest. Illud igitur a, quod quasi unum acceptum est, pro pronunciatæ duobus coniunctis est intelligendum. Eadem quoq; est priuantium ratio. Neq; enim ex ueris falsum probari ullo modo potest: ex falsis autem uerum concludi, illud quidem potest,

## DE PRIMA RESOLVTIONE. 193

potest, seu falsa sint ambo pronunciata, seu alterum: nec tamen utrumuis, sed secundum, si pronūciatum in totum falsum sumamus, alioqui utrumuis indiscriminatim. Faciamus enim, ut *a* in toto *c* insit, & in *b* nullo, profectō ne *b* quidē in *c* erit. Quod autē dicimus, accidere potest: uerbi causa, nullus lapis est animās, nullus item homo est lapis. Vbi igitur sumptum sit, *a* in toto *b* inesse, & hoc in toto *c*, *a* in omni *c* inerit: atq; ita ex pronunciatis amobus falsis uera efficitur conclusio: omnis enim homo est animans. idem est existimandum de cōplexione priuante. Nam ponamus, *a* in nullo *c* inesse, item & *b*, *a* uerō in toto *b* inesse: ut si ea ipsa extrema sumantur, & in ijs homo mediū collocetur. Nā & animans, & homo in nullo lapide insunt, animal autem omni homini inest: atq; ita si sumamus in eo nullo inesse, cui toti inest: contra in quo non inest, in eo toto esse, ex amobus pronunciatis falsis uera efficietur conclusio. Hoc idē probabitur, ubi utrumque in parte falsum sumatur. Quod si alterum modō falsum ponatur, ubi primum in toto falsum fuerit, ut ipsum *a* *b*, non efficietur uera conclusio: uera autem erit, si *b* *c* sumatur falsum. Appello autem pronūciatum in totum falsum, quod contrarium est uero: ut si in toto esse sumptum sit, quod in nullo inest: aut contra, quod in toto inest, in nullo inesse. Ponamus enim, ut *a* in nullo *b* insit, *b* uerō in *c* omni: profectō si pronūciatum *b* *c* uerum sumptum sit, *a* *b* uerō planē falsum, ac ipsum *a* in *b* omni inesse sit positum, fieri non potest ut uera sit conclusio: ipsum enim *a* in nullo *c* inerat: quandoquidem cuiuscūq; insit *b*, in eo nullo inerat ipsum *a*: at illud *b* in *c* quouis erat. Nec conclusio quidem uera esse possit, si *a* in *b* quouis

nis in sit, b uerò in omni c: ac pronunciatum b c ueritatis  
 sumptum sit, a b uerò in totum falsum, hoc modo, nullum  
 b est a, conclusio sanè falsa erit. nam ipsum a in toto c  
 re ipsa inest: in quocunq; enim ipsum b inest, in eo quoq;  
 inest a. at b est in omni c. constat itaq; conclusionem ue-  
 ram non fore, ubi pronunciatum prius omnino falsum  
 sit sumptum, seu affirmet illud, sed neget: alterum autem  
 uerum sit. quòd si falsum quidem illud ponatur, non om-  
 nino tamen, uera tum erit conclusio. Nam si a in omni c  
 inest, & in b aliquo, b item in omni c: quemadmodum  
 animans in omni cygno inest, & in albo aliquo, albus  
 uerò in toto cygno inest, profectò si sumptum sit, a in o-  
 mni b inesse, b uerò in omni c, a in omni c reuera inerit  
 est enim omnis cygnus animans. Badem erit ratio, ubi  
 pronunciatum a b priuans fuerit: fieri enim potest, ut a  
 in aliquo b in sit, in c uerò nullo, b autem in c toto. uerbè  
 gratia, animans est in aliquo albo, & in nulla niue, car-  
 dor autem in omni niue reperitur: si ergo ponatur, a in  
 nullo b inesse, & hoc in omni c, ipsum a in nullo c inerit.  
 At uerò si proloquium a b in totum uerum sumatur, &  
 b c omnino falsum, efficietur uera conclusio: nihil enim  
 cause est, quo minus ipsum a in b & c totis in sit, b autè  
 in nullo c reperiatur. Huius rei indicio sunt omnes eius-  
 dem generis formæ, quæ non se inuicem contineant: ani-  
 mans enim in equo et homine reperitur, equus autem in  
 nullo homine uisitur: erit igitur falsa conclusio, ubi a in  
 toto b sumatur, & hoc in toto c inerit, ut omnino sit fal-  
 sum proloquium b c. Hoc idè fiet, ubi propositio a b priuans  
 fuerit: quippe cū fieri possit, ut a in nullo b, in c itè nullo  
 in sit, b item in nullo c, ut se habet alterū genus ad formas  
 alterius.

DE PRIMA RESOLUTIONE. 195

Alterius. nam animal nec musica, nec medicina inest, nec  
 musica etiam medicina: ita si sumatur, a in nullo b esse, b  
 uero in c toto, uera erit complexio. Quod si pronuncia-  
 tum b c non omnino, sed in parte falsum sit, ita quoq; ue-  
 ra erit conclusio: nihil enim quicquam prohibet, quo mi-  
 nus a in b & c toto insit: b uero in c quodam, ut genus  
 in specie est, & differente: animans enim in omni homi-  
 ne inest, & in omni terrestri: homo uero in aliquo terre-  
 stri inest, non omni. Si igitur sumatur, a in omni b inesse,  
 & hoc in omni c: efficietur, a in omni c inesse: id quod  
 uerum erat. Idem fieri existimandum est, ubi proloquitur  
 a b priuans sit: accidit enim, ut a in b ac c nullo insit, b  
 uero in aliquo c, quomodo se habet genus unum ad formam,  
 & differentiam generis diuersam. animans enim nulli  
 prudentia inest, nulli item cognitioni, prudentia autem  
 alicui cognitioni inest. atq; ita si sumatur, a in nullo b,  
 & hoc in omni c, a in nullo c inerit: id quod antea uerum  
 erat. In ratiocinationibus item in parte accidit, conclu-  
 sionem ueram esse, ubi prius pronunciatum in totum sit  
 falsum, alterum uerum: uel illud in parte falsum, hoc om-  
 nino uerum. Item cum a b uerum sit, particulare autem  
 pronunciatum falsum: quando item ambo falsa sint. nihil  
 enim uetat, a in nullo b esse, et in c aliquo, ut b in c aliquo  
 sit. exempli gratia, animans in nulla niue est, & in ali-  
 quo albo, & in albo aliquo est nix. ita si nix medium col-  
 locetur, animans uero primum, et sumatur a in toto b esse,  
 & hoc in aliquo c, effectum illud a b in totum falsum est: alte-  
 rum autem, b c in qua uerum, & conclusio inde uera efficitur.  
 tantumdem fiet, si propositio a b neget: quippe cum fieri pos-  
 sit, ut a in toto b insit, in aliquo autem c non insit, b uero

alicui c insit. uerbi causa, animans in toto homine inest,  
 & alicui albo non est consequens, cum tamen homo ali-  
 cui albo insit. Atque ita uera erit conclusio, si homo medius  
 ponatur, ac sumatur, a in nullo b esse, & hoc in aliquo c,  
 cum tamen pronunciatum a b omnino sit falsum. Conclue-  
 sio item uera erit, si proloquium a b in parte sit falsum,  
 & b c uerum: neque enim quicquam uetat, a in b & c ali-  
 quo inesse, & b in aliquo c: ut animas in aliquo pulchro  
 reperitur, in aliquo item magno, & pulchrum in aliquo  
 magno est. si igitur sumas, a in omni b esse, & hoc in ali-  
 quo c, propositio illa a b quadatenus est falsa, illa autem  
 b c uera, & conclusio ex his est uera. Eodem modo res  
 habebit, ubi pronunciatum a b negetur: nam ad huius rei  
 probationem idem sumentur fines, ac eodem modo dispo-  
 nentur. Rursus si a b uerum sit, b c falsum, uera erit com-  
 plexio. Quid enim causa est, quo minus a in toto b insit,  
 & in aliquo c, b autem in nullo c insit? uerbi causa, ani-  
 mans in omni cygno inest, & in aliquo nigro, cum cygnus  
 in nullo nigro insit. Si igitur a in toto b sumatur, & hoc  
 in c quodam, uera erit conclusio, cum pronunciatum b c  
 sit falsum. Idem fiet, si pronunciatum a b priuans sumat-  
 ur: fieri enim potest, ut a in nullo b insit, & in c aliquo  
 non insit, b autem in nullo sit c, quo modo se habet genus  
 ad formam generis alterius & diuersi, & ad accidentia  
 ea quae illius formis insunt. animans enim in nullo nume-  
 ro inest, & in quodam albo: numerus autem in nullo est  
 albo. Ita si numerus medius ponatur, et sumatur, a in nul-  
 lo b, & b in aliquo c, a in quodam c non erit, id quod mo-  
 do uerum erat: ac pronunciatum a b uerum est, b c fal-  
 sum. Vera etiam erit conclusio, si a b in parte sit falsum,  
 b c item

DE PRIMA RESOLVTIONE. 197

b c item falsum: neq; enim quicquã uetat, quo minus a in b, & c quibusdam insit: b uerò in nullo c. ut si b c sint aduersa, eaq; eiusdem generis accidētia ambo: animans enim in quodã albo est, quodã item nigro, et albũ in nullo nigro inest: si igitur sumas a in toto b inesse, & hoc in aliquo c, uera efficietur inde cõclusio. Quod si a b priuãs sumatur, itidem fiet: ad id enim monstrãdum ijdem fines eadem dispositione sumentur. Quod si pronũciata ambo falsa sint, uera quoq; esse possit conclusio: fieri enim potest, ut a in nullo b insit, in c uerò quodã sit, cũ b in nullo c insit: ut genus aliquod formæ generis diuersi omnino non inest, & in accidente quodã suarum formarũ inest. Animãs enim in nullo est numero, & in aliquo est albo, cum numerus in nullo sit albo: si igitur a in toto b ponatur, & hoc in quodã c, uera efficietur conclusio, cum falsa sint ambo pronũciata. Hoc idem fiet, si pronũciatum a b negetur. nihil enim prohibet, a in toto b esse, in c quodam non esse: b item in nullo c. ut animans in omni cygno est, in aliquo nigro non est, cygnus autem in nullo nigro. ubi igitur sumptum sit, a in nullo b inesse, & hoc in quodam c: efficietur, a in quodam c non esse: atq; ita uera erit conclusio, cum ambo pronũciata sint falsa.

Secunda figura. Cap. II.

In media uerò figura ex falsis uerũ planè concludere licet, seu pronũciata ambo in totum falsa sumantur, seu in parte: seu alterum sit uerum, mētiatur planè alterum, idq; utrumuis. ubi etiam ambo in parte mentiuntur, ubi item alterum sit planè uerum, alterum in parte falsum: & contrã, si alterum sit planè falsum, alterum uerum in parte, idq; tum in uniuersalibus syllogismis, tum in particularibus.

ticularibus. Nam si *a* in nullo *b* inest, & in *c* omni, quod  
 modo animas in nullo lapide inest, & in omni homine.  
 atq; tum propositiones contrario modo ponantur, ut su-  
 matur *a* in omni *b* inesse, & in *c* nullo, ex pronunciatis  
 plane falsis uera efficietur complexio. Hoc idem fiet, si *a*  
 in toto quidem *b* inest, & in *c* nullo. idem enim efficia-  
 tur syllogismus. Rursus si propositio altera tota falsa sit,  
 altera tota uera: nihil enim uetat, quo minus *a* in *b* & *c*  
 in totum insit, & *b* in nullo *c* insit, quomodo se habet ge-  
 nus ad formas non continentis inuicem. animans enim in  
 equo & homine in totum inest, cum tamen nullus homo  
 sit equus. Ita si sumatur, animans in altero toto inesse, et  
 in altero nullo, pronunciatum alterum in totum falsum  
 erit, alterum plane uerum: & uera erit conclusio, utrius-  
 uis negatione adiecta. Item si alterum in parte sit falsum,  
 alterum sit omnino uerum: fieri enim potest, ut *a* in *b* ali-  
 quo insit, & in *c* omni, & *b* in nullo *c* insit, eo modo ani-  
 mans est in albo aliquo, & in toto coruo, cum candor in  
 nullo coruo insit. Igitur si sumatur, *a* in *b* nullo, & in *c*  
 toto inesse, pronunciatum *a* in *b* in parte erit falsum, *a* *c* om-  
 nino uerum, ac uera erit conclusio. hoc idem fiet, si com-  
 mutetur negatio. ex iisdem enim finibus id monstrabitur, si  
 affirmatio sit in aliquo falsa, negatio plane uera. Quid  
 enim uetat, quo minus *a* in quodam *b* insit, & in *c* toto  
 non insit, *b* sit in nullo *c* uerbi gratia, animas est in quo-  
 dam albo, & in nulla pice, & album in nulla pice inest.  
 Itaq; si sumatur, *a* in toto *b* inesse, & in *c* nullo, proposi-  
 tio *a* *b* in quadam parte erit falsa, *a* *c* uera omnino, &  
 conclusio erit uera. Vera ite erit conclusio, ubi ambo pro-  
 nunciata in parte falsa sint: quippe cum *a* in *b*, et *c* quibus-  
 dara

## DE PRIMA RESOLVTIONE. 199

Jam inesse possit, cum b in nullo c insit. exempli gratia,  
 animas in quodā albo, quodā item nigro inest, cum albū  
 in nullo nigro reperitur. Itaq; si a in toto b sumatur, &  
 in c nullo, propositiones ambæ in aliquo erunt falsæ, &  
 uera conclusio: hoc idem fiet, si cōmutetur negatio in fi-  
 nibus ipsidem. hoc etiā fieri perspicuū est in ijs qui in par-  
 te concludunt syllogismi. Neq; enim quicquam prohibet  
 a in toto b inesse, & in c aliquo, cum b in c aliquo non  
 insit: ut animans in toto homine inest, & in quodā can-  
 dido, cum homo in quodam candido non sit. Si igitur a  
 in nullo b ponatur inesse, & in quodam c esse, pronun-  
 ciatum illud uniuersum in totum falsum est: quod autem  
 in parte est uerum, & conclusio uera. Eadem erit ra-  
 tio, si a b sumatur affirmatio. nam fieri potest, ut a in  
 nullo b insit, & in quodam c non sit, & b in aliquo c  
 non sit: ut animans in nullo inanimato inest, & in quo-  
 dam albo non est, cum inanimatū in quodam albo non  
 sit. Ita si ponatur a in toto b inesse, & in quodam c non  
 esse, proloquiū illud uniuersum a b omnino est falsum, a  
 c uerum, & conclusio uera. Itidē fiet, si uniuersalis pro-  
 positio uera ponatur, particularis falsa. Quid enim pro-  
 hibet, quæso, ipsum a nulli b, nulli item c esse consequens,  
 cum b in quodā c non sit? Exempli gratia, animas nulli  
 numero, nulli item inanimato est cōsequens, & numerus  
 cuidam inanimato non inest. Si igitur ponatur a in nul-  
 lo b, & in quodam c, uera erit conclusio: propositio au-  
 tem uniuersalis quidem uera, particularis autem falsa.  
 Idem fiet, si affirmatio sit uniuersalis. potest enim a in b  
 & c totis inesse, cum b alicui c non sit cōsequens: quo mo-  
 do se habet genus ad formā, & differens animans enim

totum hominem, totum item terrenum consequitur: homo uero non omne terrenum. Itaque si sumatur *a* in toto *b* inesse, & in *c* aliquo non esse, pronuntiatiū uniuersale uerum erit, particulare falsum, uera autem complexio. Constat etiam ex ambobus falsis ueram effici complexionem, siquidem potest *a* in *b* & *c* totis inesse, cum *b* alicui *c* non insit. Si enim sumatur, *a* in nullo *b*, & in quodam *c* inesse, pronuntiata ambo falsa erunt, conclusio uera. Idem fiet, si affirmet pronuntiatiū uniuersale, quod in parte est neget: potest enim *a* toti *c*, & nulli *b* esse consequens, cum *b* alicui *c* non insit. uerbi causa, animal nullam scientiam consequitur, & totum hominem, & scientia non omnem hominem. Ita si ponatur *a* in toto *b* inesse, & cuidam *c* non esse consequens, pronuntiata falsa erunt, complexio uera.

Figura tertia. Cap. III.

In postrema quoque figura ex falsis efficietur uerum, tum ex ambobus in totū falsis, tum ex utroque in parte falso, & ex altero omnino uero, altero falso: ex uno item in parte falso, altero omnino uero, & contra. Demum quibuscunque alijs rationibus pronuntiata immutari possunt. Neque enim quicquā uetat, & *a* & *b* in nullo *c* inesse, cū *a* in aliquo *b* insit. uerbi gratia, homo & pedestre nulli in animo sunt consequentia, & homo alicui pedestri inest. Itaque si ponatur *a* & *b* in toto *c* inesse, pronuntiata in totū falsa erunt, conexio uera. eadem est ratio, ubi alterum ait, negat alterum. Fieri enim potest, ut *b* in nullo *c* insit, & in eo toto insit *a*, cum *a* alicui *b* non insit. uerbi causa, nigrū in nullo est cygno, & in hoc toto est animal, animal autē non omni nigro inest. Ita si sumatur *b* in omni *c*,

Et in hoc nullo ipsum *a*, *a* in quodam *b* non erit, & conclusio erit uera, propositiones falsae. Vera item efficietur complexio, ubi utraq; in parte falsa sit propositio: neque enim quicquã uetat, *a* & *b* in quodam *c* inesse: *a* uerò in aliquo *b*. uerbi causa, album & pulchrum in aliquo animante insunt, & album in re quadam pulchra inest. Si igitur ponatur, tum *a*, tum *b* in toto *c* inesse, pronunciata ambo in parte falsa erunt, complexio autem uera: hoc idem fiet, si pronunciati *a* *c* ponatur priuans. Quid enim uetat, quo minus *a* in quodã *c* non sit, *b* uerò in *c* aliquo sit, cum *a* in *b* non toto insit? Exempli gratia, album in quodam animãte non est, & in eo aliquo est pulchrum, album autem non omni pulchro inest: ita si sumatur *a* in nullo *c*, & *b* in eo ipso toto, propositiones ambæ in parte falsae erunt, cõplexio uera. Eadem erit ratio, si propositio altera in totum falsa sumatur, altera omnino uera: quippe cum fieri possit, ut & *a* & *b* ipsi *c* omnino sint consequentia, cum *a* in quodam *b* non sit: ut animans & candidum omnino lori consequentia sunt, cum animans non omni candido insit. Propositis igitur huiuscemodi extremis, si *b* in toto *c* sumatur, *a* uerò in eodem nullo, profectò pronunciatum *b* *c* omnino uerum erit: illud autem *a* *c* planè falsum, cum ipsa conclusio sit uera, hoc idem fiet, si illud *b* *c* falsum sit, *a* *c* uerum: ad id enim confirmandum ij assumẽtur fines, nigrum, cygnus, inanimum. Quinetiam ubi ambo affirmantia sint pronunciata, tandem fiet. Nihil enim uetat, ut *b* toti *c* sit consequens, & in eodem toto ipsum *a* non sit, cum *a* in quodam *b* insit. Hoc modo animans in omni cygno reperitur, & in eodem toto ipsum *a* nõ sit, cum *a* in quodam *b* insit. Hoc

modo animans in omni cygno reperitur, & in eodem nullo nigrum, cum nigrum alicui animanti insit. Si igitur ponantur  $a$  &  $b$  in toto  $c$  inesse, pronuntiatio  $b$   $c$  uera planè fuerit,  $a$   $c$  uerò planè falsa, conclusio autem uera. Illud idem fiet, si  $a$   $c$  ponatur falsa: quod per eandem fines ac exempla confirmabitur. Rursus uera erit conclusio ex pronunciatio planè uero, & altero in parte falso: fit enim nonnunquam, ut  $b$  in toto  $c$  insit;  $a$  autem in  $c$  aliquo, &  $a$  in quodam  $b$  insit. ut bipes omni homini inest, pulchrum non omni, & tamen pulchrum alia cui bipedi inest. Itaque si ponatur  $a$  et  $b$  in toto  $c$  esse, propositio  $b$   $c$  uera planè erit,  $a$   $c$  in parte falsa, conclusio autem uera. Idem fiet, si pronunciatum  $a$   $c$  uerum sumatur,  $b$   $c$  in parte falsum: iisdem enim finibus commutatis id ostēdetur. Item si propositio altera neget, altera aiat. quandoque enim accidit, ut  $b$  in toto  $c$  insit, &  $a$  in eo aliquo. at dum hæc ita se habeant,  $a$  non omni  $b$  inest. Itaque si sumatur,  $b$  in toto  $c$  inesse,  $a$  uerò in  $c$  nullo, negatio erit in parte falsa, altera propositio planè uera, conclusio item uera. Præterea quandoquidem probatum est, ubi  $a$  in nullo  $c$  insit,  $b$  uerò in eo aliquo, fieri posse, ut  $a$  in aliquo  $b$  non sit: perspicuum, ubi  $a$   $c$  planè uerum sit,  $b$   $c$  in parte falsum, conclusionem posse esse ueram. Nam si sumatur  $a$  in nullo  $c$  inesse,  $b$  uerò in  $c$  omni, pronunciatum  $a$   $c$  planè uerum erit,  $b$   $c$  autem in parte falsum. Constat item, in ratiocinationibus quæ in parte sunt, ex falsis uerum omnino concludi. Eadem enim extrema sumi debent, quæ sumpta sunt, dum uniuersalia essent pronunciatæ, in aientibus aientia, negantia in negantibus. Nam quod ad extremorum expositionem pertinet, nihil re-

fert.

fert, quod nulli inest, sumere, quasi omnino in sit: et quod alicui in sit, omni non inesse. Idem de priuantibus est existimandum. Hinc igitur perspicuum est, ubi conclusio est falsa, ea ex quibus argumentatio constat, aut omnia, aut aliqua necessariò esse falsa. Quòd si uera sit, nec omnia, nec aliqua uera esse, necesse est; quin nonnunquam sit, ut cum neutra syllogismi propositio uera sit, conclusio sit a. & e uera, non tamè ex necessitate. Cuius rei hæc est ratio. nam quando duæ res ita sunt inter se affectæ, ut si una sit, altera quoq; sit ex necessitate: hæc si non sit, ne illa quidem erit: quòd si ea sit, non est necesse ut illa sit. Ex eo autem quòd aliquid sit, & non sit, fieri non potest ut res eadem sit necessariò. Quòd dico tale est: cura a album est, ipsum b ex necessitate esse. Rursum cum a album non sit, ipsum b necessariò esse. Nam quia ex eo quòd hæc res, nempe a, est alba, necesse est illam, b inquam, esse magnam: at cum b est magnum, c non est album, profectò necesse est, si a sit album, ut c non sit album. Et cum ex duobus propositis, si unum sit, alterum esse necesse est: ubi hoc non sit, necesse est illud non esse: profectò cum b non est magnum, a nequit esse album. Quòd si dum a non est album, ex necessitate b est magnum: accidit, ut cum b non sit magnum, illud ipsum b sit magnum, idq; necessariò: id quòd fieri nequit. Nam si b non est magnum, a non est candidum ex necessitate. Si igitur b erit magnum, dum a non est album, efficitur quasi per tres fines, si b non est magnum, ut illud ipsum sit magnum.

De probatione circulari. Cap. IIII.

Probatio autem in orbem & ex alternis tunc fit, cum sumpta

sumpta conclusione, & propositione altera ratione di-  
 cendi inuersa, concluditur altera propositio, quæ in supe-  
 riori syllogismo sumpta fuit: exempli gratia, si proban-  
 dum fuerit, omne  $c$  esse  $a$ , idq; probatum sit per ipsum  $b$ .  
 Rursus si probetur  $b$  esse  $a$ , ex eo quod  $c$  sit  $a$ , &  $b$  sit  $c$ ,  
 atq; ita  $b$  sit  $a$ ; principio autem contra sumpsit, qui raa-  
 tiocinatur, nempe  $c$  esse  $b$ . Vel etiam si probandum sit,  $b$   
 esse in  $c$ , ac sumat  $a$  in  $c$  dici, quæ fuit conclusio, &  $b$  in  
 $a$  inesse. At antea contrario modo sumptum erat, nempe  
 $a$  esse in  $b$  aliquo, nulla fit ex alternis probatio. Nam si  
 medium quoddam diuersum sumatur, non fit in orbem  
 probatio: nihil enim idem sumitur. Quod si quippiam ex  
 illis sumatur: alterum tantum accipi necesse est. Si enim  
 ambo sumerentur, eadem efficeretur conclusio, cum di-  
 uersam effici oporteat. In his igitur quæ non retrò simul  
 commeant, ratiocinatio efficiuntur ex altero pronunciata  
 non confirmato: neq; enim in his extremis concludere  
 possis tertium in medio inesse, aut medium in primo. In  
 his autem quæ uicissim commeant extremis, omnia ex se  
 inuicem probari possunt, ut si  $a$   $b$   $c$  commeant inter se,  
 & sint æqua. Faciamus enim, ut  $a$   $c$  probatum sit per  $b$ ,  
 rursus  $a$   $b$  per conclusionem, & propositionem  $b$   $c$  con-  
 uersam: ita &  $b$   $c$  per conclusionem, & propositionem  
 $a$   $b$  inuersam: sunt autem pronunciata  $c$   $b$ , &  $b$   $a$  pro-  
 banda. Ea enim sola citra probationem usurpauimus:  
 sanè si  $b$  sumatur in toto  $c$  inesse, &  $c$  in omni  $a$ , efficie-  
 tur ut  $b$  sit in  $a$ . Rursus si ponatur  $c$  in omni  $a$  inesse, hoc  
 uerò in toto  $b$ , necesse est ut  $c$  in toto  $b$  insit. Ac in amba-  
 bus illis ratiocinationibus pronunciatum illud  $c$   $a$  citra  
 confirmationē sumptum est: reliqua uerò probata sunt.  
 itaq;

itaque si illud confirmauerimus, omnia ex se inuicem confirmata fuerint. Itaque si sumatur  $c$  in omni  $b$  inesse, hoc item in omni  $a$ , sumuntur duo pronunciata iam probata, & ex his efficitur necessario ut  $c$  in ipso  $a$  in sit. Perspicuum est igitur, in his modo quæ uicissim comitant, orbicularem probationem fieri, ac uicissitudinariam: in alijs uerò, eo quo diximus modo. Probatur enim  $c$  de  $b$ , hoc item de  $a$ , si sumas  $c$  dici in  $a$ . at  $c$  in  $a$  dici, ex pronuntiationis illis probatur. utimur itaque conclusione ad id probandum. in priuantibus autem ratiocinationibus hoc modo fit mutua confirmatio. Ponamus  $b$  in omni  $c$  inesse,  $a$  uerò in nullo  $b$ : efficitur conclusio, nullum  $c$  inquam esse  $a$ . Quòd si rursus concludendum sit,  $a$  in nullo  $b$  inesse, quod dudum sumptum est, sumetur  $a$  in nullo  $c$ , & hoc in omni  $b$ : atque ita inuertetur pronuntiatum. Quòd si concludi oporteat,  $b$  in  $c$  inesse, non ita conuertendum erit illud  $a$   $b$ , cum pronuntiatum idem sit,  $b$  in nullo  $a$  inesse, &  $a$  in nullo  $b$ : sed sumendum est, in quo nullo ipsum  $a$  inest, ipsum  $b$  in eo toto inesse. ponamus  $a$  in nullo  $c$  inesse, quæ conclusio fuit, & in quo nullo est  $a$ , sumamus ipsum  $b$  in eo toto esse. necesse est igitur ipsum  $b$  in toto  $c$  inesse. Atque ita cum tria sint pronunciata, unumquodque effectum est conclusio. atque illud est in orbem demonstrare, nempe cum conclusionem sumis cum altero pronuntiato inuerso, unde concludis alterum pronuntiatum. At in ijs quæ in parte sunt ratiocinationibus, uniuersale pronuntiatum ex alijs probari nequit, particulare potest. Ac uniuersale concludi non posse perspicuum est, quandoquidem uniuersum ex uniuersis efficitur: conclusio autem in his non est uniuersa, & probatio

efficitur

efficienda est ex conclusione & altero pronūciato. Ad  
 de, quod retrò commēante pronūciato, nullus efficitur  
 syllogismus, cum in parte sint ambo pronūciata. Potest  
 autem, quæ in parte est propositio, probari. sit enim ian̄  
 probatum a de quodam c per mediū b: iam si sumatur  
 b in omni a inesse, ac conclusio eadem maneat, profectò  
 b in aliquo c in erit: efficitur enim prima figura, ac me-  
 dium est ipsum a. Quod si priuans sit ratiocinatio, pro-  
 nūciatum uniuersum concludi nequit, ob eam quā pau-  
 lo antè dixi, rationem. Quod in parte est nequit, si illud  
 a b eodem modo retrò commēet, atq; in uniuersalibus:  
 Potest autem concludi per assumptionem, nempe si su-  
 mamus in qua re in parte inest a, in ea ipsum b in parte  
 quoq; inesse: quod si res aliter habeat, non efficitur syl-  
 logismus, quia negat quæ in parte propositio. At uerò in  
 secunda figura affirmatio hac uia probari nequit, nega-  
 tio maxime: ac non probatur affirmatio, quæ non sunt  
 ambo affirmantia pronūciata. complexio enim est pri-  
 uans, affirmatio autem ex ambabus affirmationibus ef-  
 ficiebatur. Priuans autem pronūciatum hoc modo pro-  
 batur, faciamus, ut a sit in b toto, in c nullo: conclusio est,  
 b in nullo c inesse. Quod si ponatur, b in omni a inesse,  
 & in c nullo, efficitur necessariò, ut a in nullo c in sit,  
 efficitur enim in secunda figura, ac medium est ipsum b:  
 Quod si a b sumatur priuans, alterum autem affirmans,  
 efficitur prima figura, siquidem in toto a est c, b uerò  
 in nullo c: ita b in nullo a erit, ne a quidem in b: c autem  
 est medium. Non igitur efficitur ratiocinatio ex com-  
 plexione, & propositione una: quod si assumatur alte-  
 ra, fiet. Quod si uniuersa non sit ratiocinatio, quod in  
 toto

toto est pronunciatum probari nequit, ob quam antea exposui causam; quod in parte est: maxime ubi affirmatio uniuersalis fuerit. sit enim  $a$  in omni  $b$ , & in  $c$  non omni, conclusio est  $b$  in  $c$ . Igitur si sumatur  $b$  in omni  $a$  inesse, & in  $c$  non omni, concludetur  $a$  in aliquo  $c$  non esse, ac medium est  $b$ . Quod si uniuersalis propositio neget, pronuntiatio  $a$  in  $c$  non probabitur, etiam si retrò conueniet illud  $a$  in  $b$ . accidit enim ut uel ambo pronuntiata negent, uel certe alterum. Itaque non efficietur syllogismus, sed eadem uia ac ratione probabitur ac in uniuersalibus: nempe si sumatur, cui ipsum  $b$  in parte non inest, in illius parte illud  $a$  inesse. In tertia autem figura, ubi uniuersa ambo pronuntiata sumpta sint, non possunt ea ex se inuicem probari. Nam pronunciatum in toto, ex ijs probatur quæ in toto sunt: ac in hac figura conclusio perpetuo est in parte. Constat igitur, in hac figura uniuersale pronunciatum concludi nullo modo posse: ubi uerò alterum sit in toto, alterum in parte, aliquando sanè licebit, aliquando non item. licebit quidem, ubi ambæ affirmant, & illud totum minori extremo iunctum sit: quod si alteri iungatur, non licebit. Ponamus enim, ut  $a$  in toto  $c$  inest,  $b$  uerò in eo aliquo, conclusio est  $a$  in  $b$ : quod si sumatur,  $c$  in toto  $a$  inesse, propositione uniuersa retrò comitante,  $a$  rursus in  $b$ , quæ conclusio antea fuit, effectum est,  $c$  in aliquo  $b$  inesse, non contra  $b$  in aliquo  $c$ : etiamsi necesse sit, si  $c$  est in aliquo  $b$ ,  $b$  quoque in aliquo  $c$  inesse. Non tamen res est eadem, illud in hoc inesse, & hoc in illo: sed assumendum est, si hoc in illo aliquo sit, alterum quoque in eo aliquo esse. quod si sumatur, non iam efficietur syllogismus ex

conclusionē, & altero pronunciato. At si b in toto c in-  
 sit, a item in aliquo c, illud a c probari potest, si sumatur  
 c in toto b inesse, a uerò in eo aliquo, nam si c omni b  
 inest, a item alicui b, necesse est ut a alicui c in sit, ac b est  
 medium. Probabitur item alterum pronunciatum, si u-  
 num adfirmet, alterum neget, & in toto sit id quod affir-  
 mat. Ponamus enim b in toto c inesse, a uerò in quodam  
 c non esse in cōclusionē, efficitur, a in aliquo b non esse.  
 quòd si assumatur c in omni b esse, a autem non omni b  
 inerat, necesse est ut alicui c non in sit: medium autem est  
 b. Vbi uerò pronunciatum priuans in toto sit, non pro-  
 batur alterum, nisi sumantur pronunciata eadem ratio-  
 ne atq; in superioribus: nempe in quo illud in parte non  
 est, in eodem aliquo alterum in sit. uerbi gratia, si a in  
 nullo c inest, & in hoc aliquo in sit ipsum b, concluditur  
 a in quodam b non esse. si igitur sumptum sit, ipsum c in  
 eo quodam esse, cui aliqua ex parte non inest a, necesse  
 est ut b in aliquo c in sit: alioqui pronunciatum alterum  
 probari nequit, etiam si retrò commeet, quod in toto est:  
 nulla enim efficitur ratiocinatio. Hinc igitur perspicuū  
 est, probationem uicisitudinariam in prima figura effi-  
 ci, tum per primam, tum per tertiam figuram: si enim  
 affirmans sit conclusio, in prima efficitur: sin neget, in  
 postrema. nam sumitur alterum in eo toto inesse, in quo  
 nullo alterum inerat. At in figura media, si uniuersa sit  
 ratiocinatio, tum in ea ipsa, tum in prima figura, ac in  
 postrema efficitur conclusio. ubi autem in parte sit syllo-  
 gismus, tum in ipsa, tum in postrema figura id efficitur:  
 in postrema autem figura, omnia in ea ipsa probantur.  
 Constat etiam, quum in media figura, & in tertia per  
 eas.

eas ipsas non efficiuntur syllogismi, eos aut probationem orbicularem non efficere, aut certe imperfectos esse.

De ratiocinationum reciprocatone.

Cap. V.

Retrò uertere, est conclusione commutata concludere, uel maius extremum in medio non esse, uel etiam hoc in postremo. nam si inuertatur conclusio, & alterum pronunciatum seruetur, necesse est alterū euertere. si enim illud sit, conclusio quoque erit. Refert autem plurimum, an in contradicens, an in contrarium conclusionem inuertat. nec enim idem efficitur syllogismus, si utroque modo illa inuertatur: id quod ex progressu intelligitur. Contradicentia hæc appello, omne, non omne: aliquid, nullum. aduersa uero per contraria, omni inesse, & nulli: alicui item, & non alicui inesse. Sit enim probatum a de c per medium b: profectò si sumptum sit, a in nullo c in esse, & in b toto, efficietur, ut b in nullo c in sit. Quod si a in nullo c in sit, b uero in toto c, a non omni b in erit. at nulli planè, non item: quippe cum in tertia figura non concludi totum diximus. Eam autem propositionem quæ maiori extremo coniuncta est, omnino ac in totum euertere per reciprocatonem non licet, quippe cum in tertia figura semper euertatur. necesse est enim, ut ambo pronuntiata ad minus extremum sumantur. Eadem est ratio, ubi syllogismus priuans sit. sit enim probatum, a in nullo c in esse per medium b: si igitur sumatur a in toto c in esse, & in b nullo, ipsum b in nullo c in erit: item si a & b in toto c in sint, a alicui b in erit, cū nulli antea in esset. Quod si uertatur conclusio in contradicens, diuersi fient syllogismi, & contradicentes, nec uniuersi: nam al-

terum

terum pronunciatum in parte est. ita fit, ut & conclusio in parte quoque sit. faciamus enim, ut syllogismus propositus naturam affirmans, ac eo modo commutetur: profecto si a non omni c inest, & ipsi b omni, ipsum b non omni c inerit. Rursus si a non omni inest, & huic omni inest c, ipsum a non omni b inerit. Itidem fiet, si priuans sit ratiocinatio. nam si a in aliquo c inest, & in b nullo, ipsum b alicui c non inerit, at non omnino nulli. Item si a in c aliquo inest, & huic toti inest b, quo modo initio sumptum est, a in aliquo b inerit. In his autem qui in parte sunt syllogismis, uertuntur ambo pronunciatia, dum conclusio in contradicens commutatur. quod si in contrarium uertatur, neutrum euertitur. nec enim in his fit, ut in uniuersalibus, nempe ut euertantur pronunciatia, si conclusio in conuersione deficiat: nec enim euertere illo pacto licet. Sit enim ostensum a de aliquo c, tum si sumatur a in nullo c esse, b item in aliquo c, a in aliquo c non erit. Quod si a in nullo c inest, & in b omni, ipsum b in nullo c erit, atque ita ambo pronunciatia euertuntur. Sin contrario modo commutetur conclusio, neutrum tollitur. nam si a in quodam c non est, & in b toto, b in quodam c non erit. Necdum tamen euersum est pronunciatum initio propositum: quippe cum fieri possit, ut in aliquo sit, in aliquo non sit: ipsum autem uniuersale a b nullo pacto concluditur. nam si a in quodam c non inest, b uero in quodam est, neutrum pronunciatum in toto est. Idem fieri existimandum est, ubi priuans fuerit ratiocinatio. Si enim sumptum sit, a esse in toto c, euertuntur ambæ propositiones: sin in aliquo, neutra. Huius rei eadem est, quæ prius demonstratio.

DE PRIMA RESOLUTIONE. 216

Figura secunda. Cap. VI.

At in secunda figura euerit nequit pronunciatum  
 maiori extremo iunctum ex contrario, quocunq; modo  
 reciprocatio fiat: quippe cū in tertia figura semper con-  
 cludatur, in qua uniuersa cōclusio non efficitur, alterum  
 autem pronunciatum eodem modo euertemus, quo reci-  
 procatio facta fuerit: eodem modo in qua, nempe si com-  
 mutatio fiat in contrarium, contrario modo: sin in con-  
 tradicens, contradictorio. Ponamus enim, ut a in toto b  
 insit, & in c nullo, cōclusio est b c. Si igitur sumptum sit,  
 b in toto c inesse, dum a b idem seruetur, profecto a in to-  
 to c inerit: efficitur enim prima figura, quod si b in toto  
 c, & a in nullo c inest, ipsum a non omni c inest: fit e-  
 nim postrema figura. Quod si b c in contradicens com-  
 mutetur, illud a b eodem modo probabitur, a uerò con-  
 tradictorio modo. nam si b alicui c inest, a uerò nulli c,  
 ipsum a alicui b non inerit. Rursus si b in c aliquo repe-  
 ritur, & a in toto b, a in aliquo c inest: atq; ita contra-  
 dicens efficitur conclusio, eadem ratione id probabitur,  
 si pronunciatia contraria ordine sint disposita. Quod si  
 ratiocinatio sit in parte, & conclusio in contrarium uer-  
 tatur, neutrum pronūciatum euertetur, quemadmodum  
 neque in prima figura: sin commet in contradicens, ua-  
 trumq; tolletur. Sit enim positam a in nullo b inesse, &  
 in c aliquo esse, concluditur inde b c: tum si ponatur b  
 in quodam c inesse, & maneat illud a b, cōcludetur a in  
 aliquo c non esse, nec ideo euersum est, quod initio positū  
 fuit, quippe cum fieri possit, ut quidpiā in alio aliquo in-  
 sit, aliquo item non sit. Rursus si b est in aliquo c, a item  
 in aliquo c, nulla efficitur ratiocinatio: neutrum enim

Figura

pronunciatum sumptum est in toto, atq; ita non subuertitur illud a b. quòd si in contradicens commeet conclusio, euertuntur ambo pronunciata. nam si b est in omni c, & a in nullo b, profectò a in nullo c erit: at alicui inerat. Rursus si b in toto c, & a in aliquo c in sit, efficitur, ut a in aliquo b sit. Eadem est demonstrandi ratio, ubi uniuersale illud affirmauerit.

Figura tertia. Cap. VII.

Neutrum item pronunciatum euertetur in syllogismo quouis in tertia figura, ubi conclusio in contrarium uertatur: ubi uerò mutatur in contradicens, tollentur ambo in ratiocinatione quauis. sit enim probatum, a in aliquo b inesse, ac medium sumptum sit c, & pronunciata sint uniuersa: tum si sumatur a in quodam b non esse, b uerò in omni c, non concluditur a de c: nec itè b, nec c concluduntur, si a in aliquo b inest, & in c omni. Eadem uia id monstrabitur, si in toto non sint pronunciata. aut enim ambo in parte sint oportet, ob cõuersionem: aut illud totum minori extremo iungi, quo modo nec in prima figura, nec in media efficiebatur ratiocinatio. Quòd si contradictorio modo cõmeent, pronunciata euertuntur ambo. nam si a in nullo b, & b in toto c inest, a in nullo c inest. Rursus si a in b nullo, & in c toto reperitur, b in nullo c inest. Idem fiet, si in toto alterum non sit. nam si a in nullo b, & hoc in aliquo c inest, a in quodam c non erit. Si uerò a in nullo b, & in toto c inest, ipsum b in nullo c erit. Eadem est ratio, si priuans sit ratiocinatio. Sit enim effectum, a in quodam b non esse, ac illud b c affirmet, a c uerò neget: hoc enim modo efficiebatur ratiocinatio. non erit igitur syllogismus, dum sumatur contra-

rius

rium complexionis. nam si a in aliquo b, & hoc in omni  
 c in sit, diximus non concludi a & c: ne concluderentur  
 quidem, si a in quodam b sit, & in nullo c. quare non e-  
 uertuntur pronunciata. ubi uerò cōtradicens conclusio  
 nis sumitur, maxime. Nam si a in omni b, & hoc in om-  
 ni c inest, a in omni c erit, cum antea nulli inesset. rursus  
 si a in toto b, & in c nullo est, b in nullo c est: at antea o-  
 mni inerat. Eadem ratione id probabitur, si pronūciata  
 in toto non sint. nam illud a c efficitur uniuersale, & pri-  
 uans, alterum in parte affirmans. Si igitur a sit in omni  
 b, & hoc in quodam c, efficitur ut a in quodam c in sit.  
 at uerò nulli inesse, positum erat. Rursus si a in toto b in-  
 est, & in c nullo, b in nullo c inest. Quòd si a est in quo-  
 dam b, & hoc in quodam c, nihil concluditur. & si a in  
 b quodam in sit, & in c nullo, ne sic quidem syllogismus  
 fiet: quapropter illo modo euertuntur pronunciata, hoc  
 uerò nequaquam. Ex his igitur quæ exposuimus, diluci-  
 dum est, quo pacto in singulis figuris efficiatur ratio-  
 natio, dum commutatur conclusio, quando pronūciati  
 cōtrarium colligitur, quando cōtradicens. Constat etiam  
 ex his, syllogismos in prima figura fieri tum per figurā  
 mediam, tum per postremam. pronūciatum item minori  
 extremo iunctū, semper in media figura tolli: quod uerò  
 ad maius est, per postremam. At in secunda figura, tum  
 per primam, tum per postremam: per hanc pronūcia-  
 tum maius, per illam minus pronūciatum semper euer-  
 titi. In tertia autem per primam, ac mediam: maius quidem  
 per primam semper, minus uerò per mediam perpetuò.  
 Atq; ita planè constat, quid sit illud commeari, quoq; pa-  
 tēt in singulis figuris, & quis efficiatur syllogismus.

Ratiocinatio autem per incommodum tum demum fit, cum conclusionis contradicens ponitur, & pronunciatum aliud assumitur, idque in omni figura efficitur. accedit enim ad reciprocationem: à qua eo differt, quòd reciprocatione quidem utimur, ubi iam structus est syllogismus, & posita sunt ambo pronuntiata: deducimus autem in incommodum citra preconcessionem contradicentis, sed quia dilucide uerum est. fines autem in ambobus eandem seruant collocationem, & est eadem in ambobus propositionum sumendarum ratio. uerbi causa, Si a est in toto b, & medium est c, si ponatur a non omni aut nulli b inesse, & ipsi c omni, quod antea uerum concedebatur, necesse est ut c in b aut nullo, aut non omni insit. hoc autem fieri nequit. falsum est igitur id quod positum est, ac illius contradicens uerum. Eodem modo fit in alijs etiam figuris. quæ enim reciprocationem admittunt, syllogismum quoque ad incommodum recipiunt. Ac quæstiones omnes aliæ in omnibus figuris per incommodum probantur: ea autem quæ in toto affirmat, per mediam quidem ac tertiam figuram probatur, per primam nequaquam. Ponamus enim a in b, aut non omni, aut nulli inesse: ac undecumque assumatur pronunciatum aliud, seu quòd c insit omni a, seu quòd b in toto d insit: eo enim modo fuerit prima figura. Si igitur ponatur a non omni b inesse, syllogismus non efficitur, undecumque pronunciatum alterum petatur: sin in eo nullo est, cum sumetur pronunciatum b d, concludetur quidem falso, non efficitur propositum. nam si a in nullo b, &

hoc

DE PRIMA RESOLUTIONE. 215

Hoc in omni d inest, a in nullo d inerit. sit autem hoc ex numero eorum quæ fieri nequeunt: falsum igitur est, & in nullo b esse. quod si hoc falsum sit, non continuo uerum est, in eo toto esse. Quod si propositio c a assumatur, nulla sit ratiocinatio: ne tum quidem fit, cum ponitur a non omni b inesse, perspicuum est igitur, uniuersalem affirmationem in prima figura per incommodum probari nõ posse. probatur autem ea questio, quæ quidpiam in aliquo, tum quæ in nullo, tum quæ in non omni inesse dicitur. Fingamus enim a in nullo b esse, & sumatur b in c, uel toto uel aliquo, necesse est igitur a non omni c aut nulli inesse: hoc autem est impossibile. Faciamus enim sit uerum ac perspicuum, a in omni c inesse: si igitur hoc falsum est, necesse est ut a in aliquo b in sit: quod si alterum pronunciatum assumatur, nullus efficietur syllogismus: ne tum quidem, cum contrarium conclusionis ponetur, nempe in aliquo non esse, unde constat, contra dicens esse ponendum. Rursus fingamus a in quodam b esse: sumatur item c in toto a, necesse est igitur c in quodam b esse, sit autem hoc impossibile. falsum igitur est, quod est positum: atq; ita uerum est, in nullo esse. Eadem est ratio, si c a sumatur priuans, quod si ea sumatur, quæ ipsi b iuncta est, non efficietur syllogismus. Si uerò contrarium ponatur, syllogismus quidem efficietur, ac concludetur quid absurdum: institutum autem non probatur. ponamus enim a in toto b inesse, & sumatur c in toto a: sane efficietur, ut c in toto b in sit: id autem est impossibile. falsum igitur est, a in omni b inesse. at si non omni inest, non continuo necesse est ut nulli in sit. Idem fieri arbitrandum est, si alterum pronunciatum, ad ipsum b sumatur.

sumatur. concludetur enim aliquid, idq; absurdum: at hypothesis non tollitur: contradicens igitur ponendum est. Ut autem probemus, a non omni b inesse, ponendum est omni inesse. nam si a omni b inest, & c omni a, c omni b inerit: quod si hoc fieri nequeat, falsum est quod posuimus. Itidem fiet, si pronunciatum alterum ad b sumatur. Item si illud c a sit priuans, eodem modo res habebit: ita enim syllogismus efficitur. quod si negatio ad ipsum b posita sit, nihil probatur: quod si ponatur non inesse in omni, sed in aliquo, non efficitur, non omni inesse; sed nulli. nam si a in aliquo b, & c omni a inest, c alicui b inerit, quod si id fieri nequit, falsum fuit, a alicui b inesse: uerum igitur erat, nulli inesse. cum autem id ostenditur uerum, rursus euertitur: nam a in quodam b erat, in quodam non erat. Præterea absurdum nõ est sequitum ex illa hypothesis: falsa enim fuisset, quandoquidem ex ueris falsum concludi nequit: at modò est uera. a enim alicui b inest: non fuit igitur fingendum, alicui inesse, sed omni. Idem quoq; fit, si probemus a in quodam b non esse. si enim idem ualet, alicui non inesse, & non omni inesse, eadem erit in ambobus probandi ratio. Constat igitur, in omni ratiocinatione contradicens ex fictione ponendum esse, non cõtrarium. Eo enim modo & probandi necessitas erit, & locum habebit postulatum illud præclarum. Nam si in re quauis affirmatio uera est, aut negatio, & probetur negatio non esse uera, necesse est affirmationem esse ueram: contrà si affirmationem ueram non admittit, par est & uerisimile, postulare negationem: cõtrarium autem neutro modo postulare decet, nec enim necesse est, si falsum est, nulli inesse, ut uerum sit,

DE PRIMA RESOLVTIONE. 217

fit, inesse in toto: nec est uerisimile, si unum falsum sit, alio-  
 terum uerum esse. Constat igitur, uniuersalem quaestio-  
 nem affirmatam in prima figura, non probari per in-  
 commodum, alias autem omnes concludi.

De secunda figura. Cap. IX.

In media autem & postrema figura illa quoq; pro-  
 batur. Fingamus enim a non omni b inesse, & sumatur  
 a in omni c essetum si a non omni b inest, & ipsi c om-  
 ni, c no omni b inest: hoc autem est impossibile. Sit enim  
 manifestum, c in omni b inesse: est igitur falsum id, quod  
 ex fictione positum est: est igitur uerum, quod omni in-  
 sit. Quod si fingatur contrarium, syllogismus quidem ef-  
 ficietur, & concludetur quid absurdum, non tamen ef-  
 ficitur quaestio proposita, nam si a in nullo b, in toto c  
 insit, c in nullo b erit: id autem absurdum est, falsum est  
 igitur, nulli inesse, ut autem hoc falsum sit, non continuo  
 uerum est, ut omni insit. Cum autem a alicui b inest, po-  
 natur a in nullo b esse, & sit in omni c: necessario effi-  
 citur, ut c in nullo b insit, quod si fieri nequit, ex neces-  
 sitate consequitur, ut a alicui b insit, quod si ponatur ali-  
 cui non inesse, ea ipsa efficientur, qua in prima figura  
 fieri diximus. Rursus fingamus a alicui b inesse, ac ipsi c  
 nulli insit, necesse est ut c in b non sit: at inerat omni, fal-  
 sum est igitur, quod positum est: nulli igitur b ipsum a  
 inerat. Quando uero concludendum est, a non omni b  
 inesse, fingatur quasi omni insit, ipsi uero c nulli: neces-  
 sario efficitur, ut c nulli b insit, id autem est absurdum, ue-  
 rum est igitur, quod non omni inest. Atq; ita con-

stat, conclusiones omnes in media fi-  
 gura effici.

Eadem ratione concludetur in postrema figura. Ponamus enim  $a$ , ut in aliquo  $b$  non sit,  $c$  uero in omni  $b$  insit: binc efficietur, ut  $a$  cuidam  $c$  non insit. Quod si hoc fieri nequeat, falsum est, cuidam non inesse: uerum est igitur, omni inesse. Quod si ponatur, nulli inesse: absurdum quidem ea ratiocinatione concludetur, sed non tamen efficietur propositum. Nam si ponatur contrarium, ea ipsa efficietur, quæ prius. At ut alicui insit, id poni oportet; nam si  $a$  in nullo  $b$  inest, &  $c$  in  $b$  quodam,  $a$  non omni  $c$  inest. quod si falsum sit, uerum est,  $a$  alicui  $b$  inesse. Vbi uero nulli  $b$  inest  $a$ , ponamus quasi alicui insit, ac sumatur  $c$  in toto  $b$  inesse: inde efficietur necessarium, ut  $a$  alicui  $c$  insit. at nulli inesse diximus: falsum est igitur, quod  $a$  alicui  $b$  insit. Quod si ponatur  $a$  in toto  $b$ , non probatur propositum. Sumi autem debet ea hypothesis ad concludendum non omni inesse. Nam si  $a$  in omni  $b$  inest, &  $c$  in quodam  $b$ ,  $a$  in quodam  $c$  inest: at non ita erat. falsum est igitur, quod omni insit: atque ita uerum, non omni inesse. Quod si ponatur, alicui inesse, id ipsum accidet, quod & in ijs quæ superius exposita sunt. Constat igitur, in omni syllogismo, qui per incommodum probatur, contradicens esse ponendum, ac in figura media affirmationem quodam modo concludi, in tertia etiam questionem uniuersam.

Inter eam autem probationem quæ fit per incommodum, & eam quæ propositum concludit, eod interest, quod illa ponit id quod euertere uult, deducendo hominem in mendacium confessum: ea autem quæ propositum concludit, initium sumit ex questionibus ueris ac concessis.

Sumunt

Sumunt igitur ambæ pronuntiata cōcessa: sed altera ea sumit, ex quibus efficitur syllogismus: altera uerò unum quidem ex his sumit, alterū autem sumit conclusionis contradicens. & illic conclusionem notam esse nihil oportet, nec prius sumi ita esse, uel non esse: hic uerò necessarium sumi debet, non esse ita. Neq; uerò quicquam refert, affirmet an neget conclusio. nam utrobique eadem est ratio. ac quicquid recta probatione concluditur, ex incommodo quoque probabitur. Itidem quod ex incommodo efficitur, recta probatione efficietur, ac per eosdē fines, non tamen in iisdem figuris. nam ubi syllogismus in prima figura efficitur, uerum colligetur aut in media, aut in postrema figura. In media quidem, si sit priuans: in postrema uerò, si affirmet. at quando in media figura efficitur syllogismus, uera conclusio efficietur in prima figura, idque in quouis genere questionum. Quod si in postrema figura syllogismus fiat, efficiuntur conclusiones ueræ tum in prima, tum in media figura: in illa quidem affirmantes, in hac negantes. ponamus enim, ut in prima figura effectum sit, a in nullo b inesse, aut non omnium hypothesis erat, quod ipsum a alicui b inesset. c uerò sumptum est omni a inesse, & in b nullo. ita enim syllogismum effici diximus, et incommodum concludi: mediam item esse figuram, si c in a quidem omni & nullo b insit: ex quibus effici constat, ipsum a in nullo b esse. Eodem modo fiet, si probatum sit, a non omni b inesse. ponitur enim, quod omni insit. c uerò sumebatur in toto a esse, in ipso uerò b non omni: hoc idē fiet, si illud c a priuans sumatur, hac enim uia efficitur media figura. Rursum probetur a in quodam b esse: profecto fingendū est,

nulli

nulli inesse. b uerò in toto c inesse sumebatur: a uerò in i-  
 pso c, aut omni, aut quodam: ita enim incommodum effi-  
 cietur, ac tum sit postrema figura, cum a & b in toto c  
 insunt. inde concludi constat, a in quodam b inesse, idq;  
 necessario. Itidem fiet, si b uel a in quodā c inesse suman-  
 tur. Rursus probetur in media figura, a in omni b inesse:  
 profectò fingendum est, quasi non omni insit. sumptum  
 est autem, a in omni c inesse, b uerò in omni c. hoc enim  
 modo incommodum concludetur, ac prima figura est, cum  
 a in omni c, & hoc in omni b inest. Tantundem fiet, si in  
 aliquo inesse probatum sit: nam hypothesis est, a in nullo  
 b inesse. sumptum est autem, a in omni c, & c in quo-  
 dam b. quòd si priuans sit syllogismus, poni quidem de-  
 bet, a in aliquo b esse: at sumptum est, a in nullo c, & c in  
 omni b: efficitur igitur prima figura. Eadem erit ratio,  
 si non in toto sit conclusio: sed effectum sit modò, a in  
 quodam b non esse. ponitur enim a in omni b. iam uerò  
 positum est, a in nullo c, & hoc in omni b: hac enim uia  
 efficitur prima figura. Rursus faciamus, ut probatum sit  
 in tertia figura, a omni b inesse, ponitur ex hypothesis, a  
 non omni b inesse, est autem iam sumptum, esse in omni  
 b, & a in omni c. ita enim concludetur incommodum, et  
 fiet prima figura. eadem ratione fiet, si probatum sit in  
 aliquo esse. nam ponitur ex hypothesis, a in nullo esse b:  
 & sumptū est c in aliquo b, & a in omni c. Quòd si con-  
 clusio sit priuans ex fictione, ponendum est a in quodam  
 b esse: positum est autē c in nullo a, & in omni b, ac me-  
 dia est ea figura. Itidem fiet, si in toto non sit probatio.  
 Sumetur enim ex pacto, a in omni b inesse: & sumptum  
 est c in nullo a, & in quodā b, atq; ea est media figura.

Per spicuum

Perſpicuum eſt igitur, unamquaq; quaſtionem per eadem extrema, tum probatione recta, tum per incommo- dum concludi poſſe. Eadem quoque ratione licebit, ubi ratiocinationes recta probantes fuerint, eas in incom- modum conuertere, in his quæ ſumpta fuerint extrema, dum contradicens propoſitio in concluſione ſumatur. ef- ficiuntur enim ijdem ſyllogiſmi atque ſunt, qui per con- uerſionem ſunt. unde & continuo figuræ ipſas habe- mus, per quas unaquæq; quaſtio concludatur. Conſtat igitur, omnem quaſtionem utraq; uia probari, tum per incommo- dum, tum recto ductu, nec poſſe alteram uiam ab altera ſeiungi.

De ratione concludendi ex contrarijs.

Cap. XI.

Perſpicietur autē hac uia, in quānam figura ex pro- nunciatis contrarijs concludere liceat, in qua non liceat. Contraria autem pronūciata in uoce quatuor eſſe dico: nempe, omne nullum, omne non omne, aliquod nullum, aliquod non aliquod: reuera tria tantum ſunt contraria, nam quoddam, & non quoddam, uoce modo pugnant. Ex his autē aduerſa ea dico, quæ in toto ſunt: ut omne & nullum, uerbi cauſa, omnis ſcientia eſt ſtudioſa, & nulla ſcientia eſt ſtudioſa. Alia uerò contraria appello. Ac in prima figura ex pronunciatis contrarijs non efficitur ſyl- logiſmus, nec affirmans, nec negans: affirmans quidem, quia oportet ambo pronuciata affirmantia eſſe, con- traria autem ſunt affirmatio & negatio: negans autem effici nequit, quia cōtraria idem de eodem affirmant & negant. At medium in prima figura de ambobus non di- citur, ſed aliud de eo negatur, ipſum autem de alio affir- matur:

matur: hæc autem contraria non sunt. At uerò in mediâ figura syllogismus effici potest tum ex contradicentibus, tum ex aduersis. ponamus enim bonum in a, scientiâ autem in b & c: profectò si sumpsit omnem scientiam esse studiosam, item & nullam: a in toto b inest, et in c nullo; atq; ita b in nullo c inerit, nulla igitur scientia est scientia. Badem est ratio, si primùm sumpserit omnem scientiam esse studiosam, dein sumat medicinam non esse studiosam. Nã a in omni b inest, & in c nullo, atq; ita quædam scientia non est scientia. item si a in toto c, & nullo b inest: ac b est scientia, c uerò medicina, a opinio. cum enim sumpsisset, nullam scientiam esse opinionem, postea accepit, quandam scientiam esse opinionem. Inter hunc autem syllogismum & superiorem hoc interest, quod extrema commutentur: nam antea affirmatio ipsi b iuregebatur, nunc autem ipsi c. Eodem modo fiet, si alterum pronunciatum in toto altero non sit. perpetuò enim medium manet, quod de uno affirmatur, de altero negatur: atq; ita possint hic contraria concludi, uerùm non semper, nec ratione quauis: sed si ea sint inter se, quæ sub medio cõinentur, ut uel eadem sint, uel unum ad alterũ rationem totius ad partem habeat: alioqui id effici nequit: neq; enim pronunciatâ, aut contraria, aut contradicentia ullo pacto erunt. At in tertia figura nunquam ex contrarijs pronunciatis efficietur syllogismus affirmans, ob eam quam superius exposui rationem, in prima figura efficietur autẽ negans syllogismus, seu in toto sint extrema, seu non sint. Faciamus enim, ut loco b & c sit scientia, & in locum a succedat medicina: tum si quis sumat omnem medicinam esse scientiam, ac nullam medici-

DE PRIMĀ RESOLVTIONĒ. 274

nam esse scientiam, is sumpsit b in toto a, c autem in eodem nullo: unde efficitur, quandam scientiam non esse scientiam. Idem fiet, si pronunciatum a b in toto sumptum non sit: nam si quaedam medicina est scientia, rursus nulla medicina scientia sit, efficitur, scientiam quandam non esse scientiam. ac ubi extrema in toto sumuntur, efficiuntur pronuntiata contraria: quod si alterum in parte accipiat, sunt contradicentia. Est autem aduertendum, contraria nonnunquam ita accipi posse, ut diximus: nempe omnem scientiam esse studiosam. Rursus aut nullam, aut certe quandam esse studiosam: id quod non solet esse obscurum. Licet & alterum concludere, uel etiā sumere ex uarijs interrogationibus, quemadmodum in Topicis dictum est. Cum autem affirmationum tres sint oppositiones, accidit contraria sex modis accipi: ut totum & nullum, totum non totum, quoddam & nullum, idq; in extremis commutare. uerbi causa, a in omni c, & nullo b: aut in c toto, in b uerò nullo: aut in altero quidem omni, in altero uerò non omni. Rursus id in extremis commutare licet. eadem est ratio & in tertia figura. Perspicuū est igitur, quot modis, ac in quibus figuris ex contrarijs pronuntiatis syllogismus effici possit. Constat etiam, ex falsis uerum concludi posse, quemadmodum antea exposuimus, ex contrarijs non posse: conclusio enim semper est rei aduersa, ut si sit ea bona, concluditur eam non esse bonam: aut si animal sit, efficitur non esse animal, idq; quia syllogismus ex contradictione constat: extrema autem proposita aut eadem sunt, aut alterum est totum, alterum uerò pars. Liqueat etiam, nihil uetare in ratiocinationibus uitijs,

qua

quo minus concludatur quæstionis positæ contrarium. ut si quid sit impar, id non esse impar. nam ex pronuntiatis contrarijs efficiebatur syllogismus contrarius. ubi igitur talia pronuntiata sumpseris, efficietur contradicens quæstionis positæ. Hoc autem intelligi debet, ex uno syllogismo contraria non posse ita concludi, ut complexio dicat, quod non est bonū, esse bonum, aut aliquid huiuscemodi: nisi tale pronuntiatum statim initio sumptum sit, ut omne animans esse album, & non album, hominem autem esse animans: quin uel contradictio assumi debet, ut quod scientia omnis sit opinio, & non sit opinio: deinde sumendum est, medicinam scientiam quidem esse, opinionem tamen nullam, quomodo reprehensiones fieri solēt, aut duplici ratiocinatione illud efficiendum est. ut autem contraria sint reuera, quæ sumuntur, pronuntiata, alia ratione quam hac fieri nequit, quemadmodum antè expositum est.

De ratione postulandi propositi.

Cap. XII.

Potest autem eius quod in quæstione est, petitio ac sumptio, ut pars quædam comprehendi in uniuerso genere eorum modorum, quibus non bene id quod propositū est, demonstratur. Id quod multis modis fieri accidit: nempe seu nihil omnino concludatur, seu ex his quæ minus nota sunt, aut æquæ ignota, & si ex posterioribus probetur id quod prius est: demonstratio enim efficitur ex uerisimilioribus, & prioribus. ac in nulla istarum postulatur propositum, sed cum alia per se cognosci comparata sint, nonnulla ex alijs, (initia enim per seipsa cognoscibilia sunt, quæ initijs continentur aliunde) cum id quod

per

DE PRIMA RESOLUTIONE. 225

per se notum non est, conatur quis per se id ipsum probare, postulaturnum initio proposita quaestio. id quod ita fieri potest, ut continuo proposita quaestio postuletur. Potest etiam accidere, ut ad res nonnullas egrediamur, quae per alias natura probari erant comparatae, & ex his prima quaestio probetur. uerbi causa, si a probetur per b, & hoc per c, c uero suapte natura probari possit per a. ita enim fit, ut illud ipsum ex seipso probent, qui ita ratiocinantur: id quod faciunt, qui lineas aequè distantes describere se arbitrantur. neque enim intelligunt homines illi, se ea sumere, quae probari non possunt, nisi lineae sint aequè distantes. ipsi itaque, qui sic ratiocinantur, euenit, ut dicant res singulas esse, si ipsaemet sint, quomodo res omnes per se cognobiles erunt. id quod fieri nequit. Si quis igitur postulet a esse in c, cum ignotum sit b esse in c, item & a in b, nondum constat, an principium postulet: sed manifestum est, eum non demonstrare. nam quod aequè est ignotum, principium demonstrationis esse nequit. Quod si b & c ita sint inter se affecta, ut uel in idem conueniant, uel constet ea reciprocari, aut alterum in altero esse, postulaturnum quaestio prima. si enim ea reciprocantur, per illa quoque probauerit a esse in b. nunc autem id ueritat, non modus: si in id faciat, fecerit quidem id quod dictum est, & in tribus reciprocationem efficit. Eadem erit ratio, si sumat b in c inesse, cum aequè sit ignotum, & a in ipso c: nec dum postulaturnum prima quaestio, non tamen demonstrat. Quod si a & b idem sint, aut ea retrò comueent, aut a sit consequens ipsi b, postulaturnum quaestio ea ipsa de causa. exposuimus enim antea, quam uim habeat illud initio propositum: nempe quod sit per se mon-

strare, quod per se manifestum non est. Quod si propositum postulare, est per se confirmare id quod per se non est notum: id autem est propositum non demonstrare, cum demonstratio fit, & æque sint ignota, quod demonstratur, & ex quo id demonstratur: aut quia eadem in aliquo eodem insint, aut quia res eadem ijs insit: sanè in media figura, & in tertia utroq; modo æque postulari potest propositum. In syllogismo autem affirmante, tum in tertia, tum in prima: in negante uerò, ubi eadem ab aliquo eodem absunt, nec eodem modo se habent ambo pronunciata: item in media figura, quia extrema non retrò comitant in syllogismis negantibus: ac in demonstrationibus postulatur principium, cum reuera ita se habet: in disputationibus autem dialecticis, non ita fit opinione hominum.

Illud autem, quod in disputationibus saepe dicere solemus, falsum inquam eam ob causam non accidere, in ijs primùm ratiocinationibus accidit, quæ in incommo- dum deducunt, cum ad contradictionem eius rei pertinebit, quæ per incommo- dum probata sit. Neq; enim quisquam dixerit illud non propter hoc, nisi qui contradicẽs dederit, sed quidpiã falsum esse contendet ex ijs quæ ante sunt posita, nec in ea probatione, quæ propositum concludit, ut in qua non ponitur cõtradicens. Præterea cum quidpiam recta probatione euersum fuerit, ut per a b c, tum dici non potest, syllogismum ex pronunciato posito non fieri. Tum enim eam ob causam non fieri dicimus, cum ea sublata nihilominus concluditur syllogismus. Id quod in probantibus non accidit: quippe si propositio euertatur, nulla ad eam erit ratiocinatio. Constat igitur  
ob

Et eam causam in ijs syllogismis dici, qui ad incommo-  
 dum ducunt, cum hypothesi initio proposita ita se ha-  
 buerit ad incommodum, ut sit ea, uel non sit, nihilominus  
 sequatur illud. Ac unus est modus maximè conspicuus,  
 quo falsum propter hypothesim non efficitur, cum syllo-  
 gismus ex medijs ad incommodum factus ab ipsa hypo-  
 thesi absolutus sit, nullo modo coniunctus: quemadmo-  
 dum in Topicis dictum est. Illud enim est ponere cau-  
 sam, quod causa non sit, uerbi causa, si quis probare uo-  
 lens dimetientem esse irrationabilem, conctur Zenonis  
 rationem probare, nihil inquam moueri posse, & in id  
 incommodum rem deducat. nulla enim ratione coniun-  
 cta est hæc falsa cōclusio cum eo quod initio dictum est.  
 Alius est modus, cum conclusio absurda hypothesi quidē  
 continens est & coniuncta, ob eam tamen non sequitur:  
 id enim fieri potest, seu sursum, seu deorsum uersus su-  
 mas continens, ut si ponatur a esse in b, b in c, c rursus in  
 d: sit autem falsum, b esse in d: sanè si ubi a tolletur, ni-  
 hilominus b ipsi c in sit, c item ipsi b, conclusio falsa ex  
 hypothesi initio posita non sequebatur. Rursus si quis sur-  
 sum uersus continens & coniunctum sumat, ut si a sit in  
 b, e uerò in a, & f in e, cum falsum sit, f esse in a, nam  
 hac ratione nihilominus efficietur incommodum, ubi tol-  
 latur hypothesis posita: absurdum autem cōiungi debet  
 cum extremis initio positis: ita enim ex hypothesi conclu-  
 detur. Ut si coniunctū & continens sumas deorsum uera-  
 sus, prædicato coniungas, nam si impossibile sit a esse in  
 b, ipso a sublato non sequetur falsa conclusio: sin sursum  
 pergās, subiectum accipi debet, nam si fieri nequit, ut f  
 sit in b, ipso b sublato non manebit incommodum, Eadem

erit ratio, ubi priuantes fuerint ratiocinationes. Constat igitur, conclusionem falsam expositione non sequi, si incommodum cum extremis in initio positus non sit iunctus ac ne sic quidem falsum perpetuo ob hypothesim concludetur. nam si ponatur *a*, non quidem in *b*, sed in *g* inesse, *g* uero in *c*, & hoc in *d*, hoc etiam modo manet absurdum. Idem fiet, si sursum uersus extrema sumas. Cum igitur seu illud sit, seu non sit, semper sequatur incommodum, expositione non est consequutum: uel certe, quod dicitur, eo sublato nihilominus falsum effici, non est ita accipiendum, quasi si aliud ponatur, sequatur incommodum: sed cum eo sublato idem incommodum ex pronuntiationis, quæ restant, efficitur. quando quidem nihil est absurdum, eandem conclusionem falsam per multas hypotheses effici. uerbi causa, quod æque distantes concurrant, seu interior angulus exteriori sit maior, seu triangulus plures duobus rectos habeat.

## De falsa ratione. Cap. XIII.

Efficitur autem ratio falsa ex eo, quod prius falsum fuit: quippe cum syllogismus omnis duobus pronuntiationis aut pluribus constet. Quod si ex duobus constet, necesse est, aut alterum, aut utrumque falsum esse, quando quidem ex ueris falsa conclusio effici non potuerit. sin ex pluribus constet, ut si *c* per *a* *b* probetur, & hæc per *d* *e* *f* *g*. nam in his est aliquid ex superioribus falsum, gratia cuius collecta est conclusio: nam *a* & *b* ex illis concluduntur: ex illis igitur efficitur conclusio, eaq; falsa. Ut autem ratione non decipiamur, & uincamur, obseruandum est diligenter, dum aduersarius rationes postulat sine conclusionibus, ne in pronuntiationis eadem res bis concedatur:

cedatur: quandoquidem intelligimus, sine medio syllogismum nullum effici. Medium autem appellatur id, quod sapius dicitur. quod si nouerimus, quid in quaque figura concludatur, perspicuum inde fuerit, qua ratione medium sit obseruandum in unaquaq; conclusione. Illud autem non potest tibi esse obscurum, siquidem intelligis quale sit propositum, quod defendis. Quod autem respondentibus obseruandum præcipimus, id occultare debent qui argumentantur, uel certè id conari, id quod fiet primum, si cõclusiones antea non confirment, ac concludant, sed post propositiones necessarias assumptas illa obscuræ maneat, ac prætermittantur. Præterea si quis ea quæ propinqua sunt, non roget, sed ea inter quæ plurima sint media. uerbi causa, faciamus, ut concludi oporteat a de f, ac media sint b c d e: peti igitur debet, an a sit in b. Rursus non quidem an b sit in c, sed utrum d sit in e, deinde an b sit in c: eademq; ratione cætera sumi debent. quin & à medio incipiendum est, si per medium unicum efficitur syllogismus: eo enim modo respondentem maximè fefellerit. At uerò quoniam intelligimus, quando, quaq; ratione dispositis extremis efficiatur syllogismus: perspicuum est, quando sit futura reprehensio, quando non sit. fieri enim potest reprehensio, ubi omnia conceduntur, aut ordine mutato ponuntur responsa: nempe si alterum neget, aiat alterum. Syllogismum enim fore diximus, seu hoc, seu illo modo disposita sint extrema. Itaque si quid concedatur conclusioni contrarium, necesse est reprehensionem fieri. est enim reprehensio, syllogismus contradictionis. Quod si nihil concessum sit, fieri nequit reprehensio. nec enim efficiebatur

ratiocinatio, ubi omnia pronuntiata negantia essent, quare nec reprehensio. Nam si sit reprehensio, syllogismum quoque esse oportet: non tamen si sit syllogismus, continuo reprehensionem esse necesse est. Eadem erit ratio, si in respondendo nihil ponatur uniuersum, cum reprehensionis ac syllogismi eadem sit ratio.

De deceptione, quæ in opinione oritur.

Cap. XIII.

Quemadmodum autem in extremorum dispositione decipimur, ita in opinione deceptio quoque accidit. ut si quid duobus primum inesse possit, & alterum quis ignoret, putetque nulli inesse, alterum uero nouerit. Faciamus enim ut *a* in *b*, & in *c* per se insit, ea item in toto eodem modo: profecto si putet *a* in toto *b* esse, & hoc in *c* a uero in nullo *c*, hoc autem in toto *d*, rem eandem simul cognoscet, & ignorabit. Rursus si quis fallatur in his quæ sunt ex eadem coniugatione: ut si *a* sit in *b*, & hoc in *c*, *c* rursus in *d*: & opinatur *a* in toto *b* inesse, & in nullo *c*. simul enim nouerit, & non opinabitur inesse. aliudne igitur hinc sibi uult, quam quod nouit, id se non opinari? Nouit enim quadantenus *a* esse in *c* per *b*, quo modo pars in toto cognoscitur: atque ita quod quis quadantenus nouit, id se plane opinari putat: id quod fieri nequit. In eo autem quod prius est dictum, nemo opinari potest, ambis propositiones secundum media ambo, si non ex eodem ordine medium sumptum sit: ut si *a* sit in toto *b*, & in nullo *c*, & hæc ambo in toto *d*. ita enim euenit, ut prima propositio sumatur, uel in totum, uel certe quadantenus contraria. Nam si arbitretur, cuicumque insit *b*, illi omni inesse *a*, ac nouerit *b* esse in *d*, profecto  
is nouit

DE PRIMA RESOLVTIONE. 231

is nouit in d esse a. Si igitur econtrario putet, cuiuncq; insit c, in eo nullo esse ipsum a, is non putat a esse in aliquo cui insit b; hæc autē aut omnino, aut aliqua ex parte contraria sunt, arbitrari inquam, cui b insit, illi omni inesse a; & rursus, cui b insit, ipsi alicui non existimare a inesse. Ac eo modo opinio concipi nequit. At nihil uetat ex utroq; pronunciatum alterum opinari, uel ex altero utrunq;, ut a in toto b esse, & b in d, rursus a in nullo e, est enim is error ei similis, quo in particularibus hallucinamur: ut si a sit in toto b, & hoc in toto c, a in toto c inerit. Si quis igitur nouerit, cuiuncq; b insit, ei toti inesse a, profectō nouit inesse ipsi c: at nihil prohibet, quo minus ignoret ipsum c esse. Vt si a sit duo recti, in b uerō triangulus, in c triangulus sensibilis. possit enim quis arbitrari c non esse, etiam si nouerit omnem triangulum habere duos rectos: simul igitur rem eandem nouerit, et ignorabit. nosse enim triangulum omnem habere duos rectos, uarium est ac multiplex. est enim tum in toto id scire, tum sigillatim. ac nouit quidem scientia uniuersa, c habere duos rectos: singulari uerō nō item: ita fit, ut non habeant contrarias opiniones. Idem existimandum est de ratione illa scripta in Menone, scientiam inquam esse reminiscientiam. nunquam enim fit, ut res singularis anticipata cognitione sciatur: sed dum inductione utimur, simul rei particularis scientiam sumamus, quasi eam in memoriam reuocemus. Quædam enim sunt, quæ statim ubi uidemus, cognoscimus: ut duobus rectis, si nouerimus triangulum esse: id quod eodem modo fit in alijs. Cognitione igitur uniuersa particularia cognoscimus: propria ac peculiaria nescimus. Quo fit, ut in ijs hallucinemur,

non tamen opinione contraria: sed dum cognitionem uniuersalem habemus, decipimur particulari. Eadem est ratio eorum quæ superius exposuimus. Error enim ex medio non est ei scientiæ contrarius, quæ syllogismo parata est: nec opinio ea quæ ex uno medio nascitur, contraria est ei quæ ex altero comparatur. Nihil autem prohibet, qui nouerit *a* in toto *b* esse, & hoc in *c*, eum arbitrari, non esse *a* in *c*. uerbi causa, omnem mulam sterilem esse: opinari potest & hanc esse mulam, cum tamen eam uterum ferre putet. nec enim is scit *a* esse in *c*, nisi qui utrumque simul cognoscit. Cõstat igitur, si alterum nouerit, & alterum ignoret, eum falsum iri: quo modo se habent uniuersales scientiæ ad particulares: neque enim sensibile lium quicquam scimus, si *a* sensu absit, ne si illud quidem etiam senserimus, nisi forte eo modo, quo rem uniuersam scimus, & quatenus propriam cognitionem illius habemus, non quasi actu illam exerceamus. Scire enim tribus modis dicitur, nempe aut cognitione uniuersali, aut particulari, aut actu & operatione: quare totidem etiã modis intelligitur hallucinari. Nihil igitur uetat, quempiam in re eadem tum scire, tum decipi: non tamen contrario modo ei accedit, qui ex utraq; propositione re nouit, neque has prius expendit, qui enim putat mulam uterum gestare, is non habet actu ueram scientiam, nec item errorem scientiæ contrarium, ob huiuscemodi opinionem: error enim uniuersali contrarius, est syllogismus. At uerò qui bonum malum esse arbitratur, is idem esse putat, bonum esse, ac malum. ponamus enim, bonum esse in *a*, malum uerò in *b*: item bonum esse in *c*, tum quia idem esse putat *b* & *c*, profectò arbitrabitur *c* esse *b*, item & *b* esse *a*, eadem

DE PRIMA RESOLVTIONE. 233

eadem ratione, atq; ita c esse. ut enim si uerum sit, de quo e dicatur, b dici, item de quo b, ipsum a, profectò a de c uerum fuerit, non aliter in opinione res habet. Idem existimandum, in quo res sit. cum enim c & b eadem sint, b item & a, profectò c & a eadem fuerint. Ac in opinione eodem modo res habet. an uerò si quis primum admitterit, id protinus necessarium est? at illud fortasse falsum est, quempiam inquam arbitrari, bonum esse malum; nisi forte accidentario: nam id uarijs modis arbitrari licet: id autem diligentius est perspicendum.

De ijs quæ in prima figura fiunt recipro-  
cationibus. Cap. XV.

Vbi extrema retrò commeet, necesse est medium quoq; cum utroq; reciprocari. nam si a est in c per medium b, si illa commeet, ut cuiusq; insit a, c quoque ei omni insit, profectò b cum a reciprocatur: & cuiusq; inest a, ei omni inest b per mediū c, ac c cum b reciprocat per medium a. In negatione tantundem fit, ut si b sit in c, a uerò in b non sit, ne a quidem in c erit: profectò si b cum a commeet, c quoq; cum a commeet. faciamus enim b inesse in a, nec c igitur erit: quandoquidem b omni c inerat: quòd si cum b commeet, c quoq; cum a commeet. in quocunq; enim dicitur b, c quoq; dicitur. Item si c cum a conuertatur, b quoq; conuertetur. nam in quo est b, in eo quoq; est c: in quo autem est c, a non inest, & id solum à conclusionē initium ducit. aliorum non est eadem ratio, quemadmodum & in affirmante syllogismo. Rursus si a & b conuertentur, c item & d, sit autem necesse in re quauis a uel c inesse, profectò b & d eiusmodi erunt, quorum alterum in re quauis insit. nam

quia in quocunque est a, inest b, in quo item est c, inest quoq; d: at in re quavis aut a aut c inest, non in eadem simul. liquet igitur in omni re aut b dici, aut d, & non ambo simul. uerbi causa, si quod ingenerabile est, incorruptibile quoq; est: item quod est incorruptibile, est ingenerabile: necesse est, quicquid generatum est, caducum esse: & quicquid caducum est, genitum esse: componuntur enim duæ ratiocinationes. Rursus si in re quavis a inest, aut b, item c uel d, nec in eadem simul, si a & c reciprocantur, b quoque & d retrò commēent. nam si cui rei d inest, in ea non sit b, constat a in ea esse: quod si sit, a quoq; inest, quippe cum retrò commēent. simul igitur c & d in eadem re erunt: id autem fieri nequit. Quando uerò a in toto b, in c item toto inest, & de nulla re alia dicitur, b item in toto c inest, necesse est a & b retrouertit. cum enim a de b & c tantum dicatur, dicitur autem b tum de seipso, tum de c: perspicuum est, de quibus dicitur a, de ijs quoq; omnibus b dictum iri, præterquam de ipso a. Quando item c & b in toto c insunt, & c retrouertitur cum b, necesse est a in toto b inesse. cum enim a in omni c insit, c item in b, quia commēent illa, a quoq; in omni b inerit. quando uerò ex duabus rebus propositis altera fuerit magis quàm altera expetēda, ut a quàm b, cum illa contrariæ sint. Eadem ratione b magis expetendum quàm c: si a c magis sunt expetēda quàm b d, ipsam a magis expetendum est quàm d. æquè enim a persequendum est, ac b fugiendum, cum hæc sint contrariæ: c item æquè ac d, quippe cum illa quoq; contraria sint. si igitur a æquè expetendum est ac d, profectò b æquè fugiendum est ac c: utrunq; enim æquè fugiendum est, atq; alterum

DE PRIMA RESOLVTIONE. 239

alterum expetendum. quo fit, ut ambo, a inquam & c, æquè atq; illa b d fugienda sint, aut prosequenda. nam quod maius est, par esse nequit. nam b d æqualia erant. Si d sit ipso a magis expetendum, sanè b minus fugienda erit quàm c: minori enim minus opponitur. at maius bonum, & minus malum, magis expetenda sunt, quàm bonum minus, & maius malum: totum igitur b a magis persequendum est, quàm a c: rat non ita est: a igitur magis expetendum est quàm d, & c quoq; minus fugiendum quàm b. Ac si id sibi proponit in amore, quicumq; amat, ipsum inquam a nempe ita esse affectum, ut gratificetur, & non gratificari sit in c, uel certe gratificari in d, in b uerò eum non esse qui gratificetur: constat a, talem inquam esse, magis esse expetendum, quàm gratificari, atq; ita in amore amor congressui est proponendus: amor igitur in affectu est potius, quàm in congressu: quòd si in eo potius collocatur, ut is sit illius finis, profectò congressus aut nullo pacto est, aut dilectionis causa: eo enim modo fiunt desideria alia, & artes. Perspicuum est igitur, quàmnam ratione se habeant extrema in reciprocatione, in comparatione item persequendorum & fugiendorum.

Hoc loco nobis exponendum est, non dialecticas modò ratiocinationes ac demonstrationes per superiores figuras effici, sed & oratorias, ac omnem omnino probationem in quavis ratione docendi. Res enim omnes probamus aut ratiocinatione, aut inductione. Ac inductione & ratiocinatio ex ea tum fit, cum alterum extremum de medio concluditur per alterum: ut si in his a c, medium sit b, & probetur a esse in b per c: hac enim uia

inducit

inductiones facere solemus. uerbi causa, sit a longæuum, b uerò uacās bile, in c singula longæua, ut homo, equus, mulus: sanè a est in toto b. quicquid enim bile uacat, est longæuum: quintiam b, nempe uacans bile, est in toto c: quòd si c retrouertatur cum b, nec medium excedat, necesse est a esse in b: quippe cum antea à nobis probatum sit, ubi duo eidem rei insint, & extremum cum altero eorum reciprocetur, alterum eorum quæ dicuntur ei inesse, quod reciprocatur: est autem c intelligendum, quasi quid ex uniuersis singulis compositum. nam inductione ex omnibus efficitur: ea autem ratiocinatio primam propositionem concludit, & quæ medio caret. in his enim quæ medium habent, efficitur syllogismus ex medio: in his uerò quæ medio carent, fit per inductionem. Ac inductio ratiocinationi contraria est aliquo pacto. hæc enim ex medio probat extremum in tertio, illa uerò ab extremo confirmat tertium in medio. Natura igitur antecedit, & est notior ea ratiocinatio, quæ per medium efficitur: ratione nostri magis est perspicua, quæ fit per inductionem.

## De exemplo. Cap. XVI.

Exemplum autem tum est, quum extremum in medio inesse probatur, ex eo quòd sit simile tertio. debet autem notius esse, & magis perspicuum, quòd medium sit in tertio, & primum in illo singuli uerbi causa, constituamus in a malum: in b, suscitare bellum in finitimos: in c uerò, Athenienses aduersus Thebanos: in d, Thebanos in Phocenses. iam si probare uelimus, perniciosum esse, committere bellum cum Thebanis, primum sumendum est, perniciosum esse, in finitimos bellum gerere: id quod probatur

DE PRIMA RESOLVTIONE. 137

probatur ex simili, nempe quod Thebanis aduersus Phocenses perniciosum fuerit. Cum igitur in finitimos bellum gerere perniciosum sit: in Thebanos autem bellare, est bellum gerere in finitimos: constat igitur, in Thebanos bellare perniciosum esse. Ac constat b in c & d inesse: utrunq; enim est in finitimos bellum committere. Constat item, a esse in b. nam Thebanis nullam utilitatem attulit bellum in Phocenses. probabitur autem a esse in b per ipsum d. Eodem modo fiet, si ex multis similibus probetur, medium in extremo esse. Hinc igitur manifestum est, exemplum non habere eam rationem, quam totum ad partem, aut pars ad totum: sed quam pars una ad alteram habet, quum ambæ in eodem toto continentur, altera autem est notior. ab inductione autem eo differt, quod ea ex uniuersis singulis extremum in medio esse confirmabat, nec connectebat syllogismum ad extrema. Exemplum autem coniungit quidem, ex omnibus autem non probat.

De abductione. Cap. XVII.

Abductio uero est, quando constat primum in medio esse: an uero medium sit in postremo, ignotum quidem est: æque tamen credibile est, uel certe magis quam ipsa conclusio. Iam uero si pauca media intercedant inter postremum & medium: ita enim fit, ut ad cognitionem propius omnino accedat. uerbi causa, sit a res cognobilis, in b uero locetur scientia, in c intelligatur iusticia: sane constat, scientiam esse cognobilem. An uero iusticia sit scientia, obscurum est, & non cõpertum. Quod si æque, uel magis credibile sit, b esse in c, ac a in c, uim est abductio. cum enim rei scientiam antea non habemus,

remus, propius ad eam accessimus, in assumendo pronun-  
ciato a c. Rursus si pauca sint media inter b & c. nam eo  
quoq; modo propius cognitionem res est. exempli gra-  
tia, si d sit quadrari, & in e rectilinea figura, in f circua-  
lus: tum si inter e & f unicum sit medium, nempe ut per  
umbellam circulus efficiatur par figuræ rectilineæ, sanè  
res est prope cognitionem: quando uerò b c magis cre-  
dibile nō sit quàm a c, nec pauca eorum sunt media, ab-  
ductionem tum nō appello: nec item cum b c medio uas-  
cat, id enim est scientia.

## De refutatione. Cap. XVIII:

Refutatio uerò est pronunciatum alteri contrarium:  
Inter hanc autem & pronunciatum hoc interest, quòd  
hæc in parte esse potest, pronunciatum omnino nequit,  
uel certè in syllogismis uniuersalibus non potest. Obijci-  
tur autem refutatio duplici ratione, & in duabus figu-  
ris. bifariam quidem: aut enim in toto est, aut in parte  
omnis. in duabus figuris: omnes enim afferuntur con-  
trariæ pronunciatum, contrariæ autem in prima & ter-  
tia figura concluduntur tantum. nam cum quis postulat  
quidpiam in aliquo toto esse, occurrimus, uel quòd nulli  
insit, uel quòd in aliquo non sit: ex quibus illud in prima  
figura colligitur, hoc in postrema figura. uerbi gratia,  
intelligamus in a unam esse scientiam: in b uerò collo-  
cetur, aduersa: sanè si quis proposuerit, unam esse aduer-  
sorum scientiam, occurrit alter, uel quòd contrariorum  
eadem non sit omnino scientia: aduersa autem sunt con-  
traria, atq; ita efficitur prima figura: uel quòd rei notæ  
& ignotæ non sit una scientia, ea autem est figura ter-  
tia, nam in eo tertio, cognito inquam & incognito, uerè  
dicitur,

dicitur, ea aduersa esse: cum tamen falsum sit, una scientia illa contineri. Eadem est quoque ratio in pronunciato priuante. si quis enim petet, contrariorum non esse unam scientiam, continuo ei occurrimus, aut omnium contrariorum esse eandem, aut certe quorundam aduersorum, ut sani & aegri, ac omnium unam esse probamus in prima, quorundam uero in tertia. Nam in omnibus omnino pronunciatis uniuersalibus, quæ quis pro exceptione adfert, id uidentum est, ut illud quod contra adfertur, sit uniuersale aliquid ad rem propositam: ut si petat non eandem esse aduersorum omnium scientiam, dicat ille, contrariorum unam esse: eo autem modo necesse est primam figuram effici. Est enim medium uniuersale quid ad questionem initio propositam. In parte autem si quid opponere uelis, aliquid afferendum est, ad quod subiectum propositionis sit uniuersale, ut cogniti & incogniti non esse eandem scientiam: aduersa enim totum sunt ad illa, & ita fit tertia figura. Nam quod in parte sumitur, medium est, ut cognitum & incognitum: nam ex his refutationes afferre conamur, unde contrarium concludere possumus. quapropter per eas figuras solas asserimus: nam in his tantum contrariæ conclusiones efficiuntur, nam in media figura nulla affirmatio colligebatur. Iam uero ut in ea fieri posset, certè prolixiori ratione opus esset ad refutationem in media figura colligendam. ut si non concesserit, a esse in b, quia c non sit ipsi consequens: id enim per alias propositiones facile intelligitur. at refutationem aliò diuerti non oportet, sed continuo propositionem perspicuam habere: quam obrem in una hac figura non est signum. Sunt autem

tem alia quoque refutationes expendenda, cuiusmodi sunt quae de contrario feruntur cum simili, tum etiam opinabili. Item, possitne sumi particularis in prima figura, aut priuans in media.

## De consentaneo &amp; signo. Cap. XIX.

Non est autem res eadem, consentaneum & signum. sed consentaneum & uerisimile, est probabile quoddam pronunciatum. quod enim plurimum uulgo norunt ita fieri, uel non fieri, esse item, uel non esse, id est uerisimile, ac consentaneum: ut oderint qui inuident, diligant qui amant. At signum suapte natura est pronunciatum, uel demonstrabile, uel necessarium, uel probabile: id enim est signum, quod res sit uel fuerit: quod dum est, uel sit, uel prius, uel posterius res ipsa facta est.

## De enthymemate. Cap. XX.

Est igitur Enthymema, ratiocinatio imperfecta ex uerisimilibus uel signis. intelligitur autem signum tribus modis, quot & medium in figuris. aut enim ita se habet ut in prima, aut ut in media, aut ut in tertia figura. uerbi causa, probare mulierem uterum ferre, quia lac habet, ex prima figura est. nam medium est, lac habere: ac in a ponatur uterum ferre, b uero sit lac habere, mulier uero in c ponatur. illud autem, sapientes inquam uiros esse probos, quia Pittacus sit probus, per ultimam figuram efficitur. ponamus in a probum, in b sapientes, in c Pittacum: profecto uere dicuntur a & b de c. ceterum alterum praemittunt, quia illud norunt: alterum autem assumunt. illud autem, mulierem inquam uterum gestare, quia palleat, per secundam figuram effici solet: nam quia uterum gestantibus pallor est consequens, & huic quoque

DE PRIMA RESOLVTIONE. 241

quoq; consequens est, effectum inde putant, eam uterum gestare. Sit pallidum in a, in b uterum ferre, in c mulier. ubi igitur una tantum propositio dicitur, signum est modò; sin altera assumatur, tum est syllogismus. uerbi causa, Pittacus est liberalis, nam ambitiosi sunt liberales, & Pittacus est ambitiosus: uel contra, sapientes esse uiros probos, quia Pittacus est uir probus, & idem est sapiens. Fiunt igitur ad hunc modum syllogismi. Cæterum qui in prima figura efficitur, dilui nequit, si uerus sit, cum sit uniuersalis: qui uerò in postrema figura efficitur, dissolui potest, etiamsi uera sit conclusio, quia nec uniuersalis est syllogismus, nec ad rem. ut enim Pittacus sit uir probus, non continuo necesse est, alios sapientes esse probos. Qui uerò in media figura efficitur, is semper et ratione quauis solui potest. neq; enim efficitur syllogismus unquam, dum extrema ita sunt collocata. ut enim mulier uterum gestans sit pallida, hæc etiam mulier palleat, non ideo necesse est hanc uterum ferre. In omnibus igitur figuris uerum efficietur. differunt autem eo, quo dixi, discrimine. Sane uel hac ratione diuidi debet signum, & medium in illis constituendum est indicium, ac propria rei nota. aiunt enim indicium esse id, quod rem cognoscendam præbet: medium autem maxime est istiusmodi. uel certe appellatione signi intelligenda sunt ea quæ sunt in extremis. indicia autem appellanda sunt, quæ in media figura ponuntur. Nam quod in prima figura collocatur, admodum credibile est, & maxime uerum.

De ratione naturæ coniectandæ.

Cap. XXI.

Potest autem fieri, ut conijciatur natura & ingenium,

q siquis

si quis concedat, naturales affectiones corpus simul cum  
 anima immutare. nam qui musicam edoctus est, animo  
 forte est immutatus: at ea affectio non est ex earum nu-  
 mero quæ nobis naturales sunt, sed aliæ potius. cuiusmo-  
 di sunt iracundia, concupiscentia naturalium mutatio-  
 num: profectò si quis hoc concesserit, & unius rei unum  
 esse signum, & accipere possimus suam cuiusq; generis  
 affectionem ac signum, naturam coniectare poterimus.  
 Nam si alicui generi uni sua est & propria affectio, ut  
 in leonibus fortitudo, necesse est quoddam esse signum:  
 quippe cum sit confessum, ea sese mutuo afficere. Sit igitur  
 illud, quod ingentes habent membrorum extremita-  
 tes, id quod in alijs quidem generibus reperitur; sed non  
 totis. nam ita demum signum est proprium, quia affectio  
 totius generis propria est, non unius tantum, quo modo  
 loqui solemus. Sanè id in alio genere inerat, eritq; homo  
 fortis, item & quodpiam aliud animans, habebit igitur  
 signum illud: unius enim rei unum esse signum diximus.  
 Si igitur hæc ita habent, & in animantibus huiusmodi,  
 quæ affectionem unam propriam habent, ea signa colli-  
 gere poterimus: una quæque autem affectio suum habet  
 signum: quandoquidem unum habeat necesse est, profe-  
 ctò naturam ac ingenium coniectare poterimus. Sin to-  
 tum genus duas habeat affectiones proprias, quemad-  
 modum leo & fortis est, & sauciabilis, quo pacto cogno-  
 scemus ex signis illis propriè consequentibus, utrum us-  
 trius sit signum? an si in alio quodam, nõ toto, ambo sint,  
 & in quibus non totis utrunq; in sit, cum unum habeat,  
 alterum non item. nam si fortis sit, nec liberalis, & ex  
 duobus hoc habeat, constat id in leone signum esse forti-  
 tudinis.

judicis. Coniectatur autem natura & ingenium in prima figura, cum medium cum priori extremo recipiatur, & excedit tertium, nec cum eo commeat. uerbi causa, sit a fortitudo, extremitates magna in b, leo in c: profectio in quo est c, in eo toto est b, item & in alijs. in quo autem est b, in eo toto est a. nec in pluribus dicitur, sed retrouertitur: alioqui non esset unius rei unicum signum.

F I N I S.

NICOLAUS GROVCHIVS  
discipulis suis S.



Go in ea semper fui sententia (optimæ spei adolescentes) nullum esse Aristotelis librū, cuius non esset cum propter rerum optimarū cognitionem, tum propter singularem exquisitamq; docēdi rationem, summa utilitas. Sed inter omnes mihi multis nominibus, primas partes semper obtinere uisus est liber de Demonstratione: in quo omnis docēdi, discēdi, ac tractandi, quicquid sub scientiam cadere possit, ratio continetur. Ego uerò illud etiam in omnibus quas adhuc uidi, philosophiæ

scholis animaduerti, nullum esse Aristotelis librum, qui negligētius legatur, cuiusque utilitas minus percipiatur. Vnde autem illud malum omnes scholas inuaserit, excogitare aliud nō possum, quàm quòd nimis pertinaciter aliorū consuetudinē obseruamus: ita ut sæpe non tam quid uerum sit, quàm quid in more positum, exquiramus. Neminem hæc in re doctorem accuso: tantum consuetudinem, penes quam culpa est, non possum non damnare: per quam factum est, ut in omnibus philosophiæ scholis liber iste potius legeretur, ne quid quod in more esset, omissum uideretur, quàm ut in mēsus fructus perciperetur. Eum librum ego uestro nomine, adolescentes mihi charissimi, horis subseciuis, quibus mihi à prælectionibus erat ocium, de græco uerti: ut in ea potissimum re, in qua summa esset utilitas, etiam ocij nostri, quod non magnum esse scitis, fructum aliquē, non illum quidem indebitū (nam quid præceptor talibus præsertim discipulis non debet?) sed uobis certè inexpectatum, perciperetis. Id autem eo uehementiore studio feci, quòd eum librum tam malè,

malè, ne dicam barbarè, uersum esse sciebam, ut non dubitarem quin ex uitiosa & barbara interpretatione nata obscuritas, studia uestra esset retardatura, & expectatam inde utilitatem maxima ex parte impeditura. Verti itaque hunc librù: atq; ita uerti, ut Ciceronis ego consiliu secutus, non singula uerba pro singulis superstitione redderè: sed quia hoc tantum mihi propositum esse existimarem, ut quod optimè Græcè Aristoteles scripserat, non malè latinè uerterem: illud autem etiam non ignorarè, linguam Latinam multis dicendis formulis uti non posse, quibus græca rectè uteretur. iccirco rebus quàm potui diligētissimè expensis, latina uerba ad eas explicandas ita accommodaui, ut non uerba uerbis, sed sententijs modò sententiæ responderent. Hoc genus interpretandi si quis non prober, uelit autem potius singula uerba curiosius esse persequenda: eius iudiciu eo minus reformidabo, quòd necesse est, ut mecum Ciceronem (non modò dicendi, sed etiã interpretandi principem) in eo accuset, in quo à uiris doctissimis maximam laudem & admirationem est

consecutus. Hunc ego authorem non in  
 ratione tantum interpretandi, sed etiam  
 in uerbis, ubicunq; potui, secutus sum: in  
 quibus autem locis nil apud eum reperi  
 quod pro grecis uerbis reddere possem,  
 partim ex alijs receptæ fidei authoribus  
 quod ad rem nostram pertineret, desum  
 psi: partim usitato in scholis uerbo usus  
 sum. Hinc sunt illa uerba, mediatum, im  
 mediatum, suppositio, & alia nonnulla:  
 quæ quoniam à forma Latinorum uer  
 borum mihi non uidentur longè remo  
 ta, usurpare illa non ualde dubitauit. Ego  
 enim ut semper nimiam in seligendis uer  
 bis negligentiam uituperauit, ita nunquam  
 religionem nimiam probandam esse exi  
 stimauit. Accipite igitur, adolescentes o  
 ptimi, singularis mei erga uos amoris  
 non obscuram significationem: & qui in  
 uestram omnium gratiam liber scriptus  
 est, uobis dicatus, sub uestro omnium no  
 mine appareat. Valete. Conimbricæ.

Ex regio gymnasio, Idib. Februarij,

M. D. XLIX.

## IN ANALYTICA POSTERIORA

Nic. Groucbij Argumentum.

**M**agna est & latè patens huius libri utilitas, sed magno doctrinarum omnium incòmodo paucis cognita. Id quod ij aperte indicant, qui nuper libris editis, cùm omnes Aristotelis libros, tum uerò hunc maxime insectati sunt. Nam si ullam partem ingenij Aristotelis attigissent, aut si suauitatem ipsius doctrine uel minimum degustassent, aliud profectò scribendi argumentum quæssissent, quàm in Aristotelis libros animaduersiones: sed potius tanti ingenij subtilitatem admirati, aut tarditatem suam accusarent, si quicquam minus intelligerèt: aut quæ scripta in Aristotelem ediderunt, uel ad eum illustrandum, uel in ipsius aduersarios conuertissent. Ne quis igitur his decipiatur imposturis, & ut omnes intelligant quàm ualde fallantur, qui parum aut nihil fructus in ijs libris esse existimarunt, conabor, quid, ad quem usum, & quomodo, hoc nos libro Aristoteles docuerit, paulo quidem latius quàm argumenti fortasse breuitas postulat, sed tamen quàm breuissimè potero, explanare.

Quòdnam sit Aristotelis institutù in ijs quatuor libris quos in inscriptione *ἀναλ. ὑστερ.* legimus, ipse Aristoteles docet tum initio primi libri de Ratiocinatione, tum ad finè 17. cap. secundi de Demonstratione. Ex ijs enim locis intelligimus, nil aliud ijs libris uoluisse Aristotelem docere, quàm quid, qualis que sit scientia demonstratiua. Nihil autem est scientia demonstratiua, quàm omnis quæ per demonstrationem acquiritur scientia. Itaq; qui demonstrationem nouerit, quid, qualis, & quomodo conficienda sit,

demonstratiuam scientiam cognouerit. Iam autem quia omnis demonstratio est ratiocinatio quædam, in eoq; maximè sita est omnis demonstrationis uis, ut uim tuæ conclusionis nunquam celes (in quo à Dialecticis rationibus distinguitur) sed quàm apertissimè fieri potest, ex sumptionib. id necessariò efficias, quod demonstrandum proposueras: propterea fuit necesse, ut non modò de Demonstratione ageret, sed etiam uim uniuersam, partes ac proprietates ratiocinationis explicaret. Continetur igitur duabus partibus uniuersa doctrina *ἀναλυτικῶν*. Vna est de Syllogismo, duobus libris absoluta. Altera est de Demonstratione, duobus item libris comprehensa. Idem enim est (ut scribit Aristoteles capite 17. libri secundi de Demonstratione) nosse demonstratiuam scientiam, quod ratiocinationis atq; demonstratiōnis naturam intelligere. Illa autem disciplina cuius finis est demonstratiua scientia, subiectum ipsa demonstratio, ab Aristotele Analytice appellatur, & primo Rhetoricorū, & primo libro de Demonstratione cap. 18. Itaq; non incòmodè Analyticen à fine hoc modo defines: Analytice est, scientia quæ ad cognitionem omnis scientiæ demonstratiuæ pertinet. A subiecto autem hoc modo: Analytice est, scientia quæ in explicanda natura, partibus, ac proprietatibus demonstrationis uersatur. A partibus uerò hoc modo: Est scientia quæ tota ratiocinationis & demonstratiōnis cognitione continetur. Porò autem huius appellationis causam intelligemus, si modò usum ac utilitatem huius doctrinæ cognoscamus. Ac primùm illud certū est, omnem certam ac firmam rei cognitionem, aut intelligentia concipiente impressas sensib. species contineri, aut argu-  
menti

menti necessaria conclusione. Duobus autem illis perficitur omnis scientia. Nam priore modo principia cognoscuntur, posteriore conclusiones. Sed quoniam in priore illo cognoscendi genere parum est artis: perficitur enim solis propemodum naturæ instrumentis, sensu, cogitatione, experientia: alterum autem totum genus via & ratione continetur: propterea de priori illo cognoscendi modo, aut nil, aut parum tractandum est: alterum genus, quia arte quadam absoluitur, explicandum est. Non enim quevis ratio ad probandum aliquid adhibita, scientiam parit: sed ea demum, que tibi rem ita facit perspectam, ut quin ita res habeat, dubitare non possis. Nihil enim scientia est, quam certa ac firma rei que tibi dubia esse potuit, cognitio. Ergo quia omnes scire desiderant, nec hominis unquam animus conquiescit, nisi cum quam certissime fieri potest, quantum que rei fert natura, cognoscit: certo autem cognosci non potest, nisi adhibita ad fidem faciendam ratio sit necessaria: propterea necesse est, ut que nam & qualis sit illa ratio cognoscamus: ut quum res proposita erit quam scire cupiamus, accommodare hanc rationem ad eam possimus. Illa autem ratio *ἀπόδειξις* appellata est à Grecis, à Latinis aut demonstratio: uel, ut Quintilianus uocat, euidens probatio. Est igitur Analytica summa utilitas, que huius demonstrationis uim uniuersam, omnes partes, omnes proprietates explicat: siquidem hac adiuti scientia, omnem docendi, discendi, explicandi, quicquid nobis sit propositum ad sciendum, rationem tenemus. Hanc si sciamus, proposita quacunq; re, de qua possit esse scientia, eam ita tractabimus, ut nulla ratione possit melius doceri. Hæc scientia est que ab

Aristotele secundo Metaphysic. modus sciendi appellatur. Hac enim arte instructi, pro rerum subiectarum natura, rationes aut magis aut minus accuratas postulabimus: nec semper in omni re probationes mathematicis demonstrationibus similes requiremus, sed semper principia cum re subiecta, societate quadam naturæ coniuncta esse debere intellegemus. Nam hominum imperitiam, qui omnibus in rebus pariter accuratas demonstrationes postulant, proficisci ab ignoratione Analytices, ipse Aristoteles 3. cap. libri quarti Metaphysices, ostendit, his uerbis, *ἡ ἀπαιτούμενη τῶν ἀναλυτικῶν τῶν ἀπείρων* hoc est, quia imperiti sunt analyticarum præceptionum, idcirco id faciunt. Continet igitur hæc scientia, omnem rationem tractandarum omnium scientiarum: continet rationem bene docendi, & discendi quicquid sub scientiam cadere possit: continet illam quæ *μαθησια* ab Aristotele uocatur in principio libri de Partibus animalium, quæ nil est quàm eruditio & modus bene tractandæ ac distribuendæ scientiæ cuiusuis: ex qua *μαθητικοί*, hoc est eruditi ac doctrina politici homines appellantur, quorum munus est, ut ait illo loco Aristoteles, uia quadam & ratione posse citra ullum errorem discernere quid in qua, re bene, quid malè dicatur. Huius *μαθησια* contrarium est *ἀμαθησια*, quæ tam sæpe obijcitur ab Aristotele ueteribus philosophis tum in Physicis, tum in Metaphysicis, quæ profectò nil est, quam analytices ignorantio. Postremò hæc scientia est, quam Aristoteles cap. 1. libri undecimi Metaphysicorum, circa demonstrationem ac scientiam uersari, quasi circa proprium ac certum subiectum, dicit. Atq; illa quidem de utilitate sufficient: nunc huius appellatio-

nis

nis causam uideamus. Ac primùm Analyticen ab a-  
 nalyfi appellatam esse, nemo non uidet: significat au-  
 tem analysis, in ea ex quibus quæq; res constant dis-  
 solutionem. Quoniam igitur mathematicæ scien-  
 tiæ, ut sunt certissimæ, & maximè accuratæ, ita om-  
 nibus alijs quasi exemplar propositæ sunt, ut quam  
 maximè fieri potest, earum docendi ac probandi ra-  
 tionem sequantur. Continentur autem omnes ma-  
 thematicæ hac ratione docendi, ut propositis pri-  
 mùm principijs quibusdam, tum deinde ad theore-  
 matum ac problematum ueniant demonstrationes;  
 atq; ita rei cuiusq; scientiam efficiant, si alia ex alijs  
 perfequendo, ac ueluti retexendo, ad prima princi-  
 pia perueniatur, quæ sunt in quaque scientia sim-  
 plicissima. Quid autem est reuocare hoc modo u-  
 namquæque rem ad sua principia, quam dissolue-  
 re? Hac profectò ratione factum est, ut illa mathe-  
 maticarum docendi ratio, analysis merito appella-  
 retur: nec modò mathematicarum, sed etiam alia-  
 rum scientiarū, quæ (ut suprà diximus) omnes quo  
 ad eius fieri potest, mathematicarum perfectio-  
 nem imitantur: ob idq; eandem illam docendi ra-  
 tionem sequuntur. Quinetiam ipsæ artes & facul-  
 tates quæ plurimum à ueris scientijs differunt, id  
 docendi genus, quantum rerum in quibus uersan-  
 tur natura patitur, non omittunt: sed suas proba-  
 tiones, quandocunque aliquid docere probando  
 uolunt, hoc modo conficiunt. Quo fit, ut quate-  
 nus cognitione quadam continentur, scientiæ nomi-  
 mine interdum appellentur. Vt enim omnis quæ  
 ad docendum adhibetur, ex proprijs quibusdam  
 constans ratio (*διδασκαλικὸν λόγον* appellat Aristote-  
 les in libro de reprehensionibus Sophistarum)

appel-

appellatur non incommode demonstratio: ita omnes artes & facultates, quatenus veri cognitione aliqua continentur, eatenus scientiæ non male uocantur. non quòd ueræ illæ ac perfectæ sint scientiæ, quarum uis in sola rerum cognitione certa cernitur: sed quoniam in ijs etiam est causarum quædam cognitio, per quas, licet non omnino necessarias, quid tamen uerius sit in actione, aut effectione, mens nostra intelligit. ob eam causam sæpe nomen *ἐπιστήμης*, id est scientiæ, à Platone & Aristotele in ijs appellandis usurpatur. Quia igitur hæc una est omnium scientiarum uia, quam in docendi ipsæ sequuntur, ut principia quædam initio proponantur, ex quibus omnium quæ in quacunque scientia traduntur, tum oriatur cognitio, cum ad illa initia reuocantur: nil est autem hæc docendi ratio quam analysis: profectò non incommode illa ars quæ explicat omnium scientiarum docendi modum, Analytice appellata est. Analysis autem ex Aristot. 3. Ethic. capite 3. hoc modo definire possumus, causarum ex causis continuatam eousque persequutionem, donec ad prima illius rei, de qua quæritur, principia perueniamus. Sed quoniam aliæ etiam docendi rationes non minus accommodatæ ad sciendum uidentur, quam analysis, consilium Aristot. hoc loco nobis uidetur esse explicandum, cur hanc unam rationem potissimum secutus sit. Plato, quemadmodum ex multis eius locis intelligimus, duas maxime docendi rationes probauit, *ἀναίρεσις* & *συναγωγή*, id est diuisionem & compositionem. Appellatur autem compositio, multorum in unam aliquam ideam, ac rursus huius & aliarum generis eiusdem, in aliam communem ideam collectio, eousque cõtinuata, dum ad summum aliquod

aliquod unumq; genus perueniamus. Diuisio uerò huic contraria, est distributio, quæ ducto à summo aliquo primoq; genere initio, eousque perducitur per omnia media genera, dum ad species ultimas perueniatur. Aristotelis uerò aliud fuit consilium: illam enim quam Plato uocat compositionem, uix, ac ne uix quidem, admisit in tractanda scientia. Ostendit enim Aristoteles statim initio primi de Partibus animalium, hanc à rebus singulis ad uniuersas progressionem in docendo ineptam esse, ac inutilem: quâdoquidem necesse sit, eum qui hac uia persequetur rerum subiectarum proprietates, eadem sæpe repetere: quemadmodum illo loco exemplis apertissimè demonstrat. Ergo in explicanda aliqua scientia, hanc rationem Aristoteles non admisit, sed hactenus tantum utilem esse uoluit, ut ad inuentionem, itemq; ad cognitionem principiorum ualeret: quemadmodum satis indicant uerba illius, ultimo capite 2. lib. de Demonstratione. Alteram autem rationem, quam diuisionem appellari diximus, suam quidem habere utilitatem in tractandis scientijs existimauit Aristoteles: sed eam tamen ut minimam particulam Analytices censeret debere, ipse scribit capite 32. lib. 1. de Ratiocinatione. Quam uerò utilitatem habeat hæc diuidendi ratio, tum illo eodem capite breuiter ostendit, tum uerò amplissimè 2. libro de Demonstratione capitib. 5. 14. & 16. Quamquam igitur sit utilis ad tradendas scientias ratio diuidendi, non putauit tamen Aristoteles tantum in ea esse momenti, ut hanc faceret unam quandam explicandæ scientiæ rationem, sed eam quasi particulam analyseos tractauit in Analyticis. Quinetiam definiendi rationem, cui tantum non modò Plato, sed etiam

etiam ipse Aristoteles tribuit, ut alterum hunc sciendi modum 2. capite primi de Demonstratione, itemq; 3. capite secundi libri appellaret, ad Analytici ut partem quandam reuocauit. Quamquam enim ex quatuor quæstionum generibus tres, an sit, quale sit, & quamobrem sit, demonstratione absoluantur: quæstio autem Quid sit, tantum definitione: ob idq; sit ipsa per se quædam scientia, nosse quid res sit: non tamen id statim existimandum est, definiendi rationem non esse analyticæ partem. Est enim omnis definitio (ut inquit Aristoteles cap. 7. primi de Demonstratione, & cap. 10. secundi) aut principium demonstrationis, aut ipsa hoc dempto demonstratio, quod paulo diuersus magis est uerborum in demonstratione quam in definitione contextus, aut demonstrationis conclusio. Cum igitur omnis cuiusq; modi definitio, ut illis uerbis indicat Aristoteles, aliquo modo pertineat ad demonstrationem: subiectum autem analyticæ sit demonstratio: profecto negari non potest, ad subiectum analyticæ, indeoq; ad ipsam analyticam pertinere definitionem: Vnam igitur Aristoteles existimauit esse uiam tradendarum omnium scientiarum, analytici: in qua una omnes reliquæ rationes ab alijs inuentæ continentur. scientia autem quæ illius analytici naturam, partes, ac proprietates explicat, Analytice uocatur. Neq; enim mihi placet, omnium quos adhuc uidi Aristotelis in interpretum ratio, quam reddunt, cur Analytica inscripserit libros illos quatuor, quorum duo sunt de syllogismo, & duo de demonstratione. In eam enim sententiam ferè omnes Græci ueniunt, Analytica appellata esse ab ea parte, in qua de analytici syllogismorum docet. Quod quam uerum sit,

ipsa

ipsa uiderint. mihi certè non sit uerisimile, à minima parte quæ in quatuor libris tractatur, librorum quatuor inscriptionem esse desumptam: maximè cum analysis syllogismorum illo loco tractetur, ut una quædam proprietates ratiocinationis inter alias, quas duobus libris de Syllogismo tractat. Adde, quòd illi mihi non uidentur intellexisse, quatuor quidem librorum inscriptionem fuisse analytica, quemadmodum ex Aristotele intelligimus, citante sub hoc nomine tum priores, tum posteriores libros. Nam loquens Aristoteles de aliqua re quæ in libris de Syllogismo à se tractata sit, quàm sæpe analytica citat? ut capite primo secundi de Interpretatione, item 4 & 5. capite octauo libri Topicorum, item primo Rhetoricorum & secundo, multis in locis. Et cum loquitur de aliquo à se explicato in libris de Demonstratione, nunquid sub hac eadem inscriptione sæpe citat? ut 6. & hic cap. 3. duobus in locis. item 7. Metaphysico. cap. 12. item 2. cap. de Reprehensionibus sophistarum: quo sanè in loco aperte indicat, horum quatuor librorum inscriptionem fuisse Analytica. Mihi, inquam, hoc uidentur nostri interpretes ignorasse, hanc fuisse communem horum quatuor librorum inscriptionem, *ἀναλυτικὰ* propriam autem Priorum inscriptionem fuisse, de Syllogismo: Posteriorum, de Demonstratione. Quod ne fingere uideamur, Galenum testem laudabimus. Scribit enim in libello quodam ubi libros suos enumerat, de suis in libros Aristotelis de Syllogismo commentarijs, in hanc ferè sententiam: Inscribunt autem illos libros hoc tempore ferè omnes *ἀναλυτικῶν ποσῶν*, sicut eos qui de Demonstratione sunt *ἀναλυτικῶν δυνάμεων*. ipse autè Aristoteles illorum, sub

sub inscriptione de Syllogismo, horum, sub inscriptione de Demonstratione, meminit. Item in lib. 4. de Differentijs pulsuum, ad finem, scribit ijs uerbis: Sed iam libros etiam de definitionibus duos conscripsi, tertium & quartum commentarium in secundum librum Aristotelis de Demonstratione, cui libro titulum multi indiderunt, *ἀναλυτικῶν δευτέρων*, sicut & libris de Syllogismo *ἀναλυτικῶν ποτέρων*. Ex ijs opinor Galeni uerbis satis perspicuum est, ueram inscriptionem Priorum librorum esse de Syllogismo, Posteriorum de Demonstratione: fuisse autem mutatam sua ferè ætate inscriptionem, in eam quæ etiamnum extat in omnibus libris. nisi quòd in noua inscriptione librorum de Demonstratione, ubi erat *δευτέρων*, scriptum est *ὑσέρων*: quæ licet idem ualeant, illud tamen non est cognitu indignum, ueterem titulum post Galeni tempora, fuisse *ἀναλυτικῶν δευτέρων*, non autem *ἀναλυτικῶν ὑσέρων*. Semper enim Galenus sub titulo *ἀναλυτικῶν δευτέρων* citat, nūquam *ἀναλυτικῶν ὑσέρων*, ut ex duobus illis locis paulo antè citatis apparet: item quæ ex libro quarto de Differentijs pulsuum, non longè ab initio: & ex libro secundo de Placitis Hippocratis & Platonis. Quæ causa est, ut ueterem secuti inscriptionem, appellauerimus hunc librum de Demonstratione, siue de secunda parte *ἀναλυτικῶν*. Sed quoniam hæc aliquanto longius progressa sunt, redeamus unde diuertimus. Si igitur est uera Priorum inscriptio, de Ratiocinatione: Posteriorum, de Demonstratione, quemadmodum ostendimus: ridicula hæc profectò causa est, cur quatuor simul libri Analytica inscripti sint, quòd uno quodam in loco de analyfi syllogismorum agatur. Scio adduci rationes quasdam,

quasdam, cur licet uno tantum loco de analyfi agatur, analytica tamen potius quam systatica, hoc est quasi compositoria appellentur. Sed mihi illæ non satisfaciunt: nec cuiquam puto placerent, accurate illa exquirèti. Itaq; eas ego suis authorib. relinquo. Aliorum fuit alià sententia, ob id scilicet appellata fuisse analytica, quòd eam docendi rationem quæ analyfis uocatur, in explicàdo syllogismo & demonstratione secutus sit Aristot. Quòd quanquã uerum sit, non tamè hanc inscriptionis rationem existimo. Ego enim eos rogare, cur illos potius libros, quam alios quosuis, Analytica inscripserit Aristot. Siquidem id perspicuum sit, omnib. ferè suis libris hanc secutum fuisse docendi rationem. nisi si quis se uelit fateri doctrinæ Aristot. planè ignarû. Ergo reiectis aliorum sententijs, in nostra maneamus, analytica ob id inscribi, quòd ijs quatuor libris explicatur uniuersa illa tradendarum scientiarum omnium ratio, quæ Analyfis appellatur, quã uiam & probauit Aristoteles, & in omnib. suis libris, quam maximè fieri potuit, secutus est. Postquam igitur superioribus duobus libris, quæ est prior pars analytices, syllogismi naturã uniuersam, partes & proprietates exposuit: nunc aggreditur ad explicationem demonstrationis, quæ duobus etiam libris comprehensa est. Ac primo quidem libro, primùm quædã ueluti principia, ad eorum quæ postea sequuntur demonstrationem necessaria, ponit, simul naturam demonstrationis definitione explicans: id quod ad quartum usq; caput facit. Illo loco incipit partes ac proprietates demonstrationis exquirere. Ac proprietates quidem sunt, constare ex necessarijs, constare ex ijs quæ per se insunt, ex æternis, ex ijs quæ propria sunt illius rei

r quæ

quæ demonstratur: item in prima figura maxime concludi: item contrariam habere ignorationem: item certo rerum numero, non infinito contineri, & huius generis multa, quæ illo libro docentur. Partes autem explicatur, cum aliam quod res sit, aliam cur ita sit, probare ostendit: item cum aliam uniuersam, aliam de parte, unam affirmantem, alteram negantem, denique unam directam, alteram per incommoda rem de qua quaeritur confirmantem facit: Vbi simul partes explicando, partium explicat aut potius demonstrat proprietates. Nam comparatio partium inter se, quod una sit melior, altera deterior, & cur ita sit, quid est quam rei proprietas? Atque in ijs ferè liber primus continetur. In secundo autem nil ferè tractatur quam de definitione: id quod eò (mea quidem sententia) factum est, quod secundo cap. primi libri dixerat, exquisitum se postea an esset alius sciendi modus, quam per demonstrationem. Ut igitur alterum illum sciendi modum exquireret Aristoteles, quia uidebat id dubium esse, an esset: propterea an quid est, possit demonstratione probari, primum exquirat. Nam si, quid res sit, non demonstratur, sciatur autem per definitionem quid res sit: profectò dubitari iam non potest, quin aliud sit per definitionem scire, aliud per demonstrationem. Priusquam autem ueniat ad illam quaestionem, an quid est demonstrari possit, statim initio quatuor quaestionum genera ponit, ut ex quatuor quaestionum generibus, quibus omnia quæ sub scientiam cadunt continentur, intelligeremus tria per demonstrationem cognosci: quaestionem autem quid est relinqueret, de qua quaereret, an etiam demonstratione cognosceretur. Et quoniam per definitionem sciri quid est, non per demonstrationem,

strationem,

strationem, ex longa utrâq; in partem disputatione relinquitur, rationem definiendi uniuersam absoluta illa disputatione exquirat. Quâquam autem ille per definitionem sciendi modus, diuersus est reuera à scientia quæ per demonstrationem acquiritur: est tamen ita affectus ad demonstrationem, quemadmodum supra ostendimus, ut pars quædam scientiæ demonstrationi non immeritò censeatur, uel hoc nomine, quòd licet demonstratione non probentur definitiones: in demonstratione tamen, ac per affectionem quam habent ad demonstrationem, ferè omnes cognoscuntur, ac per demonstrationem (ut ostendit Aristoteles) illustratur, maximeq; illæ quæ Aristoteles *λόγος ἀπὸ τῆς οὐσίας ἀναδέρχεται* appellat, hoc est, definitiones causam cur res sit explanantes: quæ ut solæ sunt perfectissimæ, ita nõ sine ratione Galenus eas solas *ἀπὸ τῆς οὐσίας* appellandas esse existimat. Quia igitur non parum momenti est in definitione, sed ille etiam est unus quidem per se sciendi modus, propterea amplissimè de ea agendum fuit. Sed etiam quia ad demonstrationem scientiam pertinet, ob id in ijs libris ubi de demonstratione agitur, fuit tractanda: id quod Aristoteles fecit. Postquam autem uniuersam illam disputationem de definitione absoluit, ad extremum communes uniuersæ scientiæ demonstratiuæ questiones proponuntur & dissoluuntur: de utilitate diuisionis, ad cognoscendas rerum de quibus quaeritur causas: & quæ sint eadem, quæq; diuersa problema: & an reciprocantur semper causæ cum esse-

Etis: deniq; principiorum scientiæ demonstratiuæ, quæ & qualis sit cognitio.

## DE DEMONSTRATIO

NE, SIVE DE SECVNDA PARTE

ἀναλυτικῶν, Liber primus:

NIC. GROVCHIO Interprete.

## CAPVT I.



Minis doctrina, omnisq; disciplina, quæ  
 ratione et intelligentia perficitur, ex an-  
 tecedente cõstat cognitione. Id quod per  
 spicuum erit, si singulas persequamur di-  
 sciplinas. Primum enim mathematicæ  
 scientiæ, atq; adeo cæteræ omnes artes, hac ratione conti-  
 nentur. Deinde et dialectici hoc modo aut ratiocinatio-  
 ne, aut inductione differunt. utraq; enim argumētatione,  
 ijs quæ antè cognita sunt, id quod queritur, docetur.  
 Illa quidem, acceptis quibusdam quasi perceptis & co-  
 gnitis ab ijs quibuscum disputatur: hac uerò, ob id quod  
 res uniuersa efficitur per singularia, quæ sunt unicuique  
 manifesta. Postremò & oratores hanc in probando ra-  
 tionem sequuntur. aut enim exemplis, quæ inductiones  
 aut enthymematibus, quæ ratiocinationes sunt, probat.  
 Prænotionũ autem duo sunt genera: quædam enim sunt,  
 in quibus necesse est quod sunt antè cognoscere: alia, in  
 quibus uis uerbi ac significatio intelligenda est: in alijs  
 quibusdam utrunq;. ueluti illud, in quacunq; re uera est  
 affirmatio aut negatio, quod sit, intelligendum est. Trian-  
 guli autem hanc esse significationẽ, nosse satis est. unita-  
 tis autẽ & significatio intelligenda est, & quod ipsa sit,  
 statim initio accipiendum, neq; enim eodem modo unum  
 quodq;

quodq; horum nobis cognitū ac perspectum est. Sunt autem eorum quæ cognoscuntur, quædam quæ ob id postea à nobis cognoscuntur, quoniā antecessit aliarum rerum cognitio. Alia uerò sunt, quorum simul cum altero acquiritur cognitio: cuius generis sunt singulæ partes, quæ sub uno genere uniuerso, quod tibi cognitum sit, comprehenduntur. Nam quòd omne triangulū tres habeat angulos pares duobus rectis, prænoueras: quòd uerò etiam illud quod in semicirculo descriptū est, tale sit, statim ubi animus aduertisti ad illud, agnouisti. Sunt igitur res quædam, quæ hoc modo in alijs cognoscuntur, nec medio adhibito extrema intelliguntur. cuiusmodi sunt omnis generis uniuersi singulæ partes, omniaq; quæ de nullo subiecto dicuntur. Ac fatendum est quidem, priusquam aut inductione aut rationatione illa concludamus, modo quodā illa iam sciri, & modo quodam alio nesciri. Nam quòd omnino nescit quisquā an sit, quomodo illud tres habere angulos pares duobus rectis, planè scire poterit? Attamen illud perspicuum est, quòd ea ex parte id scit, qua in toto genere illud cognitum ac perspectū habet; per se autem ac distinctè adhuc nescit. alioqui in laqueos illius quæstionis, quæ est apud Platonem in Menone, incidemus, ut aut omnino nihil discamus, aut id quod iam antè sciebamus, neq; enim cū ijs consentio, qui hoc modo soluere ista conantur: Scis ne omnem binariū parem esse? illo autem se scire dicente, tum proferebatur binarius aliquis, quem ille ne esse quidem suspicabatur, ob idq; nec parem esse sciebat. Ita enim dissoluunt, ut se dicant nescire quidem omnem binariū esse parem, sed omnè quem sciebant esse binarium. Atqui id dubium non est, quin id sciant quòd

demonstratione conclusum est, & eo modo quo ijs probatum est. probatum autem eis est non de omni triangulo aut numero quem esse scirent, sed omnino ac simpliciter de omni triangulo aut numero. Nam nec sumptionum ulla in demonstratione cū hac adiectione sumitur, quem scis esse numerum: aut, quod scis esse eutbygrammum, id est quasi rectilincum: sed simpliciter in omni accipitur. Nihil igitur, mea sententia, uetat quo minus quod discas partim scias, partim nescias: neque enim incommodum est, id nos aliquo modo scire quod discimus: sed nos hoc modo scire, hoc est qua ratione & quomodo discimus, id iam scire, id uero est incommodum.

## CAPVT II.

Plane autem ac perfecte rem scire quisq; censetur, ac non sophistarum modo (qui incertis ac fortuitis continentur) quando causam, per quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscit, ut non posse omnino rem aliter habere credat. nam quod rem scire, sit tale quidpiam quale dicimus, hoc argumento perspicui potest: quod omnes qui aut reuera sciunt, aut se scire putant, ob id aut sciunt, aut scire se existimant, quod rem ita se habere uti diximus, aut reuera, aut sua opinione cognoscunt. Itaq; res quæ sub scientiam cadit, ita est certa, ut omnino aliter esse non possit. Ac sit ne aliud quidem genus sciendi, postea dicemus: illud nunc certum est, scire illum, qui per demonstrationem rem cognouerit. Demonstrationem autem uoco, ratiocinationem: quæ scientiam gignere ob id dicitur, quod illa animo comprehensa statim rem scimus. Si igitur id est scire quod diximus, necesse est demonstrationem scientiam ex ijs sumptionibus constare, quæ & uere sint.

re sint, & prima, & (ut sic dicā) immediata, & notio-  
 res, & priores deniq;, & causæ conclusionis. nam si hæc  
 sint omnia, fiet ut accommodata sint ad id quod demon-  
 stratur, principia. Quamquam enim possit esse ratiocina-  
 tio, ut simul hæc non sint omnia, in demonstracione tamen  
 sunt necessaria: alioqui ut rem sciamus, nūquam efficiet.  
 Ac ueras quidem esse propositiones propterea oportet,  
 quoniam id scire non possumus, quod aliter habet atq; pu-  
 tamus: ueluti quod diagonus quadrati cum aliquo ex la-  
 terib; conuenire possit, cadere sub scientiam non potest.  
 Primas uerò ac indemonstrabiles easdem illas esse oportet,  
 quoniam illas quidem perspectas & cognitās habere  
 sine demonstracione possemus, si etiam illæ demonstracione  
 probari possent. Nam ea quæ demonstracione concludi  
 possunt, tum demū certè, ac non fortuito sciuntur, cum est  
 animo cōprehensa eorū demonstracione. Sed etiā ut causæ  
 sint conclusionis & notiores prioresq;, necesse est. Nam  
 tum demum rem sciamus, cum causam cognoscimus. Atqui  
 si causæ sint, necessariò efficitur, ut priores sint, & notio-  
 res: ac notiores quidem, non hoc tantum modo, ut uerbo-  
 rum uis ac significatio intelligatur: sed etiam, ut quod i-  
 ta res habeat, cognoscamus. Dicuntur autem priora &  
 notiora duobus modis. ut enim sunt alia quæ sunt naturæ  
 ordine priora, alia quæ nobis: ita plurimū iuter se diffe-  
 runt, quæ omnino ac per se notiora & quæ nobis magis  
 nota sunt. Ac nobis quidē illa priora et notiora appello,  
 quæ nostris sensibus magis obiecta sunt: omnino autem  
 ac per se, ea quæ sunt ab ijs remotiora. Huius generis sunt  
 res uniuersæ, illius res singule: quæ inter se res contra-  
 riæ sunt. Quod autem supra diximus, ex primis constare  
 demon-

demonstrationem: id ita accipiendum est, ut ex proprijs principijs constare eã intelligamus. Prima enim & principia pro eodem sumo. Est autem principium demonstrationis propositio, quæ ob id immediata dicitur, quoniam nulla est alia prior, per quam ipsa cõfirmari possit. Propositio est enunciationis pars altera, in qua unum de uno enunciatur. Ac dialectica quidem propositio est, utrauis sine ullo discrimine pars contradictionis, ad probãdum aliquid sumpta. Demonstratiua autẽ, altera tantum, atq; ea demum quæ est uera. Enunciatio est, omnis contradictionis pars utrauis. Cõtractio autem est, contrariorũ illa oppositio, in qua nihil quod uerẽ medium sit, reperi ri potest. Huius pars una affirmatio est, in qua unũ alteri attribuitur; altera negatio, in qua unũ alteri detrahitur. Principia immediata, quæ in demõstrationibus accipiuntur, in duo genera distribui possunt. unum eorum quæ quanquã demonstrari non possint, non tamen ita aperta & per se manifesta sunt, ut necesse sit iam antẽ cognita esse ei qui artem aliquam discere uelit: quas nos positiones appellamus. altero genere cõtinentur ea quæ ita sunt per se ipsa perspicua, ut non possint non esse omnib. multo antẽ cognita ac perspecta, quàm quicquam doceatur; quæ pronuntiata dicuntur. Nam cum huius generis res quædam sint, tum uerò in illis appellandis hoc nomine pronuntiatorum uti solemus. Sed & positiones rursus in duo genera diuiduntur; in hypotheses, quas suppositiones appellemus, & in definitiones. Ac suppositiones quidem sunt, cum alterutra pars enunciationis, ueluti aut esse aliquid, aut nõ esse, sumitur. Definitiones uerò sunt, in quibus neutrum accipitur. Quanquã enim definitiones sunt  
posi-

positiones (id enim ab Arithmeti-  
 citatis initio poni solet, u-  
 nitatem, uerbi gratia, id esse quod per quantitatem diuidi  
 non potest) suppositiones tamen esse non possunt. Neque  
 enim idem est, quid sit unitas accipere, & esse in rerum  
 natura unitatem ponere. Quoniam autem ob id certum  
 rem scimus, ac credimus, quia præceptam animo habemus  
 ratiocinationem illam, quæ demonstratio à nobis paulo  
 antè dicta est: omnis autem ratiocinationis uis posita est  
 in ijs ex quibus constat sumptionibus: illud certè neces-  
 sariò efficitur, huiusmodi principia, aut omnia, aut alia  
 quæ, non modo esse antè cognoscenda: sed etiam multo  
 magis, quàm ea quæ ex ijs concluduntur, scienda. Semper  
 enim id magis tale est, quod causa est ut tale sit alterum:  
 ueluti, is nobis semper charior est, cuius causa alterum ama-  
 mus. Si igitur hoc principia efficiunt, ut sciamus, &  
 quin ita res habeat non dubitemus: illa necesse est multo  
 à nobis melius intelligi, quàm quæ per ipsa concludun-  
 tur. At qui nemo alijs rebus maiorem fidem habet, quàm  
 ijs quæ certò scit: si illas aut per demonstrationem, aut  
 certiore aliqua ratione non sciat. Quod tamen fatendum  
 erit, si ea non sunt nobis antè cognita, quæ faciunt nobis  
 fidem rei quæ demonstratione concluditur. Planè enim  
 necesse est credibilia esse principia aut omnia, aut quæ  
 dam, ipsa conclusionem. Qui igitur per demonstrationem  
 alicuius rei scientiam consecutus est, eum necesse est  
 non modò magis nosse principia, eisquæ maiorem fidem  
 habere, quàm rei quæ demonstratur: sed etiam omnino  
 illi nil debet esse credibilius principijs, atque adeò nil  
 certius scire debet, quàm horum principiorum contra-  
 ria talia esse, ut si quid ex ijs concludatur, summam ino-

scientiam atq; ignorationem rei efficiat. Alioqui id uere dicere non poterimus, Scientem hominem ita esse immutabilem, ut omnino labi atq; errare non possit.

## CAPVT III.

Sed quoniam principia antè sunt scienda, quàm id quod concluditur: ob id quibusdam uisum est, nullam omnino posse esse scientiam. Aliorum contraria fuit sententia, omnium rerum esse demonstrationem. Sed neque hi, neque illi uerum dicunt, neque id necessariò efficiunt quod uolunt. Primum enim, qui omnem scientiam è medio tollunt, ex eo nil non posse scire confirmant, quòd in infinitum regrediendum sit: semper autem, ut sciamus posteriora, necesse est ut priora cognoscantur, quorum sunt aliqua tandem prima. Ac illi quidem hætenus bene dicunt: infinita enim animo percurrere non possumus. Quòd uerò in infinitum sit regrediendum, sic confirmant: quoniam si exitus tandem aliquis reperiatur, ac principia quædam dari possint, in quibus mens tandem consistat, illa necesse erit nobis esse incognita: quandoquidem illorum sententia, omnis cognitio ac scientia per demonstrationem acquiritur: illa autem si prima sint, demonstrari non possunt. At uerò si principia sciri non possint, ne illa quidem quæ ex ijs conficiuntur, planè & absolutè intelligi poterunt, sed tantùm quasi ex conditione, si illa sunt, ista esse scientur quæ per illa probantur. Alij autem in hoc quidem cum superioribus consentiunt, quòd non aliam putant esse scientiam, quàm quæ per demonstrationem comparatur: sed fieri posse ut omnium rerum sint demonstrationes, ipsi existimant: quare id fieri possit ut omnes res uicissim per se mutuo probentur.

bentur, ac ueluti in orbem redeant omnes omnium res  
 rum demonstrationes. At uerò nostra longè alia est sensu  
 tentia. Primum enim, non omnem scientiam demonstra  
 tiuam esse, sed principia quia immediata sunt, sine ulla  
 demonstratione sciri posse existimamus. Id quod hac ra  
 tione perspici potest. Nam si necesse sit scire ea quæ an  
 tecedunt, & ex quibus demonstratio constat: reperia  
 mus autem aliqua tandem immediata, in quibus sit no  
 bis consistendum: illa certè necesse erit sine ulla demon  
 stratione cognosci. Itaq; de hac re sic censeo, aliquam esse  
 se non modo scientiam, sed & principium quoddam sci  
 entia, quo nos extrema ipsa cognoscamus. Deinde ue  
 rò illud fieri non posse putamus, ut bene ac perfectè res  
 demonstrantur, si uicissim ita in orbem probentur. ex  
 prioribus enim & notioribus constat omnis demonstra  
 tio. Fieri autem non potest ut res eadem, una eademq; re  
 prior sit & posterior: nisi fortè id alio atque alio mo  
 do intelligatur. ueluti si uno modo quæ simpliciter &  
 nature ordine priora sunt acciperentur, altero autem  
 quæ nobis. quod posterius genus accommodatum est  
 inductionibus: quæ ex ijs quæ hoc modo sunt priora,  
 rem de qua quæritur faciunt manifestam. Quòd si i  
 ta res habet, alterum horum dicendum est, aut propte  
 rea non rectè à nobis supra definitum esse, quid sit pla  
 nè ac perfectè rem scire, quia huius duo genera non fe  
 cimus: aut pro demonstrationibus accuratis eas non esse  
 habendas, quæ ex notioribus nobis constituuntur. Iam  
 uerò illos qui ita sentiunt, in orbem res bene demon  
 strari, non modò illo quod nunc diximus incommodo  
 urgere possumus: sed hoc etiam, quòd qui ita probant,  
 nil

nil aliud dicant, quàm id quod ridiculū est, si res aliqua  
 sit, illā ipsam esse: quo certē modo facile erit omnia de-  
 monstrare. Illud autem sequi incommodum, quod dico,  
 perspicuum erit, si tria extrema accipiamus. Nam id nil  
 interest, an multis, an paucis interpositis, retrò commeēt  
 probationes; modò ne in paucioribus quàm duobus, mu-  
 tuam illam ac reciprocam demonstrandi rationem fieri  
 intelligamus. Quando igitur si sit *a*, necessariò est *b*: &  
 si *b* sit, necessariò est euid etiam ad extremū concluditur,  
 si *a* sit, *c* esse. Itaq; si *a* posito sequitur *b*, & contrā ex an-  
 tecedente *b* consequitur *a*, cuius generis erat reciproca  
 demonstratio, loco consequentis *a* sumamus *c*: tum profe-  
 ctò ex *b* antecedēte *a* concludere, idē erit ac si ex eodem  
 ipso *b* concluderes *c*. Atqui ex antecedente *a* conficere *c*,  
 nil erat aliud quàm ipsum *a* ex se ipso efficere. Illud igi-  
 tur aduersus illos qui hoc genus probādi reciprocum in-  
 duxerunt, rectē effectum est, nil hoc cum dicūt aliud eos  
 dicere, quàm huiusmodi conclusionem ualere, si *a* est, *a*  
 est: quo profectò modo facile erit omnia demonstrare.  
 Præterea reciprocum hoc genus probandi in ijs tantum  
 uerbis locum habere potest, quæ uicissim retrò cōmeant,  
 cuiusmodi sunt propria. Atqui uno posito simplici uer-  
 bo, aut una propositione, iam antea demonstratū est nil  
 necessariò cōcludi posse: sed minimum duas primum ac-  
 cipi sumptiones oportere, ut ratiocinatione aliquid con-  
 cludatur. Si igitur mediū uerbum *a* sit consequens extre-  
 morum *b* *c*, atq; ista extrema inter se reciprocentur, etiā  
 necesse erit ut uicissim retrò commeent cum *a* medio. Ac  
 fieri quidem posse, ut quæ uicissim hoc modo retrò como-  
 meant, in prima figura concludantur omnia, iam antè à  
 nobis

nobis demonstratum est in libris de Ratiocinatione. Sed  
 etiam illud simul probatum est, in alijs figuris aut omni-  
 no hoc genus conclusionum locum non habere, aut ex ijs  
 quæ sumpta sunt rem non posse cōcludi. Omnino autem  
 in ijs uerbis quæ non reciprocantur, huiusmodi in orbem  
 reciproca demonstratio fieri non potest. Quare si in de-  
 monstrationibus pauca sunt huius generis uerba, quæ  
 admodum pauca esse certum est: illud certè perspicuum  
 est, ridiculum esse, uel potius omnino fieri non posse, ut  
 propterea omnium rerum sint demonstrationes, quoniam  
 uicissim in orbem res concludi possint.

## CAPVT IIII.

Quoniam autem id quod certò scimus, non potest se  
 aliter habere: illud profectò sequitur, rem esse necessa-  
 riam, quæ sub scientiam cadit demonstratiuam. Atqui  
 scientia demonstratiua est, quæ tum habemus, cum men-  
 te percepimus alicuius rei demonstrationem. Quare de-  
 monstratio erit ratiocinatio, quæ ex necessarijs constat.  
 Dicendum igitur, quæ & quales sunt res illæ ex quibus  
 demonstrationes conficiuntur. Ac primùm explicandū,  
 quid est quod in omni inesse dicimus: tum, quæ sint ea  
 quæ per se conueniunt: postremò, quid est, in uniuerso  
 genere spectari. In omni id dicitur, quod ita in alterum  
 cadit, ut nec sub illo genere partem ullam accipere pos-  
 sis, cui non conueniat: nec ullum tempus inuenire, in  
 quo de illo non dicatur. Vt si in omni homine dicitur a-  
 nimal, necesse est ut quacunque in re uerè enunciabitur  
 homo, etiam animal enuncietur: & quocunq; tempore  
 illud uerum erit, & hoc uerum esse. Item, si in omnem li-  
 neam cadit punctum, idem illud quod in superiori exem-  
 plo

plo dicendum. Quod uerò id sit in omni inesse, quod dixi,  
 argumento est, quod omnes qui rogati fuerint, nūquid in  
 omni quippiam insit, ita occurrere interrogationi solēt,  
 ut aut aliquid subiiciāt cui illud non insit, aut certo quo-  
 dam tempore non conuenire ostēdant. Per se autem illa  
 primū conueniunt, quæ in explicanda rei natura atq;  
 essentia adhibentur. Vt triangulo per se inest linea, linea  
 punctum. Nam & in natura triāguli & linea, hæc in-  
 sunt: & in definitione qua declaratur quid illa sint, po-  
 nuntur. Deinde illa etiā per se insunt, quæcunq; rem ali-  
 quam ita consequuntur, ut cum quid illa sunt definitione  
 explicatur, necesse sit rem ipsam in definitione accipit  
 quomodo lineæ cōueniunt rectum & circumductū, &  
 numero par & impar, itē primū & compositū, deniq;  
 quod parib. constat lateribus, & quod productiorib. al-  
 tera ex parte oris constat. Nam si ista uelis quid sint defi-  
 nitione declarare, in his quidē numerū, in illis autē lineā  
 necesse erit adhibere. Atq; ut omnia similia semel com-  
 plectar, ea omnia per se inesse dicēda sunt, quæcunq; aut  
 hoc posteriore modo, aut illo priore, alteri cōueniunt:  
 quæ uerò neutro modo insunt, accidentia appellabūtur.  
 cuiusmodi sunt, album & musicū, quæ animalis sunt ac-  
 cidentia. Est uerò & alia significatio huius uerbi, cum  
 ea per se esse dicuntur, quæ cum appellātur, in nullo sub-  
 iecto esse intelliguntur. Nam cū ambulare dicimus, aliud  
 quiddam intelligamus oportet, in quo illud ipsum ambu-  
 lare insit: et cum album appellamus, aliud quoddam esse  
 oportet quod album sit. Substātia autem, & omnia quæ  
 hoc aliud significāt, aliud nihil sunt quā id ipsum quod  
 sunt. Quapropter quæ in nullo subiecto insunt, ea per se  
 esse

esse dico: quæ uerò in subiecto insunt, ea accidentia ap-  
 pello. Est etiam aliud quoddam genus, quo ea per se esse  
 dicuntur, quæ suapte natura ac propter se alteri conueni-  
 niunt: quæ uerò non propter se conueniunt, accidentia  
 dicuntur. ut si ambulante aliquo fulserit, accidens est:  
 propterea quòd fulguris causa non est ambulatio, sed ita  
 fortè accidisse dicimus. Quæ uerò propter se cum alte-  
 ro sunt coniuncta, ea per se sunt: ueluti, ut quis iugulatus  
 intereat, id per se fieri dicimus, quando interitus causa  
 est ipsa iugulatio, neq; id fortè ita contigisse dicimus, sed  
 quia iugulatus erat, ob id mortem obiisse. Itaq; in ijs re-  
 bus quæ sub certam ac perfectam scientiam cadunt, om-  
 nia illa quæ duobus illis prioribus modis per se inesse  
 dicuntur, aut quoniam insunt in attributorum definitio-  
 nibus subiecta, aut contrà in subiectorum attributa: om-  
 nia in quâ illa necesse est cum propter se ac ui sua con-  
 uenire, tum uerò necessariò ijs inesse quib; attribuuntur.  
 Neq; enim potest aliter esse, quin aut ipsa (si nil habent  
 contrarium) conueniant: aut in quibus contraria repe-  
 riuntur, ex ipsis alterum insit. ut lineæ necesse est aut re-  
 ctum aut inflexum inesse: numero, aut par aut impar.  
 Nam si omne quod alteri aduersatur, est quasi alterius  
 priuatio aut negatio, ad idem genus pertinens: ut par nil  
 est quàm quod in genere numerorum non est impar: ne-  
 cesse autem est in omni re aut affirmationem aut nega-  
 tionem dici: illud profectò ijs consequens est, ea quæ per  
 se insunt, necessariò ijs conuenire quibus attribuuntur.  
 Atq; hæc de ijs quæ in omni, & de ijs quæ per se dicun-  
 tur, sufficiant. Ad uniuersum autem genus ea pertinere  
 dico, quæ & in omni insunt, & per se rei cõueniunt, &

hoc

hoc ipso quod res talis est. Ex quo perspicuum est, ea quæ in uniuerso genere cernuntur, necessariò ipsi conuenire quibus attribuuntur. Per se autem, & hoc ipso quod tale est conuenire, idem significant. ut per se inest lineæ punctum, & rectum esse: ea uerò etiam lineæ, quia lineæ est, conueniunt. Et triangulo, hoc ipso quod triangulum est, conuenit habere tres angulos pares duobus rectis: sed & per se triangulo illud ipsum conuenit. At uerò uniuersum genus ut demonstretur, necesse est non modò ut in ea re inesse demonstretur, cui omni conuenire possit: sed etiam ut de eo concludatur, in quo primum omnium cernitur. ut tres habere angulos pares duobus rectis, neq; in uniuersum genus figurarum cadit (etiam si figuram non eam quidem quam uis, sed incertè figuram, probare possumus habere tres angulos pares duobus rectis) neque illud qui demonstratione concludunt, in quauis figura sine ullo discrimine id rectè conficere possunt: quadrangulum enim figura est, neque tamen tres habet angulos pares duobus rectis. isosceles autem habet quidem, quodcumque illud tandem sit, tres angulos pares duobus rectis: sed non id primum est in quo illud cernitur, cum ad triangulum id prius pertineat. Quicquid igitur illud tandem sit, quod primum aut habere tres angulos duobus rectis pares, aut aliud quiduis demonstrabitur, id erit, in quo primum omnium genus uniuersum spectabitur. Ac demonstratio quidem propriè ac per se erit, qua uniuersum illud genus probabitur: in alijs autem omnibus, non propriè ac per se, sed alio quodam non accurato genere demonstrandi, illud idem concludetur. Quinetiam in isoscele, si illud demon-

stretur

stretur quod diximus, non ostendetur uniuersum genus, cum id multò latius pateat quàm isosceles.

## CAPVT V.

Illud autem hoc loco ignorare non debemus, sæpe id usuuenire, ut in accipiēdo genere uniuerso peccemus, putantes ipsum genus uniuersum à nobis in eo esse probatū in quo primò inest, cum reuera in eo subiecto primū non cernatur. Oritur autem huiusmodi error, aut quando in uno genere una est res singula, ob idq; superius ea aliquid accipi non potest: aut cum rebus singulis multis est una quidem cōmunis ratio, sed tamen nullum nomen inpositum est, quo illud genus appelletur, diuersis specie rebus conueniens: aut si res illa in qua inesse quippiam demonstratur, quasi pars tantū eius sit, in quo primò inesse conspicitur. In singulis enim partibus ita demonstrari potest, ut etiam conclusio sit de toto genere affirmatio. Attamen non erit ea generis uniuersi de eo in quo primū inest demonstratio: quandoquidē eam demum demonstrationē genus uniuersum in quo primò inest, conclusisse puto, quæ in ea re subiecta probauit, in qua inest, hoc ipso quòd talis est. Si quis igitur rectas lineas nō posse concurrere ostendat, illa quidem uidebitur esse demonstratio, propterea quòd in omnes rectas lineas id cadere potest, & tamen non est demonstratio: siquidem illud non conuenit lineis pari semper interuallo distantibus, quia sunt rectæ: sed id omnibus pariter distantibus, qualefcunq; illæ sint, conuenire posse cernitur. Et si nullum esset triangulum præter isosceles, conuenire uiderentur triânguli proprietates isosceli, quia isosceles sit. Et proportio commutata inest in numeris, quia numeri

sunt

sunt: & lineis, quia lineæ: & in solidis & temporibus, hoc ipso quod aut solida aut tēpora sunt, cum ita demonstratur, quemadmodū aliquando separatim de ijs singulis demonstratum est. Nihilominus tamen fieri potest, ut una demonstratione communi, illud ipsum de ijs omnibus concludatur. Sed quoniam non est nomen impositū quod illud appellemus, in quo ista, numerus, linea, solidum, tempus conueniunt, communiq; una ratione continentur: & quoniam sunt hæc res specie inter se differentes, idcirco singulatim illa accipiuntur. At qui nunc demū quum natura cōmunis accipitur, ipsum genus uniuersum demonstratur. Neq; enim inest aut numeris aut lineis hoc ipso, quod aut numeri aut lineæ sunt: sed qua ratione, communi illa ratione participant. Quare si quis una aut altera demonstratione concludat, singulas trianguli species, ut isopleuron, scalenon, & isosceles, habere tres angulos pares duobus rectis: is nondum nouerit (nisi quomodo cognoscere solent sophistæ) triangulum habere tres angulos pares duobus rectis. Ac ne si præter illas quidem tres species nullus alius sit triāgulus, ob id credendum est eum scire uniuersum genus trianguli. Neq; enim triangulum nouit hoc ipso, quod triangulum est: neq; nouit omnine triangulum, nisi secundum numerum, secundam speciem autem, & qua ratione unum quippiam est triangulum, nō nouit: etiam si ex singulis nullum sit quod non cognoscat. Quod si id scire uelis, quando genus uniuersum non cognoscimus, & quando generaliter atq; absolute rem aliquam intelligimus, id ego hunc in modum faciam manifestum. Nam si non alia uis atque natura trianguli esset, quam huius aut illius isopleuri, aut uerō omnium

omnium simul isopleurorum, semper in uniuerso genere rem intelligeremus. At si est huius atq; illius diuersa ratio, insit autem aliquid triangulo hoc ipso quod triangulum est, nisi hoc modo sciamus, genus uniuersum non intelligemus. An autem insit aliquid triangulo quia triangulum est, an uerò isosceli quia est isosceles: deinde, quando aliquid alteri primum conuenire dicendum sit: postremo, quòdnam illud tandem sit genus uniuersum, quod demonstratione concludendum est, una hac ratione cognoscemus. Quando tale erit aliquid, quod detractis alijs, in re aliqua inest, atq; adeò illi rei primum omnium conuenit: ueluti isosceli æneo triangulo conuenit habere tres angulos pares duob. rectis. sed etsi illa tollas, æneum & isosceles, adhuc restat cui conueniet. At si aut figuram, aut quod extrema habet, tollas, nil tum quidem erit, cui illud conuenire possit: sed tamen non sunt illa, quibus primum sublati, hæc sublata est proprietas. Quod igitur primum sublato hoc esse desijt: triangulo scilicet. Quare & alijs per hoc conueniet: & in hoc solo erit uniuersi generis demonstratio.

## CAPVT VI.

Atqui si demonstratiua scientia ex certis quibusdam sic necessarijs initijs oriatur (cunctis enim quod sub scientiam cadit, non potest aliter habere, sunt autem ea quæ per se rebus conueniunt, necessaria: ex his enim alia in definitione rei subiectæ adhibentur, aliorum autem natura cum definitione explicanda est) adhibito ipso subiecto in quo insunt declaratur: in quo genere, semper alterum ex contrarijs in re subiecta inesse necesse est. Ex his illud perspicuum est, demonstrationem ex huiusmodi

Quod in istis non potest  
se aliter habere

quæ per se insunt, constare. Omne enim quod alteri conuenit, aut hoc modo, aut per accidens attribuitur. Constat autem, accidentia non esse necessaria. Aut igitur ita certè statuendum est: aut uerò nobis hoc loco quasi principium quoddam accipiendum, demonstrationem rem esse certissimam & necessariam: & si quid est quod demonstratione conclusum est, illud omnino non posse aliter se habere. Ex quo illud necessariò efficietur, causam ratiocinationem, qua huiusmodi res concluditur, esse ex necessarijs sumptionibus constituendam. Nam ex ueris quidem propositionibus alius concludit quàm demonstrator: ex necessarijs uerò, quia id iam demonstrationis est proprium, non potest alius præter demonstratorem concludere. Quòd autem fiat ex necessarijs demonstratione, hoc quasi signo intelligi potest: quòd cum uolumus occurrere & obsistere ei qui se aliquid demonstratione probasse putat, hoc nos ferè modo obsistere solemus, ut non esse id necessariū quod accipit dicamus, si aut reuera posse rem secus habere existimemus: aut uerisimiliter infirmari posse quod adfert, hoc modo putemus. Quæ aptè propter ridendi sunt, qui se putant accommodata ad demonstrationem principia habere, cum probabiles ac ueras acceperint propositiones. Qualis est illa Sophistarum propositio, Scire nihil est quàm scientiam habere. non enim quod probabile est, aut minus probabile, principium est: sed quod in eo genere, in quo demonstrationes uersantur, primum est: nec omne quod uerum est, unicuique rei demonstrandæ statim est accommodatum. Iam uerò quòd necessaria esse demonstrationis sumptiones oporteat, ita confirmari potest: Qui causam quam obrem res

fit

alteri colla-  
tur. Con-  
igitur ita  
quasi prin-  
tionem rem  
d est quod  
non posse  
cietur, eam  
tur, esse ex  
am ex ueris  
im demon-  
strationis  
nstratorem  
emonstra-  
ion uolumus  
onstratione  
solemus, ut  
aut reuera  
similiter in-  
is. Quapro-  
ad demort  
es ac ueris  
ophistarum  
habere, non  
le, principiu  
ationes uer-  
est, uniuersq;  
m. Iam uerò  
iones oport  
nobrem res  
sit

fit ignorat, is per demonstrationem non est rei scientiam  
affectus. Atqui si ita ponamus, esse conclusionem, omne  
c est a, necessariam: medium autem b, per quod illud con-  
firmatur, nõ necessariu: fieri non poterit ut quomobrem  
res sit intelligamus, quãdoquidem talis conclusionis tale  
medium causa esse non possit. Potest enim euenire ut hoc  
non sit, cum interim necesse sit illam conclusionem sem-  
per esse. Insuper si quis nunc rem aliquã nesciat, cum &  
res quam sciebat, eadem manet, & incolumis ipse est, &  
adhuc animo retinet probationem eandem quam prius,  
nec memoria aliquid quod ad eam rem pertinet excidit:  
si quis inquam ita affectus, nesciat tamen, annon id cer-  
tum est, ne prius quidẽ illa probatione rem scire potuif-  
se? Atqui si medium non est necessarium, interire potest.  
Cum igitur non erit mediũ, illud necessariò eueniet quod  
dixi: ut incolumis ego, re nulla ex parte mutata, eandem  
animo retinens probationem, nesciam tamen. quare il-  
lud necesse est, ut ne prius quidem sciuerim. Nam quod  
fortasse non interijt reuera medium, nil refert: id enim  
satis est quod possit, illud autem quod possibile ac contin-  
gens est, iam euenisse sine ullo incommodo poni potest.  
Atqui fieri non potest ut rem sciamus, cum hoc modo af-  
fecti sumus. Ac si quidem necessaria est conclusio, non est  
necesse ut & medium ex quo efficitur illa conclusio, sit  
necessarium. Quemadmodum enim ex falsis uerum in-  
terdum concluditur, sic etiam ex non necessarijs inter-  
dum conficitur necessarium. At si necessariae sunt sum-  
ptiones, & conclusionem esse necessariam oportet: si-  
cuti ex ueris nil unquam nisi uerum efficitur. ueluti si  
necesse est omne b esse a, itemq; omne c esse b, ex his ef-

ficiatur necessario, omne c esse a. At uero si non est necessaria conclusio, fieri non potest ut medium sit necessarium. Sit enim hæc conclusio non necessaria, Omne c est autem si medium ita accipiat, ut necesse sit omne b esse a, & omne c esse b: ex ijs sumptionibus efficitur hæc conclusio, omne c necessario esse a, quam nos tamen posueramus esse non necessariam. Quoniam igitur quod per demonstrationem scimus, certum semper est ac necessarium: ex eo illud facile colligitur, medium demonstrationis necessarium etiam esse oportere: alioqui fatendum erit, nos non modò non posse, quamobrem res est, scire: sed nec quòd res sit, posse certò cognoscere, sed alterum semper horum usuenire necesse est, ut aut falsam tantùm habeamus scientiæ persuasionem, si id necessarium esse putemus, quod minimè est necessarium: aut ne falsam quidem opinionem scientiæ habeamus. Atque id dico pariter euenturū, siue adhibeatur tale mediū ad probandum quòd res sit, quasi per mediatas propositiones: siue ad ostendendum quamobrem res sit, quasi per sumptiones immediatas. Accidentia autem quæ non ita insunt per se, quemadmodum supra definiuimus, non possunt sub scientiam demonstratiuam cadere, eo quòd in ijs conclusio necessaria esse non potest. Nam quòd accidens est, potest non inesse: ego enim sic accipio hoc loco nomen accidētis. At quæret fortasse quispiam, Quorsum igitur de his accidentibus sunt interrogationes, nisi aliquid tandem necessario concludi potest? Nam quid refert qualia sint quæ interrogantur, ut ex illis aliquid necessario efficiatur? Dicendum igitur, non ob id illa interrogari, ut res ipsa quæ concluditur, necessaria per ea quæ

quæ interrogata sunt efficiatur: sed ut tantum, si illa posita sunt, hæc etiam necessario admittenda esse concludamus: & si uera sunt quæ antecedunt, ueram etiam esse consecutionem efficiamus.

## CAPVT VII.

Sed quoniam in unoquoque genere ea necessario insunt, quæ per se alicui rei, & quia res huiusmodi est, conueniunt: perspicuum est, non modò de ijs fieri quæ per se sunt, sed etiam ex ijs constare debere omnes demonstrationes quæ parere scientiã possunt. Accidentia enim non sunt necessaria. ob idq; ex ijs quãobrem sit res, quæ concluditur, non possumus certò scire: nec si illa quidem accidentia semper sint, qualia ferè sunt ex quib. constat ratiocinationes, quæ ex proprijs rerũ notis ducuntur. Nam quod per se est, hoc modo, nõ per se sciet; quare nec quãobrem res sit intelliget. Porro scire quamobrem res est, nil est quàm rei causam nosse. Quapropter necesse est, ut et mediũ minori extremo propter se conueniat, & maius item extremũ medio. Ex quo illud efficitur, uitiosum esse in demonstrando, ex uno genere in aliud migrare, ueluti si ex ijs in quibus uersatur geometria, aliquid probetur per ea quæ ad arithmetica pertinet. Tria enim sunt in quibus omnis continetur demonstratio. Prima est, ea quæ demonstratione conficitur conclusio: conclusionẽ autem intelligo, illud quod de certo quodã genere, per se enunciari ostenditur. Sunt deinde & pronunciata, ex quibus illud ipsum colligitur. Tertiũ est, ipsum genus subiectum, cuius affectiones, & quæ per se conueniunt accidentia, demonstrantur. Ac diuersis quidem scientijs eadem pronunciata interdum accomodantur. Quando uerò subie-

Etum est diuersum, quemadmodū arithmetica et geometria, tum semper est uitiosum, uelle arithmeticas demonstrationes accommodare ad concludendas magnitudinis affectiones: nisi forte magnitudines, numeros quosdam esse putemus. Porro quemadmodum illud in quibusdam non incommode fiat, paulo post dicemus. Nunc illud constat, arithmetiis demonstrationibus unum quoddam esse subiectum, circa quod omnes uersentur: id quod in alijs etiam fit scientijs. Itaq; necesse est genus subiectum aut idem omnino esse, aut certē ex parte aliqua cōiunctum: ut, quæ demonstrationes unius loci propriae sunt, accommodatē alium etiam in locum transferātur. Nam quodd, nisi horum alterum sit, fieri illud non possit, uel hac ratione intelligi potest: quodd necesse est ut & medium & extrema ad idem genus pertineant; quæ si nō per se conueniunt, accidentia esse fatendum est. Quare ad geometriam non pertinet, ostendere, in rebus aduersis unā uersari scientiam: sed nec, quodd duo cubi unum cubum face re possunt, omninoq; quodd unius scientiæ est, conuenire alteri non potest: nisi forte cū una sic erit ad alteram affecta, ut in una altera contineatur: quomodo ad geometriam optice, et ad arithmeticam musica affecta est. Imō uerō ne id quidem ad geometriam pertinet, quodd lineis non conuenit, quia lineæ sunt. aut si quid aliud est, quodd ex proprijs suis principijs confirmari non potest: qualia sunt ista, quodd recta linea sit omnium pulcherrima: quodd circumducta lineæ aduersetur recta, neq; enim hæc lineis conueniunt hoc ipso quodd proprio quodam genere continentur, sed qua ratione communi aliqua natura participant. Caterū si demonstrationis propositiones

tiones sint de toto genere, illud perspicuum est, oportere  
 etiã ut conclusiones huiusmodi demonstrationis, imò ue-  
 rò (ut generaliter dicã) omnis demonstrationis, sint sem-  
 piternæ: ob idq; eorũ quæ fluxa & caduca sunt, nullam  
 neq; demonstracionem, neq; scientiam, nisi fortè incertã  
 quandam & quasi fortuitam, esse posse. nam quæ talia  
 sunt, in omni dici non possunt, sed aut tempore modo ali-  
 quo insunt, aut quadam ex parte conueniunt. Cum uerò  
 est huius generis ipsa res quæ concluditur, necesse est ut  
 minimum altera sumptionum & de toto genere non sit,  
 & caduca atq; incerta sit. Ac illa quidem incerta muta-  
 bilisq; futura est, eo quòd talis est conclusio: de toto autè  
 genere non erit, quoniam necesse est ut quædam sint in  
 quibus dicatur, quædã in quibus non dicatur. Quo fit, ut  
 de toto genere concludi non possit: sed hoc tantum effici  
 potest, hoc uel illo tempore ita esse. Quod autè in demon-  
 strationibus dixi, idè in definitionibus dico. Omnis enim  
 definitio aut est demonstracionis principium, aut ipsa de-  
 monstratio, nisi quòd desideratur collocatio: aut demon-  
 stracionis est cõclusio. Quamquam autem quædam sint,  
 quæ plerunq; statisq; tantum fiunt temporibus (qualis est  
 lunæ defectio) perspicuum tamen est, cum in ijs uniuersum  
 genus accipitur, non minus certas & perpetuas esse tum  
 demonstrationes tum scientias, quàm in alijs. Cum uerò  
 non semper esse conspicitur, tum in parte accipi. Quod  
 autem in defectioe dico, idem in alijs eiusdem generis  
 intellectum uolo. Sed quoniam id iam satis constat, nun-  
 quam aptè aliquid demonstrari, nisi propria cuiusq; rei  
 adhibeantur principia: illud profectò non erit satis ad  
 rem sciendam, quæ propter se alteri conuenit, adhibuisse

in probando ueras, in demonstrabilibus, immediatisque propositionibus. Illud enim euenire potest, ut cum tales erunt suppositiones, nihilominus tamen talis sit demonstratio, qualis erat Brysonis, qua circulum quadrare conabatur, probatio. Nā sunt huiusmodi aliquæ rationes, quæ communia quædam, & alteri etiam non minus conuenientia, ad aliquid ostendendum accipiunt: ob idque ad res nullam omnino inter se societatem, naturamque coniunctionem habentes, accommodari posse tales rationes cōspiciuntur. Quo fit, ut ex illis non possimus res per se, et quia huius generis est, scire: sed tantum per accidens, alioqui non potuissent in aliud quoddam genus transferri. Hoc enim est per se, & non per accidens scire: quando aliquid eo modo alteri conuenire intelligimus, quo illi cōuenit: idque per principia quæ sunt illi, quia illud ipsum est, propria, ueluti, habere tres angulos pares duob. rectis, tū scimus, quando illud cui propter se cōuenit intelligimus: atque adeo per principia, quæ ad illam rem proprie pertinent. Itaque si quid est quod per se alteri conueniat, & quia est illud ipsum quod est: ad illud demonstrandum, necesse erit uerbis medium accipere ex earum rerum genere, quæ eandem habent cum illo naturam societatem: aut certe quæ sic inter se affectæ sunt, quomodo arithmetica musica respicit. Quamquam enim in his quæ ad hunc modum inter se affectæ sunt, illam etiam in demonstrando rationem sequamur: illud tamen interest, quod alterius scientiæ est, quod res sit ostendere, eo quod est illius aliud quoddam subiectum: superioris autem scientiæ (ut quæ in his reb. uersatur, quarum hæ sunt propriae, ac per se affectiones) est, quæ ob rem res sit demonstrare. Quare & illud ex his perspicuum est.

nit

nil unquā bene ac perfectē demonstrari, nisi ex proprijs principijs: sed tantū principia inferioris scientiæ, ad alia quæ aliquanto latius patent, pertinere. Atqui si illud certum est, & hoc quoq; minimo negotio perspicitur potest, quod cuiusq; scientiæ principia propria, nō possunt quasi ex alijs rursus principijs demonstrari: alioqui illa ex quibus hæc cōfirmabuntur, omnium rerū principia esse fatendum erit: & scientiā quæ in ijs uersabitur, omnium esse certissimam, facileq; inter omnes principatum obtinere. Quo enim quisq; ex superioribus causis cognoscit, eo rem multo certius intelligit: siquidē ea semper priora sunt, quæ ita sunt causæ, ut nullas præterea causas habeant quarum effecta sint. Itaq; si ut quisq; ex prioribus cognoscit, certius cognoscit: is certē qui ex primis omnium reū nouerit, certissimē nouerit. Et si est illa semper magis ac magis scientia, hæc omnium maximē scientia erit. Atqui non potest unius generis demonstratio in aliud genus transferri nisi (quod paulo antè dictum est) perinde sint affectæ, atq; geometriæ demonstrationes ad optica aut fabricæ demonstrationes, & arithmeticæ ad musicas.

## CAPVT VIII.

Difficile autē est interoscere quando rei scientiā assecuti sumus, ei quando minimē: eo quod non est facile intelligere, an cognoscamus per propria cuiusq; rei principia, an secus: cum tamen illud demū sit rem scire. Sed nos id sæpe ad rem sciendā satis esse existimamus, si modò ex ueris ac primis quibusdā sumptionibus cōstet ratiocinatio: cū tamen multo secus res habeat. Neesse enim est, ut illa præterea cū ijs quæ in eo genere prima sunt, naturæ quæ dā cōiunctione sint cōsociata. Ego uerò propria cuiusq; generis

generis principia appello, quæ quod sint demonstratio-  
 ne probari non possunt. Nam quæ sit uerborum uis, ac  
 significatio tum principiorum, tum eorum quæ ex prin-  
 cipijs efficiuntur, intelligendum est. Quod uerò ipsa sint  
 principia, citra demonstrationem ponitur: reliqua autē,  
 demonstratione concluduntur. ueluti quid unitas, item  
 quid rectum et triangulum significant, statim initio ac-  
 cipiendum est. Sed & unitatem & magnitudinem esse,  
 initio ponendum est: reliqua autem, esse demonstrantur.  
 Sunt porro ex ijs quæ in demonstratiuis scientijs usui esse  
 possunt, alia singularum scientiarum propria, alia com-  
 munitia. Appello autem hoc loco communia propter simi-  
 litudinem, per quam pari ratione multis conuenire posse  
 cernuntur. nam illa cum ad demonstrandum adhiben-  
 tur, tum iam ad naturam subiectam traducta sunt. Ac  
 propria quidē sunt, ueluti lineæ aut recti definitio. Com-  
 munitia autem sunt, ut illud, uerbi gratia: Si ab æqualibus  
 æqualia auferas, quæ relinquentur erunt æqualia: quo-  
 rum unumquodq; tum est ad demonstrandum accommo-  
 datū, cum ad certum quoddā genus traducitur. Eandem  
 enim uim ad concludendum aliquid habebunt, licet non  
 generaliter, sed in magnitudinibus tantū accipiantur:  
 aut uerò ut arithmetico conueniant, in numeris. Ex ijs ue-  
 rò quæ sunt propria cuiusq; scientiæ, ea sunt quæ statim  
 initio esse ponuntur, quorum in explicandis proprietati-  
 bus ipsa tota scientia cernitur, ut, unitates esse arithmeti-  
 ci, lineas & puncta geometræ, statim initio constituunt.  
 Nam hæc non modò quam uim habeant, multo antè sta-  
 tuendum est, sed etiam in rerum esse natura pro certo ac-  
 cipiendum. Horum autem propriæ affectiones ipsæ qui-  
 dem

dem quid significant, statim initio explicatur, ueluti in arithmetica, quid par appelletur, aut impar: aut quadratum, aut cubus: in geometria, quid hæc uerba significet, ratione carens, contractu esse, concurrere. At quod sint, subiectisq; rebus conueniant, demonstratione ostenditur, adhibitis tum comunibus pronunciatis, tum demonstratis iam ante conclusionibus. Nec minus in astrologia idem illud fit, quam in geometria aut arithmetica. Omnis enim scientia demonstratiua, tribus quasi momentis continetur. Horum duo sunt, quæ iam inde ab initio esse accipiuntur: Genus scilicet subiectum, cuius proprietates ipsa scientia exquirunt & contemplatur: & communia, ut appellantur, pronunciata, ex quibus primis demonstrationes conficiuntur. Tertium autem est, quo ipsæ proprietates continentur: quarum uis & significatio à principio proponitur. Ac in quibusdam quidem scientijs non est uitiosum, horum aliquid prætermittere. ueluti si apertum ac manifestum est genus ipsum subiectum esse, nõ erit opus ab initio eius facere mentionem, ut, quod ipsum in rerum natura sit, subijciamus. neque enim sunt omnia ex æquo manifesta: ut, quod numerus sit, non tam clarum est, quam quod calidum & frigidum. Item si significatio proprietatum ipsa per se intelligatur, illa à principio sine uitio prætermittetur. Nam ne comunium quidem pronunciatorum significatio explicatur, quando satis est per se manifesta. ut illud, uerbi gratia, quid significet æqualia ex æqualibus detrabere. Sunt tamen tria illa natura in omni scientia necessaria: res de qua aliquid concluditur, illud ipsum quod inesse alteri ostenditur, et ipsa principia ex quibus elicitor conclusio. Differunt autem plurimum suppositio, & postulatam,

postulatum, ab ijs principijs quæ ipsa per se tantâ habet  
 fidem, ut sit necesse omnes ijs assentire. neq; enim demon-  
 stratio, ut nec ipsa ratiocinatio, ad id pertinet quod uer-  
 bo aut affirmatur, aut negatur: sed ab interiore sensu  
 ulm habet, eumq; semper respicit. Nam quid est quod  
 uerbo labefactari reselliq; non queat? At si suam quisq;  
 mentem consulat, multa sunt quibus obistere non possit.  
 Est igitur eorum quæ demonstratione quidem concludi  
 possunt, attamen citra demonstrationem quasi certa acci-  
 piuntur, duplex causa. Nam aut sumuntur quæ à disci-  
 pulo approbantur, quod illa uera existimet: tumq; suppo-  
 sitio est, non ea quidem quæ simplici nomine Suppositio  
 appellari possit, sed quæ ex adiunctione ad docendû illi  
 suppositio dicitur. Aut uerò ea accipiuntur, de quibus ni-  
 hil certum habet quod sentiat discipulus, uel etiam cõtra  
 putat quàm accipitur, tumq; sit postulatum. nam hoc in-  
 ter postulatum & suppositionem interest. Nihil enim  
 aliud est postulatum, quàm quod aut repugnat sententiæ  
 eius qui docetur: aut quum demonstratione confirmari  
 possit, citra ullam probationem accipitur. Definitiones  
 igitur non sunt suppositiones: esse enim, aut nõ esse quip-  
 piam, non significant: omnes autẽ suppositiones propo-  
 sitiones sunt. Deinde definitiones tantû ut simplices quedã  
 notiones animi, concipiuntur. illud uerò nemo appellau-  
 rit suppositionẽ: nisi idẽ uelit, cû singulis res singulis uer-  
 bis auditu percipimus, tum semper esse suppositionẽ. Sed  
 illæ sunt suppositiones, quibus positis elicitur conclusio,  
 quia illæ sunt antè posite. neq; uerò credẽdum est, falsas  
 esse geometrarum suppositiones, quemadmodum qui-  
 busdam uidetur. dicunt enim uitiosum esse, in probando  
 falsis

falsis uti: geometram autem falsum accipere, cum pedalem lineam ponit, quæ minime pedalis est, aut rectâ quæ non est recta. At uerò geometræ cõclusio non ex eo uim habet, quòd talis sit, aut secus, quàm profert linea: sed uis tota efficiendæ cõclusionis est in ijs posita, quæ ijs quæ signis, nobis intelligenda relinquuntur. Iam uerò omnis suppositio aut de toto genere, aut in parte enunciat, neutrum autem in definitione cernitur. Atq; ideis quidem esse, aut communem aliquam naturam à rebus singulis separatam, ut demonstratio sit, non est necesse: sed illud tantum uerum est, necessitatem esse, ut communis aliqua ratio sit, quæ in rebus singulis cobæreat. Nam si id non sit, ne ullum quidem genus uniuersum esse poterit: quo sublato, nullum medium ad sciendum accommodatum consistere poterit. Quare nec demonstratio ulla relinquitur. Ex quo efficitur, ut sit necesse communem quandam, ac minime ambiguâ esse naturam, quæ ita in multis cernatur, ut ab ijs seiuncta esse non possit. Hoc uerò pronuntiatum, affirmatio & negatio non possunt in eadem re simul esse ueræ: in nulla unquam adhibetur demonstratione, nisi talis sit cõclusio, in qua illud ipsum nominatim ostendendum sit. Atq; in hunc modum erit illa demonstratio conficienda, ut de medio dici affirmationem maioris extremi, non etiam negationem, in propositione accipiatur. Nec multum interest, an medij affirmatio & negatio accipiatur, an non: quemadmodum nec minoris extremi. Nam si illa posita sit propositio, Omnem hominem esse animal, non autem non animal: etiamsi illud fortasse in non homine uerum esse possit, atq; adeò maneat uera propositio, accepta simul affirmatiõ et negatione

tione hominis : semper tamen ex illa propositione, illud quod est concludendum, efficietur, Calliam scilicet esse animal, non autem non animal : licet possit non minus fortasse uera esse conclusio, si negatio Calliæ simul cum affirmatione acciperetur. Huius autem rei hæc est causa, quia maius extremum est illud solum, quod bis attribuitur: semel medio, iterum minori extremo, quoniam omnium patet latissime. Quocirca quod attinet ad conclusionem, nil refert sumaturne medium affirmatiuum tantum, an uero simul affirmatum & negatiuum. Est & aliud pronuntiatiuum, in quacunque re uera est affirmatio aut negatio: quo nulla utitur demonstratio, nisi quæ aduersarium urget incommodo. Neque uero illud semper, sicut generale est, ita uniuersè accipiendum est: sed qua ratione aptum est ad aliquid demonstrandum. Aptum autem est, cum ad certum quoddam genus, id in quâ in quo singula uersantur demonstrationes (quod etiam paulo antè dictum est) traducitur. Habent autem omnes scientiæ communia quædam, quibus ipsæ inter se cõmunicant. Non quòd aut subiecti in quo uersantur, aut proprietates quæ demonstrantur, non semper sint singulari propria: sed pronuntiata ipsa quibus ad aliquid concludendum utuntur, ea sunt quæ communia esse possunt. Dialectica etiam cum omnibus scientiis communicat, & si qua est alia scientia generalis, quæ communia proloquia demonstrare contendat, qualia sunt hæc: De quacunque re uera est aut affirmatio aut negatio: si paria ex paribus auferas, quæ restabunt paria erunt, & huius generis alia. Dialectica porrò non habet certis quasdam res quas probet, nec in uno quodam genere subiecto uersatur, alioqui nõ interrogaretur

rogat  
denud  
trarijs  
quema

At  
cienda  
contra  
appell  
moda  
inter  
idone  
inter  
conue  
tiones  
geom  
dem  
tur C  
de ij  
da es  
prin  
geom  
dem  
tio a  
tion  
deat  
ad ea  
ad bu  
quã a  
concl

rogaret. Nam qui demonstrare uolunt, ijs non est pendendum ab interrogatione: quandoquidē ex rebus contrarijs nunquam potest una eademq; res demonstrari, quemadmodum in libris de Ratiocinatione ostendimus.

## CAPVT IX.

Atqui si interrogatio apta ad ratiocinationem conficiendam, idem est cum propositione, quæ est pars altera contradictionis: propositiones autem in singulis scientijs appellentur, ex quibus constat unicuiq; scientiæ accommodata ratiocinatio: erunt profectò suæ cuiq; scientiæ interrogationes, ad res, in quibus uersantur, concludēdas idoneæ. Vnde etiam perspicuum est, non temerè omnem interrogationem geometriæ, aut medico, aut alteri cuius conuenire. Sed sunt illæ demum geometricæ interrogationes, ex quibus demonstrantur ea quæ aut propriè ad geometriam pertinent, aut uerò à rebus geometricis fidem accipere possunt: cuiusmodi sunt ea in quibus uersantur Optice. quod idem in alijs scientijs intelligendum. Ac de ijs quidem rebus in quibus ipsa uersatur, ratio reddenda est ex geometricis principijs, & conclusionibus: de principijs uerò nullam potest geometra, hoc ipso quòd geometra est, rationem reddere. Atq; in alijs scientijs eadem est ratio. Neq; igitur petenda est cuiuslibet rei ratio à quouis sciente, neq; par est ut ad quasuis interrogationes uniusquisq; qui aliquam artem profiteatur, respondeat: sed de ijs tantum ratio reddenda est, quæ propriè ad eam quam quisq; tenet scientiam, pertinent. Atq; si ad hunc modum, cum geometra, quia geometra est, quisquã differat, & ex huiusmodi interrogationibus aliquid concludat, rectè concludere uidebitur: sin minus, non rectè.

rectè. Quin neq; alià ratione redargui, neq; conuinci potest geometra, nisi fortè per accidens. Itaq; apud geometria imperitos de geometria non est differendū, eo quòd rectène an perperam disputetur, intelligi nō possit. quòd idem in alijs scientijs obseruandū. Existit autem hoc loco quæstio, an non sicuti sunt aliqua geometricæ interrogatōnes, ita sint aliqua non geometricæ: ita ut illæ potius geometricæ sint, quæ à certa quadam ignoratione nascūtur, ea inquam ignoratione quæ oriūtur ex deprauata intelligentia, eorum quæ propriè ad aliquam scientiam pertinet? Alia etiam quæstio est, utra ratiocinatio inscientiæ potissimum efficiat: eane, cuius sumptiones contrariæ sunt ijs ex quibus rei comparatur scientia: an quæ uitiosa est & fallax ratiocinatio, de re tamen geometrica? Est igitur ea interrogatio non geometrica, quæ ad aliam pertinet sciētiam (cuius generis est musica, uerbi gratia, interrogatio) atq; adeò omni ex parte est à geometria aliena: illa autem, parallelas posse concurrere, est ex parte aliqua geometrica, ex altera autem parte non geometrica. Hoc enim uerbum, non geometricū, dupliciter accipitur: sicuti & illud, non numerosum. Vna quidem significatione dicitur non geometricum, quod nūl planè à geometria habet: ut non numerosam, quod omnino aliud est à numero. Altera autem significatione dicitur utrunq; quod habet quidem à suo genere aliquid, sed uitiosum ac corruptum. Atq; etiam illa uerè inscientia existimanda est, quæ orta ex contrarijs principijs, scientiæ aduersatur. nam in doctrinis ac disciplinis non perinde atq; in disputationibus, locum habere solent uitiosæ illæ & fallaces ratiocinationes, causa autem est, quòd uerbum meo  
diuis

Quam ita ferè bis accipi solet, ut de illo maius extremum  
 uniuerse enuncietur: ipsum autem de minori, etiam uniu-  
 uerse nec unquam attributo, uniuersi generis nota præ-  
 ponitur. Hæc autem uerba, præter id quòd sic disponun-  
 tur, etiam minimo negotio quasi oculis mentis perspi-  
 ciuntur quomodo accipiantur: quod ferè inter disputan-  
 dum incertum obscurumq; esse solet. ueluti si quis roget,  
 sit ne omnis circulus forma quædam? Id nullam ambi-  
 guitatem habebit, si iam antè de picto aliquo circulo id  
 queratur. Tum uerò si illud subiiciatur, annon uersus  
 sunt, qui circuli nomine appellantur? Id iam apertissi-  
 mū erit, omnino falsum esse. Nam sic est huic assumptio-  
 ni, alijsq; huius generis mathematicis propositionib; oc-  
 currendum, ut uniuersa sit propositio quam opponimus,  
 non autem singularis, et ad inductionē faciendam apta.  
 Ut enim propositio non est habenda, quæ non in multis  
 dicitur, imò uerò in toto genere (nam ex uniuersis pro-  
 positionibus constat ratiocinatio) ita nec oppositio. Ea-  
 dem enim sunt propositiones & oppositiones: quando-  
 quidem nil opponi possit, quod propositio aut dialectica  
 aut demonstratiua statim nō fiat. Accidit autem interdū  
 uitiosa & fallaci ratiocinatione aliquid concludi, quan-  
 do medium accipitur, quod est consequens utriusq; ex-  
 tremi: qualis est illa Cænei captio, qua ostendebat ignem  
 gigni per proportionem multiplicatam: ignis enim (in-  
 quit) subito gignitur: quod autem per multiplicatā pro-  
 portionem fit, subito gignitur. Atqui hoc modo nil ne-  
 cessariò efficitur: sed sunt ita accipiendæ sumptiones, ut  
 omne id quod citissima quadam ratione oritur, in multi-  
 plicata proportionem gigni proponatur: tum deinde assi-  
 matur,

matur, ignem citissima quadam ratione nasci. Interdum  
 enim nil ex ijs quæ illo modo sumpta sunt, concludi po-  
 test: interdum uerò potest, sed id non apparet. Quòd si  
 non posset ex falsis uerum cõcludi, facile esset in suas cau-  
 sas conclusionem quamq; dissoluere: quandoquidẽ retrò  
 commeare ac reciprocari illa inter se necesse esset. Esto  
 enim a uerum: & hoc uero posito, sint uera ea, quæ ego  
 certò scio esse uera, quæ sint b: cui quæso tum dubiũ erit,  
 quin hæc talia sint, ex quibus illud a demonstrandum sit?  
 Atqui in disciplinis quidem uix, ac ne uix quidem, euenia-  
 re potest, ut non ea reciprocantur, quæ assumuntur: pro-  
 pterea quòd non accidẽtia (qua etiam in re ab ijs sermo-  
 nibus, qui in disputatione ac dialogo continentur, ipse di-  
 sciplina differunt) sed definitiones ad docendum unum-  
 quodq; adhibentur. Solent autẽ disciplina singula pro-  
 gredientes, incrementum hoc modo capere, & quasi in-  
 longius produci, ut non multa congerant ad unam rem  
 demonstrandam argumenta: sed aut in directum excur-  
 rentes, alia ex alijs docent, ueluti ex a ipsum b, tum ex b  
 ipsum c, deinde ex c ipsum d: eodemq; modo ex superioribus  
 inferiora, uel in infinitum usq;, demonstrando. Aut  
 in obliquum procedentes, quæ ex eodem sunt ordine, de-  
 monstrant: ueluti a de c & de e. Ac sit quidem a nume-  
 rus tantus, aut infinitus, b autem numerus impar tantus:  
 c uerò numerus ipse impar: ex ijs igitur constat, a de c  
 demonstrari. Item sit numerus par tantus d, par ipse nu-  
 merus e: concludi igitur etiam a de e manifestum est.

## CAPVT X.

Differunt multis modis inter se, scire quòd res sit, &  
 quamobrem sit, ac primum in eadem scientia, idq; bifa-  
 riam.

i. Interdum  
 concludi po-  
 t. Quod si  
 in suis cau-  
 quide retrò  
 esset. Et  
 ea, quæ ego  
 dubiū erit,  
 andum sit  
 dem, euenio  
 untur: pro-  
 b ijs sermo-  
 ntur, ipse dē  
 lum unum.  
 ngula pro-  
 & quasi in  
 a unam ren-  
 tum excu-  
 b, tum ex b  
 ex superio-  
 rando. Aut  
 ordine, de-  
 em a nume-  
 apar tantus:  
 stat, a de c  
 ar ipse nu-  
 lum est.  
 d res sit, &  
 idq; bifur-  
 riant.

viam. Vnus modus est, si ad concludendum non adhibean-  
 tur immediatæ propositiones, neq; enim tum prima cau-  
 sa accipitur. Scire autem cur res sit, nil est quàm primā  
 cuiusq; rei causam nosse. Alius modus est, cum immedia-  
 tæ quidem sumuntur propositiones: at non ex causa o-  
 stenditur effectus, sed contrā hic, quia ut inter ea quæ  
 retrò commeant est notius, pro medio accipitur. Nam  
 inter ea quæ reciprocantur, fieri interdum potest ut id  
 notius sit quod non est causa: quare & ad demonstran-  
 dum non incommode illud assumetur. ut si probetur,  
 uerbi causa, planetas propius à terra moueri, quia non  
 micant. Itaq; sint errantes stellæ, c: nullis micare radijs,  
 b: propè esse à nobis, a. Vera est quidem assumptio, om-  
 ne c est b: errantes enim stellæ nullis radijs micant, sed  
 & propositio uera, omne b est a: nam quod nullis mi-  
 cat radijs, propè est à nobis: quemadmodum inductione,  
 uel ipso sensu iam potuit esse manifestum. Illud igitur  
 necessariò efficietur, omne c esse a: atq; ita demonstra-  
 tum erit, propius à terra moueri stellis errantes: quæ de-  
 monstratio, non cur ita sit ostendit, sed tantum quod ita  
 sit. non enim quia non micant, propè sunt: sed contrā,  
 quia propè sunt à terra, propterea non micant. Ob  
 eamq; causam, si contrā ex altero alterum probetur, fiet  
 demonstratio cur res sit ostendens, hoc modo. Sint stel-  
 læ errantes c, propè esse b, non micare a. Et b igitur ip-  
 si c inest; & a ipsi b, quod est non micare, conuenit  
 quare & a ipsi c conuenire necesse erit. Atq; ita neces-  
 se, ut etiam cur ita sit, hac probatione sit ostensum: pri-  
 ma enim huius rei causa accepta est. Similis est huic etiā  
 illa demonstratio, qua rotundam esse lunam ostenditur

per luminis accretionem. Nam quod in rotundam semper formam accrescit, rotundum est: luna autem in hunc semper modum accrescit, rotunda igitur. Atq; hæc quia dem ratiocinatio, quod sit res ostendit: at si econuerso medium statuatur, tum quamobrè res sit docebitur. Non est enim huiusmodi luminis accretio, causa cur globosa sit luna: sed contrà, quia globosa est, huiusmodi semper luminis accessiones capere conspicitur. Sit igitur luna c, rotundum b, luminis accretio a. Quando autem non reciprocantur cum extremis media, atq; illud euenit, ut sit manifestior effectus quàm causa, iù quod res sit demonstrari potest: cur sit, nò potest. Ac ne tum quidem potest, quamobrem sit, demonstrari: sed tantum quod sit, cum medium est aliquàto longius petitum. id quod propterea fit, quia tale medium causa esse non potest: ueluti si parietem non respirare ostendatur, quia non sit animal. nam si hæc sit non respirandi causa, necesse est ut uicissim animal sit respirationis causa: nimirum quia necesse est, si est negationis causa negatio, ut etiam affirmationis causa sit affirmatio. exempli causa, si calida cum frigidis non aptè conuenire, id efficit ut non bene ualeamus: illa certè erit ut bene ualeamus causa, calidorum cum frigidis conuenientia. Sed etiam econtrario, si est affirmatio animis causa affirmatio, & negationis causa erit negatio. In illis autem uerbis quæ accepta sunt, non ita res habet, propterea quod non omne animal respirat. Conspicitur autem illa ratiocinatio, in qua huiusmodi causa sumitur, in secunda figura hoc modo. Sit a animal, b respirare, c paries: iam omne b est a, hoc est, omne quod respirat est animal. deinde nullum c est a, nullum igitur c est b: id est,

nullus

nullus paries respirat. Sunt aut̄ propemodum similes hęc  
 causę ijs quę ita reddi solent, ut in illis quasi hyperbole  
 quędam contineatur. quod quidem tum fit, cum longissi-  
 mē remotū à re medium accipitur. Huius generis est illud  
 Anacharsidis, apud Scythas tibicines non esse, quia illic  
 uites non essent. Atq; illa quidem sufficiant de discrimine  
 earum probationū, quibus quod res sit, & quamobrem  
 sit, ostenditur, cum ad eandem scientiam pertinet utraq;  
 probatio; item quomodo propter uerbi medij uariā col-  
 locationē hęc inter se distinguuntur. Est autem & aliud  
 inter ista discrimen, cum ad diuersas scientias pertinet,  
 quod res sit, & quamobrem sit, ostendere: id quod tum  
 accidit, quādo res uni scientiæ subiecta, sic affecta est ad  
 alterius scientiæ subiectū, ut sub illo contineatur. quomo-  
 do ea in quibus uersatur optice, ad geometriam affecta  
 sunt: & quę tractat fabrica, ad stereometriam: & quę  
 docet musica, ad arithmeticam: & ipsa phænomena, ad  
 astrologiam. Sunt autem ex ijs scientijs quę sic sunt inter  
 se affectę, plurimę quę eodem ferē nomine appellatur,  
 ut astrologiæ nomine appellatur & ipsa de rebus cęle-  
 stibus disciplina, & nautarum de ijs rebus peritia. Musi-  
 ca appellatur, tum ipsa quę mathematicarum scientia-  
 rum una est, tum illa quę auribus demulcendis modos a-  
 ptos nouit adhibere. Ac nosse quidē quod res sit, est eo-  
 rum qui eas artes exercent quę sensuum iudicio cōtinen-  
 tur: cur autem ipsa res sit intelligere, eorum est, qui scien-  
 tia & doctrina sunt perpolitii. Hi enim sunt qui perspe-  
 ctas habent singularum rerum ex suis causis demonstra-  
 tiones: ac sæpenumero quod res sit ignorant, quemadmo-  
 dum ijs qui uniuersas res contemplantur, sæpe usuenit,

Scientiæ subiectum.

ut quasdam ex rebus singulis nesciant, propterea quòd ad illas res animum fortasse non aduertunt. In ijs autem rebus id potissimum euenire solet quod dico, quæ ut formæ quædam separatæ ob id considerantur, quòd aliam quædam rationem habere cernantur, atq; adeò quippiã aliud esse quàm quod sensu percipitur. Nam quis artes mathematicas in formis quibusdam uersari non uidet? Neq; enim res tractat illæ, quas certa quadam in materia esse necesse sit: & quanquam in aliqua fortè re subiecta inesse conspiciantur res geometricæ, in ea tamen non hoc ipso cernuntur, quo ad geometram pertinent. Est autem & alia quædam sciëntia, quæ eodem modo est ad optice affecta, quo ipsa optice ad geometriam: ea scilicet pars physica, quæ de iride disputat. Nam quòd sit, est physici scire: cur uerò sit, optici. atq; eius quidem est, aut omni ex parte, aut qua ex parte ratione ac doctrina continetur. Sunt porro etiam ex ijs quarum una sub altera non continetur, aliquæ scientiæ quæ eandem nihilominus habent inter se quadam ex parte coniunctionem, ut medicina & geometria. Nam quòd uulnera orbicularia difficilius ac tardius curentur, nouit medicus: huius autem rei causam reddit geometra.

## CAPVT XI.

Ex tribus figuris prima est ad scientiã accommodatissima. Primũ enim mathematicæ sciëntiæ suas in hac figura demonstrationes concludunt: ut arithmetica, geometria, optice, & ut in summa dicam, omnes quæ cur res sit inquirunt. Omnes enim demonstrationes, quæ cur res sit ostendunt, aut certè pars earum maxima, ac multò sæpius in hac figura conficiuntur. quod etiam nobis argumento esse

esse potest, quàm sit ad sciendum accommodata hæc figura: quandoquidem illud certissimum accuratissimumq; genus sciendi est, quo rei cuiusq; causa inuestigatur. Dein de hac una figura definitionem, qua quid res sit intelligamus, inuestigare possumus. Nam in secūda figura nulla est aiens conclusio; definitionis autem cognitio, affirmatione quadam cōtinetur. In tertia uerò, aiens quidem potest esse conclusio, at nulla potest de toto genere esse definitio autem ex eorū est numero, quæ uniuerse enuntiantur. nam quis quadam tantum ex parte hominē esse animal bipes dixerit? Iam uerò hæc seipsa contenta, nil illarum eget auxilio: in illis autem facta conclusione, si sint quasi retexendo ad immediatas propositiones reuocandæ sumptiones, ex quibus illa facta est complexio huiusmodi quæ in dissoluendo fit coagmentatio, & in multitudinem quandam propositionum accessio, sine prima figura omnino fieri non potest. Perspicuū igitur est, primam figuram ad sciendum esse accommodatissimam. Vt autem sunt quædam affirmationes, in quibus ipsi b continuo inest a; sic sunt & aliquæ negationes, quibus confirmandis nullum medium adhiberi potest. Hoc enim est, quod alterum alteri continuo inesse, aut non inesse dicebam: quia cum nullum est medium, fit ut non per aliud quidpiam affirmetur aut negetur alterum de altero. Ac si quidem in aliquo toto genere aut a, aut b, aut utrunque contineatur: fieri nunquam poterit, ut sit immediata propositio, nullū b est a: nam si omne a est c, & nullum b sit c (cur enim ita non possit usuuenire, ut c omni a conueniat, nulli autem b insit, non uideo) ex his illud reclinquetur hac ratiocinatione cōfirmatum, nullum b esse a,

hoc modo: omne a est c, nullum b est c, nullum igitur b est a. Par ratio erit, si quippiã sit quod de omni b dicatur: ut d, uerbi gratia, fiet enim hoc modo demonstratio: nullum a est d, omne b est d, nullum igitur b est a. Eodem porro modo illud demonstrabitur, si & a & b sua quædam genera habeant, quæ de illis uniuerse affirmentur. Quod aut usuenire possit, ut quod de omni a dicitur, de nullo b dicatur: aut contrà quod inest omni b, nulli a inest, uel ex ipsis ordinibus et quasi classibus rerum omnium constare potest, quæ omnes suis finibus contentæ, in alienos non transeunt, nec aliquid unquã cõmunicant. Nam si nil eorum quæ sunt ex coniugatione a c d, in ijs dicitur quæ pertinet ad ordinem b e finit autem g in omni a: necesse est ut illud g, quod ex altera classe sumptum est, nulli b inest: alioqui iam permisceri ac confundi illos ordines fatendum erit. Eademq; ratio erit, si aliquod genus est in quo cõtineatur ipsum b. Sin nihil reperiatur quod de a aut de b affirmari possit, tum certũ est, negationem hanc, nullum b est a, esse immediatam. Nam si quod medium habeat, necesse erit illud de horũ altero affirmari, quoniam aut in prima aut in secunda figura illa negatio concludetur. Ac siquidem in prima, in omni b medium dici oportebit, nam ut illa cõclusio efficiatur, assumptio nem oportet in toto genere affirmare. At si in secunda, poterit medium de utrovis affirmari: quia siue propositio, siue assumptio uniuersa negans accipiat, in hac figura recte uniuersa negatio cõcluditur: nec licet utraq; negationes accipere. Perspicuum igitur est, alterum de altero citra ullum medium negari posse: quando autem, & quomodo id fiat, à nobis est explicatum.

LIBER I.  
CAPVT XII.

299

Ignoratio aut atq; inscientia, non illa quidem quæ ex negatione appellatur, sed quæ ex certa quadam affecti-  
one dicitur, nil est quàm error ex aliqua ratiocinatione ortus. Hæc autem dupliciter fit in affirmationibus aut negationibus immediatis. Aut enim ex simplici animi perceptione nascitur opinio, quod ita res sit, aut secus: aut uerò ex ratiocinatione. Ex simplici animi comprehensio-  
ne, simpliciter, unoq; modo gignitur falsa opinio. Quæ per ratiocinationem inducitur inscitia, uaria est & mul-  
tiplex. fit enim hæc immediata negatio, nullum b est a. Si quis igitur ratiocinatione confirmare uoluerit omne  
b esse a, adhibito uerbi gratia medio c, is per ratiocina-  
tionem in falsam hanc inducetur opinionem. Ac huius quidem ratiocinationis utræq; sumptiones falsæ esse pos-  
sunt: sed & altera tantum falsa, idem hoc concludi po-  
test. Nam si negando ueræ sint hæc propositiones, nullum  
c est a, & nullum b est c, sumantur autem e contrario  
uniuersæ affirmationes, erunt profectò utræq; sumptio-  
nes falsæ. Illud uerò euenire potest, ut c medium sic affe-  
ctū sit ad extrema a b, ut a de nullo c dicatur, de b autem  
aliquo nō enuncietur ipsum c. neq; enim fieri potest ut de  
omni b dicatur c, quia hanc negationem, nullum b est a,  
immediatam esse posuimus; neque ipsum a tale est, quale  
in omnibus quæ sunt dici possit. Quare hoc modo acce-  
ptis uniuersis affirmationibus, falsæ erunt utræq; sum-  
ptiones. At uera etiam potest altera esse, non ea quidem  
utruis, sed propositio tantum, quæ est a c. Nam quo-  
niam nil est quod de ipso b uniuerse affirmari potest, eo  
efficitur ut assumptio quæ est b c, non possit esse uera.

Quod

Quòd uerò *a c* propositio uera esse possit, hinc intelligetur, si ponatur *a* citra ullum medium de *c* & de *b* dici. Quando uerò uerbum aliquod de duobus primùm ac citra ullum medium dicitur, necesse est ut ex illis duobus alterum alteri non conueniat. Veruntamen parum refert ut uera accipiatur propositio *a c*, an sit interiectum aliud quod medium inter *a c*, an secus. Atq; illæ quidem solæ sunt rationes, quibus inducitur opinio, qua sibi quis ueram esse de toto genere affirmationē falsò persuadeat; quandoquidem non potest in alijs figuris talis ulla affirmatio concludi. Ut uerò in eum quis errorem se inducat, ut putet ueras esse in toto genere negationes quæ mentiantur, id tum in prima figura, tum in secūda potest euenire. Itaq; dicamus primùm quot modis illud in prima figura possit accidere, & quàm uariè summptiones affectas esse oportet. Ac primùm ex utrisq; falsis propositionibus id confici posse, hoc potest exemplo intelligi. Conueniat *a* omni *c*, & omni *b*, citra ullum medium; tum si propositio accipiatur, nullum *c* est *a*; & assumptio, omne *b* est *c*; utraq; summptiones certū erit mentiri. Deinde ex altera, atq; adeò utralibet falsa, illud idem concludi potest. Id enim usuuenit, cum est uera propositio *a c*, assumptionem *b c* necessariò esse falsam. Ac uera quidem esse potest *a c* propositio, quia non tam latè patet uerbit̃ *a*, ut in omnes res cadere possit; falsa autem *b c* assumptio, quia fieri non potest, ut omni *b* conueniat *c*, cum de hoc uniuerse negatur ipsum *a*, siquidem id futurum est ut non sit uera *a c* propositio. Adde, quòd si utraq; ueræ ponerentur, etiam conclusio uera esset. Atqui illud etiam contrariò potest accidere, ut uera sit *b c* assumptio, &

falsa

falsa propositio: ut si de omni  $b$  dici possint  $c$  &  $a$ ,  
 necesse est ut ex ijs duobus alterum alteri conuenire pos-  
 sit. Idcirco si sumatur nullum  $c$  esse  $a$ , falsa erit proposi-  
 tio. Perspicuum igitur est, in prima figura mentientem  
 fieri posse rationationem, tum ex falsis utrisq; sumptioni-  
 bus, tum ex altera tantum falsa. Nunc de secunda figura  
 dicamus. Primum si ambæ sint ex omni parte falsæ, nun-  
 quam fiet huiusmodi fallax conclusio. Quando enim in  
 omni  $b$  inest  $a$ , nil reperiri potest, quod uni ex omni par-  
 te conueniat, ab altero sit omni ex parte alienum. Ut au-  
 tem huiusmodi conficiatur conclusio, ita medium in sum-  
 ptionibus collocari debet, ut de uno uniuerse affirmetur,  
 de altero uniuerse negetur. Itaq; si certo quodam modo  
 acceptæ sumptiones mentiantur: necesse est ut contrario  
 modo sumptæ, contrariam affectionem habeant. quod  
 fieri omnino non posse, ostendimus. At uerò ut sit utraq;  
 ex parte falsa, non est incommodum. ueluti si  $c$  in quodâ  
 $a$ , atq; etiam in quodam  $b$  tantum dicatur: sumatur autem  
 propositio, omne  $a$  est  $c$ , assumptio autem nullum  $b$  est  $c$ ,  
 mentietur profecto utraq; sumptiones, non illæ quidem  
 ex toto, sed ex aliqua parte. Sed & si negationis colloca-  
 tio commutetur, eadem ratio erit. Quod si alterutra tan-  
 tum falsa sit, hæc etiam complexio recte efficietur. nam  
 quod omni  $a$  conuenit, potest etiam omni  $b$  conuenire.  
 Si igitur omne  $a$  est  $c$ , propositio fiat, & nullum  $b$  est  $c$   
 assumptio: uerum dicet  $c$  a propositio, mentietur  $c$  b as-  
 sumptio. Rursus quod nulli  $b$  inest, id etiam potest non  
 omni  $a$  conuenire: quia si omni  $a$  conueniret, etiam omni  
 $b$  inesse oporteret: cui tamen nulli inesse sumebatur.  
 Si igitur omne  $a$  esse  $c$  proponatur, & nullum  $b$  esse  $c$   
 assumatur,

assumatur, erit uera c b assumptio, falsa altera. Similiter porro ratio erit, si commutato ordine, prima ponatur negatio. Nam quod de nullo a dicitur, de nullo etiam b dicitur: ideoque si sumatur propositio, nullum a est c, assumptio autem omne b est c, uera erit c a propositio, mentietur altera. Ac rursum quod in omni b uere enuncietur, in nullo a posse cadere, mendacium est. necesse enim est, ut si in omni b dicatur, in quodam etiam a dicatur. Sumpta itaque propositione, nullum a est c, & assumptione omne b est c, erit haec uera, illa falsa. Perspicuum igitur est, etiam cum medio carent propositiones, in errorem tamen nos induci per ratiocinationem, sumptiones habentem partim utraque falsas, partim alteram tantum.

## CAPVT XIII.

Quando uero interiecto aliquo medio affirmatur quippiam aut negatur, si proprium medium accipiat, atque ex eo tamen efficiatur falsa conclusio, fieri non potest ut utraque sumptiones mentiantur, sed ea tantum in qua maius extremum continetur, falsa erit. Ego uero proprium medium appello, idem illud medium, quod accommodatum est ad concludendam contrariam, ueramque pronunciationem. Itaque si a conueniat omni b, per medium c, quia necesse est ut fiat ratiocinatio, assumptionem c b affirmantem esse illud profectum clarum est, hanc assumptionem quae nec commutari, nec aliter accipi potest, ueram semper futuram. Propositio autem a c falsa erit: haec enim contrarie sumpta, efficitur contraria ratiocinatio. Nec dissimilis ratio erit, si non proprium, sed ex alio quodam ordine sumptum medium adhibeatur, ut d: quod tamen ita sit ad extrema affectum, ut de omni illo enuncietur a ipsum.

ipsi autem de omni *b*. Nam & hic manere eandem assumptionem *d* *b* oportebit, altera autem contra quam uerum est accipietur: ob idq; illa semper uerū dicit, hæc semper mentietur. Atq; hic error non multum differt ab eo qui ex proprio medio oritur. At uerò si non adhibeatur in efficienda fallaci conclusione proprium medium, affirmetur autem de medio ipsum *a*, de *b* autem negetur mediū: nec esse erit mentiri utraq;. Contrario enim modo sumēda sunt sumptiones, quam quo modo uera erāt alioqui non fiet ratiocinatio. Atqui hoc modo sumpta, falsa sunt utraq;. ueluti si uerū sit, omne *d* esse *a*: & nullum *b* esse *d*, item uerum: acceptis contra utrisq; propositionibus, ratiocinatio fiet ex duabus falsis sumptionibus. Sin de medio *d* etiam negetur *a*, erit uera propositio *a* *d*, assumptio autē falsa *b* *d*. Ac illa quidē uera erit, quia non poterat de *d* affirmari *a*. Hæc autē falsa, quia si etiā hæc uerum diceret, non mentiretur complexio. Quod si per secundam figuram inductus quispiam, falsa se implicet opinione, id nunquam eueniet ex sumptionibus omni ex parte falsis. Quando enim omni *b* inest *a*, nil unquā inueniri potest (quemadmodum etiā paulo antè dictum est) quod de uno uniuerse affirmetur, de altero uniuerse negetur. Sed ut altera, atq; adeo utralibet ex toto mentiasur, fieri potest. Nam si *c* de omni *a*, & de omni *b* dicitur, sumatur autem in propositione omni *a* inesse, in assumptione autem nulli *b*, erit uera *a* *c* propositio, mendax altera. Rursum si omni *b* inesse *c* assumptū sit, propositum autem nulli *a* conuenire, uerum dicit assumptio *c* *b*, falsum altera. Hactenus explicatus est, quando & ex quibus falsa inducitur opinio per ratiocinationem,

qua falsa negatio concluditur. Nunc dicendum est de ea ratiocinatione, per quam falsa efficitur affirmatio. Ac primum si proprium medium accipiatur, nunquam erunt utraq; sumptiones falsæ, quia necesse est eandem manere assumptionem c b, ut ratiocinatione aliquid concludatur, quemadmodum supra dictum est: quare quando propositio sola est quæ contrà accipitur quàm oportet, hæc sola semper metietur. Eadem ratio erit, si non proprium, sed ex alia quadã classe atq; ordine sumatur medium: sicut dictum est supra, cum errorem explicabamus, qui negatione continetur. Etenim assumptionem d b eandem manere oportet, propositionem autem ad contrà ac uerum est accipi: atq; ita eundem errorem gigni cum superiore. Sin medium nõ sit proprium, in omni autem d dicatur a, hanc propositionem ueram esse oportebit, mendacem alteram. Quid enim est cur non possit a multis conuenire, quorũ alia non contineantur sub alijs? At si non possit a enunciari de omni d, planum est hanc semper falsam futuram, ut quæ affirmans accipiatur. Assumptio uerò d b potest tum uera, tum falsa esse. Nam quid uetat a in nullo d dici, cum interim omni b conueniat ipsum d? ueluti animal in nullam sciẽtiã cadit, ipsa autem sciẽtia de musica uniuerse affirmatur. Deinde uerò, cur id euenire facile non possit, ut & a de nullo d dicatur, & d de nullo b? Ex ijs igitur planum est, quando sub a medium non cõtinetur, posse tum utraq; sumptiones, tum alterutram mentiri. Atq; illa quidem satis de omnibus modis, quibus falsa opinio per ratiocinationem inducitur, tum in carentibus medio proloquijs, tum in ijs quæ demonstratione probari possunt.

LIBER I.  
CAPVT XIII.

305

Illud uerò iam propemodum est perspicuum, cui sensus aliquis desit, necessario scientiam aliquã defuturam, quòd eam discere iam ac percipere non possit. Quicquid enim discitur, aut inductione aut demonstratione cognoscitur: ac demonstratio quidem rebus uniuersis continetur, inductio ex rebus singulis conficitur. Atqui rerum uniuersarum citra inductionem haberi cognitio non potest. id quod uel apertissime ostendunt ea res quæ cogitatione abductæ, & ab ijs rebus quæ sub sensum cadunt separatæ, non possunt tamen planè ac perfectè intelligi sine inductione. Et quanquam hæ res hoc ipso quòd ad sensum traducuntur, non iam quasi abiunctæ separatè intelliguntur, semper tamen in ijs aliqua insunt, quæ non nisi hac ratione manifesta fieri possunt. Quis porrò est qui sensibus carens, possit aliquid inductione perdiscere? Etenim in singularibus uersatur sensus. Nam istorum assequi non poterit scientiam: ex uniuersis enim ipsis, citra inductionem nil percipi potest, inductio autem non nisi opera sensuum absoluitur.

CAPVT XV.

Omnis ratiocinatio tribus extremis constat: atque est una quidem, qua affirmari a de c eo ostenditur, quòd ipsum a de omni b dicitur, & b de omni c. Alia autè, quæ negationem concludit, sumpta una propositione aiente, altera negante. Ex quo planè ac perspicue intelligitur, ipsas demonstrationis sumptiones (quæ hypotheses appellari solent) esse illa ipsa quæ demonstrationum principia dicuntur. neque enim, nisi acceptis quibusdã sumptionibus, quicquã demonstratur. ueluti cū omne c esse a per

medium b probatur: ac rursus omne b esse a, alio quodā  
 medio itemq; omne c esse b, alio. Atq; ijs quidem qui suas  
 cōclusiones ad opinionē dirigunt, & dialecticē tantūm  
 disputant, illud modō uideūm est, ut sint quāmaximē  
 probabilia, quæ ad probandū aliquid accipiuntur: ad eō  
 ut si reuera est interiectum aliquod medium inter a &  
 b, nec ullum tamen esse uideatur, qui eam propositionem  
 in probando quasi indubitata[m] accipit, is dialecticē mo-  
 dō rem probasse censetur. His uerō qui ad ueritatem suas  
 conferunt probationes, quid in ipsa re sit, perpetuō spes-  
 tandum. Hoc autem ut fieri possit, inde euenit, quod in  
 unoquoq; genere sunt quædam quæ per se, non per acci-  
 dens insunt, ac dicuntur. Per accidens autem interpre-  
 tor, ueluti si quis illud quod candidum est, dicat esse ho-  
 minem: est enim hoc genus attribuendi illi ualde disimi-  
 le, quo contrā hominem esse candidū pronunciamus. Ho-  
 mini enim per se, non quia aliud quippiam esse intelligen-  
 tur, candidū esse attribuitur: at candido non alia ratione  
 attribuitur homo, quā quia ita fortē euenit, ut qui ho-  
 mo esset, candidus esset. Sunt igitur in unoquoq; genere  
 aliqua huiusmodi, quæ propter se attribuuntur. Ergo po-  
 natur c tale esse, ut nil infra se habeat, de quo enuncie-  
 tur. Sit autem huic proximum b, quod de illo affirmari  
 potest citra ullum mediū: tum deinde sequatur d, quod  
 de ipso b eodem modo dicatur. Posthæc constituatur e,  
 proximē antecedens ipsum d. Nunc quero, num sit nec-  
 cesse, ut aliquis tandem reperiatur exitus: an uerō ita su-  
 periora repetentem, regredi in infinitum licet? Rursus  
 ponatur a summum quoddam caput, de quo nil enuncia-  
 ri possit, dicatur autem primum omnium, ac citra ullum  
 mediū

mediū de ipso f: tum ipsum eadem ratione conueniat  
 g, deinde & g ipsi b. Illud igitur hic rogo, futurūne  
 sit, ut tandem reperiamus infimum aliquid, in quo neces-  
 se sit consistere, an uerò hic etiam in infinitum progredi  
 liceat? Hoc uerò interest inter hanc quæstionem, & supe-  
 riorem: quòd illa sumpto initio ab infimo, quod ipsum  
 quidem de nullo dicitur, de illo autem alia enunciantur,  
 illud quærit, an superiora deinceps repetendo, in infinitum  
 regredi liceat? in posteriore uerò id quæritur, si ex-  
 ordiamur à supremo aliquo, cui nil omnino possit attri-  
 bui, ipsum autem de alijs affirmari queat, an inferiora  
 deinceps persequendo, in infinitum progredi liceat? Exi-  
 stit porro & tertia quæstio, possint ne media esse infinita,  
 constitutis à ante ac definitis extremis, necne? Exem-  
 pli causa, si dicatur a de omni c, sitq; horum medium b:  
 deinde inter a & b alia interposita sint, ac rursus inter  
 hæc alia: est ne necesse ut certo quodam numero sint i-  
 sta media, an uerò in infinito numero esse possint? At-  
 que hæc quæstiones tractare, nil est aliud, quàm quære-  
 re an demonstrationum progressus in infinitum possit  
 produci: & an possint omnia euidenti probatione con-  
 firmari: an potius sint aliqui tādē fines, ubi probatio-  
 num exitus reperiat. Eadem quæstio etiam ad eas tum  
 ratiocinationes, tum propositiones, quæ aliquid negant,  
 accommodari potest. ueluti si de nullo b dicatur a, aut  
 de hoc primum, ac citra medium negabitur, aut uerò ali-  
 quid interiacebit, de quo prius negabitur, ut de c, uerbi  
 gratia, quod in ipso b omni dicitur: rursus & aliud erit,  
 in quo prius negatio uera erit, ut d quod de omni c enun-  
 ciatur. Hic igitur nū quæri rectè potest, si ne eorum in-  
 finitus

finitus numerus, quibus prius non inesse ipsum a reperitur, an uero certus ac definitus? In ijs autem quæ reciprocantur, non possunt hæc quæstiones eodem modo locum habere. Quæ enim uicissim retrò commeant, in ijs nil tale reperitur, de quo primo & de quo ultimo alterum enunciat: quia paria sunt inter se omnia. Veruntamen eatenus hæc quæstiones ijs accommodari possunt, quatenus id quaeritur, possint ne infinita esse ea quæ per se alteri attribuuntur? aut etiam, possint ne tñ subiecta, tum attributa infinita esse? Sed quum ista reciprocantur, inter attribuendi genera hoc interest, quòd una est per accidens, altera propria ac per se attributio.

## CAPVT XVI.

Ac primum, minimo negotio illud ostendi potest, fieri non posse, ut media sint infinita, si sursum ac deorsum extrema reperiantur attributa, in quibus necessariò sit resistendum. Ego autem summa attributa interpretor, quæ sunt maxime generalia: infima autem, quæ minime generalia sunt, ob idq; in parte maxime intelliguntur. Si igitur extrema sint a & f, quorum a in omni f dicitur, infinita autem media, b: quid quaeso apertius est, quam illud, si quis ab a ad infimum peruenire uelit, futurum ut infinita attributa prætergrediatur? priusquam enim ad f deueniat, interiecta sunt infinita. Et contrà, si ab f uelit ad summum ascendere, necesse esse ut prius infinita media percurrat, quam ad a peruenerit? Quare si omnino ista fieri non possint, & illud quoq; absurdissimum est, inter a & f media esse infinita. Neq; uero id quicquam nostræ rationi officit, quòd diceret fortasse quispiam, ex medijs quedam esse quæ continenter, nulloq;

inter-

interposito sequantur ipsum  $a$   $b$   $c$ . alia autem esse que omnino ne accipi quidem ac inueniri possint. Quocumque enim ex ipsis  $b$  medijs accepto, num semper aut uersus  $a$ , aut uersus  $f$  media restabunt infinita, an non? Nam unde primum incipiat infinitas, continuone à principio, an paulo post, nil refert, modò aliquam tandem infinitatem paulo post sequi ostendam.

## CAPVT XVII.

Sequitur deinde ut planum faciamus, si in affirmantibus demonstrationibus termini tandem aliqui utriusque reperiantur, quos excedere nõ liceat, necesse esse, ut suos etiam quosdam fines habeat negans demonstratio. Ponatur igitur nunc, neque ascensum ab imo ad summum infinitum esse, neque descensum à supremo ad infimum. Immo autem ego hic interpretor, quod de nullo dicitur, de ipso autem superiora multa enunciantur. Supremum autem ac primum intelligo, quod ipsum quidem in alijs dicitur, in illo autem nihil. Hoc itaque posito, facile erit intelligere, in negationibus exitum tandem aliquem futurum. Tribus enim tantum modis negatio concluditur. Primus est, cum ita disponuntur sumptiones, ut propositio sit, nullum  $b$  est  $a$ : assumptio, omne  $c$  est  $b$ . Ac perspicuum quidem iam est, hanc assumptionem  $b$   $c$ , atque adeo semper alteram ex sumptionibus, quam necesse est esse affirmationem, ad primam tandem, medioque carentem propositionem reuocatum iri. Alterius autem propositionis attributum, si non primo negetur de  $b$ , sed de altero prius, ut  $d$ , necessarium erit ut ipsum  $d$  in omni  $b$  insit; ac rursus si aliud quidpiam est, de quo prius negetur  $a$ , quam de ipso  $d$ , illud similiter oportebit in omni  $d$  affirmari. Quoniam igitur

in hac probandi ratione deorsum uersus finis reperitur  
 ubi consistendum sit, erit etiam superiora repetenti, in  
 summo aliquid ubi consistat. Atq; erit tandem aliquid de  
 quo uniuerse, ac citra ullum mediū negabitur a. Rursum  
 si facta sit hac dispositione ratiocinatio, omne a est b,  
 nullū c est b, nullum igitur c est a uelut autem quispiam  
 etiam hanc assumptionē probare, necesse erit ut aut pri-  
 mam illam formam ac dispositionem sequatur, aut hanc  
 ipsam quæ hac ratiocinatione continetur, aut tertiam.  
 Ac de illa quidem prima figura iam satis dictū est. Nunc  
 secunda explicabitur, in qua ad hunc modum res demon-  
 strabitur, ut (si modò sit aliquid quod de ipso b dicatur,  
 uerbi gratia d) hac forma collocentur sumptiones: omne  
 b est d, nullum c est d. Ac rursus, ut de nullo c dicitur d,  
 ita aliud quippiam accipietur, quod in omni quidem d  
 affirmabitur, sed in nullo c enunciari poterit. Quia ergo  
 sursum uersus est aliquis in affirmationibus exitus, necesse  
 se etiam est ut in negationibus aliquid tandem inueniatur,  
 ubi sit resistendum. Tertia forma est, cum ita conclu-  
 ditur, nullum b est c, omne b est a, quoddam igitur a non  
 est c. ubi si rursus est demonstranda propositio, necesse est  
 ut aut altero modo ex ijs duobus quos proximè exposui-  
 mus, id fiat, aut hac ipsa forma. Atq; in superioribus quis-  
 dem illis probandi rationibus, fines tandem aliqui repe-  
 riuntur. Hac uerò forma si quis id monstrare instituerit,  
 ita necesse est medium accipiat, e uerbi gratia, ut de nullo  
 e dicatur c in propositione: in assumptione autem, in  
 omni e dicatur b: eodemq; modo in alijs rursus faciat, si  
 qua alia reperiantur media. Postquam igitur id positum  
 est, affirmationes deorsum uersus sua habere quaedam  
 extremas

extrema: illud etiam necessario efficietur, ad extremum quoddam tandem peruenturas negationes, in quibus de aliquo negatur. Est porro illud etiam ex ijs perspicuum, quod si non una tantum uia ac ratione huiusmodi probentur negationes, sed simul omnibus, ita ut partim in prima figura, partim in secunda, & partim in tertia cōcludatur, planum inquam est hoc etiam modo necesse esse, ut aliqua tandē ueluti stationes reperiantur, in quibus commorandum & acquiescendum sit. Etenim hæc uia sunt finitæ: quæ uerò certa sunt ac definita, si non nisi certo quodam numero accipiuntur, quomodo non facient totum quod ex ijs coniunctum erit certum ac finitum? Est igitur perspicuum, in negationibus certos quosdam ac definitos esse terminos, si modò in affirmationibus quosdam esse admittatur.

## CAPVT XVIII.

Quod uerò in his ipsis exitus tandem aliquis reperiat, nunc demonstrabimus. Ac primum logicè ista consideranti, non est difficile quam id uerum sit cernere. In primis certa esse ea quæ in definitione accipiuntur, uel hinc planum esse potest, quod si declarari aliquid definitione posse, aut uerò quid sit res posse oratione cognosci statuatur, necesse est numero quodam certo esse ponatur, quæ in oratione quid sit explicante adhibentur: siquidem infinita nemo possit animo ac cogitatione percurrere. In uniuerso autem genere eorum quæ de altero dicuntur, idem illud uerum esse, hoc modo planum ac manifestum faciam. Verum quidem dicimus, cum hoc modo pronunciamus, quod candidum est, ambulare: aut illud quod magnū est, lignum esse: & rursus cum lignum esse

album, aut hominem ambulare enunciamus: inter hoc tamen enunciandi genus, atq; illud plurimum interest. Quando enim quod album est, lignum esse dico, nil dico nisi illud cui fortè accidit ut album esset, lignum esse: nec ita attribuo lignum albo, quasi subiectum quoddam ligno sit album: siquidem id usuenire hoc loco non uidemus, ut fuerit prius id quod albū est, aut omnino, aut pars eius, res quædam ipsa per se cohærens, tum deinde illi conueniret lignum esse: quare quod album est, lignum esse, id fortuitum ac per accidens tantum est: quando uerò lignum esse album dico, id ego non uolo, rem quandam albo subiectam esse, cui idem acciderit, ut præter id quod alba est, lignū esset, qualiter fit cum ita enunciatur, Musi cum esse album: id enim ex eo uerum est, quòd eidem homini, qui musicus erat, contigit ut albus etiam esset: sed illius enunciationis ea uis est, ut albo subiectum sit lignū, cui illud non alia ratione conuenire cœpit, nisi qua lignum est, aut species quædam illius. Ac si hic mihi legem ponere, certumq; aliquid statuere liceat, tum dici aliquid attribuiq; statuatur, quãdo posteriore hoc genere enunciabitur: cū uerò illo priore modo fiet pronuntiatio, tum aut nullo modo dici, aut non simpliciter, sed ex adiunctiōne per accidens attribui censeatur. Atq; esto attributum, ut album: subiectum autem, ut lignum. Ponatur igitur, omne attributum de subiecto simpliciter, ac non per accidens dici: quandoquidem talia semper sunt, quæ in demonstrationibus adhibentur. Vnde illud sequitur, quando cūq; unum uni attribuetur, necesse esse ut attributum aut in essentia rei contineatur, aut significet qualitatem, aut quantitatem, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut locum,

locum, aut tempus. Iam uerò quæ ad explanationem naturæ pertinent, ita semper subiecto attribuuntur, ut subiectum significant esse id ipsum quod attribuitur, aut huius partem aliquam. Quæ autem rei naturam non declarant, sed in subiecto quodam dicuntur, quod nec illud ipsum est quod ei attribuitur, nec illius generis quippiam, ea accidentia dicuntur: quomodo album de homine dicitur. Neq; enim homo est illud ipsum quod significat album, neq; quod ab aliqua albi differentia significetur: sed homo animal est fortasse: atq; adeò quod animal significat, illud ipsum homo est. Quæ porrò non declarant rei naturam, ea semper in subiecto aliquo insunt: nec est quippiam quod ita album dicitur, ut nil aliud sit quam id ipsum quod hoc uerbo, album, declaratur. Nam ideas hoc loco ualere iubeamus. nil enim quam nugæ, & quas si inanes cantiones sunt: & si sint, nil tamen ad hanc nostram disputationem pertinent: quando quidem in ijs rebus demonstrationes uersantur, quæ in subiecto insunt. Iam si non potest, ut hoc est illius qualitas, ita uicissim illud huius esse, nec omnino fieri possit ut sit qualitatis alia qualitas: illud profectò fieri non poterit, ut ab accidentibus ulla sit retrò commeans attributio: nõ quòd uerum hoc modo dicere non liceat: sed cum retrò uertitur ab accidentibus enunciatio, fieri non potest, ut præter id quòd uera sit, etiam proprium ac legitimum genus attributionis contineat. Quid enim? itane attribuentur illa, ut essentiam declarent, ac perinde dicantur quasi genera, aut differentie eorum quæ attribuuntur generum? Atqui paulo antè demonstratum est, ista nec ascensu nec descensu infinito contineri. ueluti si hominem, deinde

bipes, tum animal, tū superius animali aliquid accipias, in infinitum non progrediere: ut nec si inferiora persequaris, attribuendo animal homini, tum hominē Calliæ, deinde Calliam alicui alteri, cuius in essentia cōtineatur. Omnis enim qua aliquid est superius & inferius substantia, definitione explicari potest: infinita autem nemo potest cogitatione comprehendere. Quare si non possit ea substantia definiri, de qua infinita dicitur, necesse est ut tum sursum tum deorsum sit aliquis tandē exitus. At certē non possunt ita vicissim retrō attribui, ut genera esse intelligātur: alioqui efficietur, ut idem sit id ipsum quod est. Sed nec de qualitate, nec de ullo alio accidente potest ullum accidens dici, nisi per accidens: quādoquidem ista omnia aduenticia sunt, & in substantia semper cernuntur. Quod uerō superiora persequentē non liceat in infinitum regredi, hinc intelligi potest, quod omne quod de quaq; re dicitur, aut quale sit, aut quantum sit, aut simile aliquid indicat, aut uerō essentiā rei declarat. atqui certo numero sunt quæ in natura rei continentur: & reliqua etiam attributionum genera finita sunt. Hæc enim ferē sunt, quale sit, quātum sit, ad aliquid, faciens, patiens, ubi sit, quando sit. Illud porrō iam antē à nobis positum est, unum de uno dici, & nūquam euenire ut subiectum id ipsum sit quod attributum, nisi quid sit, ac substantiam significet ipsum attributum. Quæ enim non significant quid est, omnia sunt accidentia: sed ex ijs alia sunt quæ per se insunt, alia quæ alio modo conueniunt. Cuiuscunq; tamē generis sint, semper in aliqua re subiecta inesse, ac non ipsa quædā subiecta esse censemus. Nil enim horum est, quod, si esse dicatur, statim aliud quippiam esse non  
intelli-

intelligatur, quàm quod ipso uerbo cōtinetur: sed ipsum de alio quodam dicitur, alia quædam de altero. Neq; igitur sursum uersus, neq; deorsum fieri potest, ut unum de uno sine ullo fine dicatur. Nam de quib. accidētia dicuntur, ea sunt quæ substantiam declarant: quæ non possunt esse infinita. Superiora uerò cum inferiorib. conferēdo, neq; in ijs, neq; in accidentibus, potest esse in infinitū progressio. Quare necesse est ut aliquid tandem reperiatur, quod mox ab infimo positiū, de illo primum omnium dicatur, tum deinde aliud de hoc ipso: atq; ita superiora deinceps repetendo tandē in summo aliquo consistatur, quod ipsum quidē de aliquo sibi proximo enunciabitur: supra se autē nil habebit, quod de se dici possit. Atq; una quidē huius rei probatio hæctenus explicata est: nunc aliā subijciamus. Ea tantū demonstratione cōcluduntur, de quib. alia priora dici possunt: quæ uerò euidenti probatione possunt ostendi, ea nūquam certius meliusue animo percipiuntur, quàm cum planè ac perfectè sciuntur, nec uerò citra demonstracionem certò sciri possunt. Porro illud certum est, si ex quibus aliquid manifestū sit, ea nec sciamus, nec alia quadam ratione melius ac certius intelligamus, quàm quæ scimus: fieri non posse, ut ex ijs aliquid planè ac perspicuè cognoscatur. Si igitur est aliquid quod per demonstracionem simpliciter absoluteq; sciri possit, ac non quasi ex quibusdā concessis, aut ex fictione quadam omnia sciatur: necesse est ut certo quodam numero contineantur attributiones, quæ inter primas atq; ultimas interiectæ sunt. Nam si nullus tandem reperiat exitus, sed in infinitum aliqua semper superiora sint, nil erit quod demonstracione confirmari non possit.

Quare

Quare quæ euidenti probatione ostendi possunt, ea per demonstrationem scire non poterimus, siquidem infinita nemo possit ratione & intelligentia complecti. Si igitur ea animus non potest melius comprehendere, quam cum eorum scientiam est assecutus: illud profectò necessariò efficitur, nil esse quod per demonstrationem simpliciter sciatur, sed ex fictione & quasi ex conditione omnia cognoscuntur. Ac logicò quidem ista consideranti, hæc argumenta persuadere possunt, id ita esse quod dico: Analyticè autè, si hæc eadem spectentur, breuius confirmari poterit, nõ posse nec sursum nec deorsum uersus, infinita esse attributa, quæ in demonstratiuis scientijs (de quibus hæc uniuersa tractatio suscepta est) locum habent; contineatur enim omnis demonstratio ijs quæ per se attribuuntur. Hæc autem dupliciter dicuntur, uno modo, quæ in definitione eorum accipiuntur, de quibus dicuntur. altero, quæ subiecto attribuuntur, quod in eorum definitione explicanda adhibetur. Huius generis exemplum est, impar quod numero conuenit, et numerus in definitione ipsius ponitur. prioris exemplum est multitudo, aut quod diuiduum est, quæ ad numerum definitione explicandum adhibentur. At uerò neutrum horum potest immenso numero contineri: primùm enim, quæ eo modo insunt, quomodo impar numero, non possunt esse innumerabilia. nam ut aliud quippiam sit quod rursus de impari dicatur, ita ut in eius definitione accipiatur impar, fieri potest: sed etiam cum illud usuenit, necesse est ut in omnium illorum definitione numerus accipiatur: quando numerus est in quo primo ista omnia cernuntur. Itaq; si non possint uni infinita huius generis attributa conuenire, ne id

id quidem fieri poterit, ut sursum uersus in infinitum regredi liceat. Atqui ista omnia necesse est numero attribui, uicissimq; in eorum definitionibus numerum adhiberi: illa igitur omnia cum numero recipiuntur, nec poterunt latius patere quam numerus. Iam uero ne illa quidem infinita esse possunt, quæ in oratione docente quid sit res quæq; continentur: alioqui ne unam quidem definitionem licebit absoluere. Quare si dicantur per se omnia attributa, hæc autem non sint infinita, erit tandem primum quoddam caput, in quo consistamus: ideoq; ultimum etiam aliquid, ubi resistamus. Vnde necessario efficitur, ne illa quidem infinita esse posse, quæ intra illos terminos continentur. Hæc porro si uera sint, cõsequens est, ut sint quædam initia demonstrationum, nec possint omnia euidenti probatione ostendi: quemadmodum dicunt quidam, de quibus initio huius disputationis mentionem fecimus. Etenim si aliqua sint initia, nec demonstratione probari res omnes possunt, nec progredi in infinitum licet. si quidem alterutrum horum ponere, idem ualet ac si dicatur, nullum plane esse interuallum ita continuatum, quin aliquo medio interceptum sit, & quasi interductum aliquo distinctum, sed omnia esse deiuncta & interrupta. Ita enim demonstratur unumquodq; ut uerbum medium inter extrema immittatur, non autem extra ipsa extrema collocetur. Quare si ita alia ex alijs probando, in infinitum progredi liceat, necesse erit ut inter duo extrema media infinita contineatur. Quod fieri omnino non potest, si modo propria singulorum attributa persequent, necesse sit tum sursum tum deorsum acquiescere. Quam uero illud necesse sit, & logicè supra, & analyticè modò ostendimus.

Demonstratis autem his, illud facile fiet manifestum, quod si unum attributum de duobus dicatur, ut a de c, & de d, quorum unum de altero aut nullo modo, aut non in omni enunciatur, non semper commune aliquod uerbum reperiri, per quod illud attributum utriusque conuenire ostendatur. ueluti isosceli & scaleno conuenit habere tres angulos æquales duobus rectis, per communem aliam quam utriusque naturam: quia scilicet figuræ quædam sunt, nec iam aliud est cuius interuentu illud conueniat. Sed in omnibus non est eadem quæ in his ratio: Est enim b, cuius interuentu a conuenit c & d. Cõstat igitur & aliud rursus esse medium, per quod ipsis c & d attribuitur b, atque illud rursus per aliud quippiam. Ex quo efficitur, intra duo extrema, posse media infinita contineri: quod fieri omnino non potest. Non igitur necesse est, ut quod attributum de multis dicitur, semper alicuius alterius interies. Et dicatur: quando quidem aliqua tandem interualla medio carentia reperiuntur. Sed ut ipsa quæ interueniunt uerba, ex eodẽ genere sint, ipsædemque indiuiduis: illud sane necesse est, si modò illud cõmune uerbum cuius interuentu aliud ostenditur, in numero eorum sit quæ per se conueniunt. Nam traducere quæ unius generis sunt in aliud, demonstrando non licet. Perspicuum porrò etiam illud est, quãdo a de b affirmatur, si est quoddã inter alia medium, illam affirmationem, omne b est a, demonstratione posse concludi: atque etiam tot & eadem esse elementa huius affirmationis, quot & quæ sunt ipsius media: quæ enim medio carent propositiones, aut omnes, aut certè quæ in toto genere enunciant, sunt elementa. Sin nullum

est medium, ne demonstratio quidem erit, sed iam tum ad ipsa initia peruentum erit. Eadem ratio erit, si de b negatur a. nam si interueniat aliquid, siue mediū, siue in quo prius negetur a, demonstratio de ea re conficietur: sin minus, non conficietur. Verūm quot erunt uerba media, tot erunt principia & elementa, quando quidē demonstrationis principia sint eæ propositiones quæ ex ijs uerbis constituuntur. Atq; etiam sicuti sunt aliqua initia quæ probari demonstratione non possunt, quibus aut hoc esse illud, aut huic illud inesse affirmatur: ita sunt quib. negat do, aut hoc non esse illud, aut non inesse hoc illi, pronuntiat: quo fit, ut præstō nobis esse possint principia tum affirmationibus tum negationib. concludendis. Et quidē quādo demonstrabitur affirmatio, ita semper accipiendū erit medium (quod sit, uerbi gratia, c) ut sit necesse ipsum c omni b inesse, ac deinde omni c inesse a. atq; eadem hac ratione persequi media oportebit, ita ut nulla unquam extra illos terminos propositio sumatur, nec unquam ali quid quod ipsi a omni attribuitur, in probādo adhibeatur: sed semper ea quæ in medio sunt spacio coaceruantur, donec ad cōtinens aliquod nulloq; medio distinctum interuallum, atq; adeo ad unum quippiam perueniatur. Ad illud uerō unum tum peruentum est, cum ad immediatum aliquod proloquium deuentum erit. Atq; est illa quidem certè propositio simpliciter ac proprie una existimanda, quæ omni medio caret: & quemadmodum in alijs omnibus rebus semper ipsum initium simplex est, non idem tamen in omnibus, sed in ponderibus (uerbi causa) mina, in modulatione dieſis, in alijsq; alia. sic in ratiocinatione ipsa id quod est minimū, ac maxime unum,

est propositio immediata: in demonstratione uero ac scientia, ipsa mens atq; intelligentia. In ijs igitur ratiocinationibus, quibus affirmatio ostenditur, nunquam medium extra extrema accipi potest. In ijs uero quæ negationem concludunt, in hac quidē figura prima, nil etiam extra conclusionis attributum accipietur. Veluti si probatum fuerit, nullum b esse a, per medium c, hoc modo collocatis sumptionibus, nullum c est a, omne b est c: ac rursus probandum sit nullum c esse a, hic accipietur medium aliquid inter a & c, eiusdemq; modi fiet semper progressio. Si in hac forma ostendatur nulli e conuenire d, quia omne d est c, & nullum e est c, aut non omne extra e, quod est minus extremum, de quo aliud concluditur, nunquam cadet medium. In tertia uero figura nec extra subiectum, nec extra attributum, negantis conclusionis medium unquam accipietur.

## CAPVT XX.

Deinceps sequitur, quoniā sunt alie demonstrationes de toto genere, alie de parte: & partim affirmantes, partim negantes: ut quæramus utra sit potior earū quæ singulis diuisionibus continentur. Idem illud quæredum est de demonstratione rem directō probante, & de ea quæ ad incommodum ducit. Sed nos prius quidem de uniuersi generis et partis demōstratione agemus: tum deinde ad directam, & eam quæ incōmodo urget, demonstrationem ueniemus. Ac primūm his fortasse rationibus quispiam inducatur, ut credat eam probationem, quæ in parte uersatur, accuratiorem esse, quā quæ genus uniuersum confirmat. Ut quæq; probatio certiozem parit rei cognitionem, ita potior accuratioq; est: siquidē in eo  
posita

posita sit omnis demonstrationis uirtus, ut scientiam gignat. Atqui unaquæq; res cum per se cognoscitur, tū melius ac certius intelligitur, quā si per aliud quippiā sciat: ueluti Coriscum esse musicū tum magis scio, cum scio hunc ipsum Coriscū esse musicum, quā cum hominem, et sic alia. Vniuersa uerò demonstratio, quod aliquid in sit in alio semper, & nō in eo ipso in quo inest, demonstrat: ut isosceli conuenire quippiā ostendit, non quia sit isosceles, sed quia triangulū. Quæ autē in parte demonstrat, in eo ipso cui cōuenit, rem inesse ostendit. Itaq; si est melior quæ per se rem ostendit, illudq; magis illi cōueniat probationi quæ ad partē aliquam pertinet, quā quæ ad totum genus: relinquitur profectō, accuratiōrē esse partis quā uniuersi generis demonstratiōnē. Præterea si reuera nil sunt res uniuersæ præter singulas, eam autē opinionem inducat uniuersa demonstratio, ut rem quandā esse eā in qua aliquid ostendit existimemus, atq; adeo in rerū natura cōærere talē aliquam naturam: ueluti trianguli præter singulos triangulos quandā esse naturam, figuræ præter singulas figuras, numeri præter singulos numeros. Est porro ea semper accuratiōr probatio, quæ quod reipsa est, quā quæ quod nusquā est ostēdit: & quæ errorē nullum inducit, quā quæ in falsas nos inducit opinionēs. Atqui est huius posterioris generis demonstratio uniuersa. Postquā enim demonstratores aliquātum iam in probando processerunt, tū ferē illud idē faciunt, quod in proportionē demonstranda usuenit: nempe quicquid erit tale quippiā, omne illud erit proportionis particeps: quod quidē nec est linea, nec numerus, nec solidū, nec planū, sed præter illa nescio quid. Si igitur illud potissimū in

demonstrādo genere uniuerso eueniat, ideoq; in eo quod  
 reuera sit, minus uersetur uniuersi generis quā partis  
 demonstratio, adeo ut illa falsam etiam gignat opinionē:  
 iam certē dubium esse non potest, quin longē superetur  
 de toto genere probatio, a demonstratione de parte. At  
 enim (ut hinc potissimum ordiar) prior illa ratio, nonne  
 tam est ab uniuersi generis demonstratione, quā ab ali  
 cuius partis probatione? Nam si non conueniat isosceli  
 habere tres angulos pares duob. rectis, quia sit isosceles,  
 sed quia sit triangulum: profectō necesse est eum nō tam  
 perfectē rem ut est nosse, qui hoc isosceli inesse cognoue  
 rit, quā qui triangulo. Atq; ut semel dicam, si non ita res  
 habet, ut triangulo conueniat quia triangulum est, idq;  
 uelit quispiam ostendere, non erit illa demonstratio: sin  
 ita res habet, ut quisq; rem aliquam, quia ea ipsa est, nō  
 uerit, ita rem certius multo accuratiusq; perspectam ha  
 buerit. Itaq; si latius patet triangulū, sitq; ipsius una quæ  
 dā ratio, nec ulla in se in hoc ipso triangulo ambiguitas,  
 in omni autem triangulo uerē dicatur par esse duobus  
 rectis angulis: illud certē planum est, non triangulo quia  
 sit isosceles, sed contrā isosceli quia triangulum sit, conue  
 nire, ut habeat tres angulos duobus rectis pares. Quare  
 qui totum genus nouit, rem ut est magis nouit, quā qui  
 partem tantum intellexit, ob eamq; causam accuratior  
 uniuersi generis demonstratio, quā alicuius partis. Idem  
 uerō si uniuersum ipsum genus una quadam ratione, non  
 autem sola nominis communione continetur: non minus  
 in rerum natura cohærebit, quā rerum singularium  
 nonnullæ, quin etiam multo magis: quandoquidem quæ  
 immutabilia sunt, nec interitum agnoscunt, in rebus uni  
 uersis

uersis cernuntur: res uerò singule maxima ex parte ca-  
 duce sunt, & mortales. Insuper quæ tandem necessitas  
 est, quia res uniuersa unum quippiam est, in eam statim  
 uenire opinionem, ut uniuersale esse aliquid à rebus sin-  
 gulis separatum credamus? nam cur id magis hic necesse  
 sit, quàm in alijs quæ non substantiam, sed aut qualitatē,  
 aut ad aliquid, aut facere significant? Illius igitur falsæ  
 opinionis, non causa est demonstratio, sed qui eam malè  
 accipit. Præterea demonstratio est ratiocinatio, quæ ad-  
 hibetur ad docendam causam cur res sit: in uniuerso au-  
 tem genere, causa maxime continetur. Cui enim propter  
 se aliquid conuenit, ipsum sibi est causa cur ita sit: est au-  
 tem uniuersum genus illud, in quo primum ac per se res  
 insunt: in ipso igitur uniuersali causa continetur. Quæ  
 propter erit potior accuratioq; de toto genere demon-  
 stratio: quandoquidem illa magis causam cur res sit ex-  
 plicat. Præterea cum quæritur, quamobrem sit aliquid,  
 non cognoscimus, donec ad genus aliquod uniuersum  
 perueniamus: ac tum demum existimamus nos esse asse-  
 cutos rei sciētiam, quando nil iam aut esse, aut fieri uide-  
 mus, ultra illud totum genus. Exitus enim finisq; ultimus  
 in causæ inuestigatione, hac demum ratione inuenitur.  
 Verbi gratia, cur uenerit quispiã, causa est, ut pecuniam  
 accipiat: tũ huius ratio est, ut se ere alieno liberet: rursus  
 huius causa est, ne quam alteri iniuriam faciat. Et qui-  
 dẽ cum hoc modo causas ex causis persequimur, si quan-  
 do eò perueniamus, ut iam non ob aliam causam, nec al-  
 terius rei gratia fieri aliquid uideamus, tum id ipsum fi-  
 nem esse cur uenerit, dicimus: aut cur aliud quippiam uel  
 sit uel fiat, tumq; maxime quamobrem uenerit, nos scire  
 putamus.

putamus. Si igitur similis est ratio in causis omnibus, et par sit eademque affectio in omnibus questionibus, quæ quamobrem quæque res sit inquirunt: est aut illa quam diximus certissima ratio sciendi, in ijs rebus in quibus causa quæ inuestigatur, finis est: et in alijs profectò causis, tum maxime cognita ac perspecta res erit, cū iam nulla erit ulterior causa, quã reddamus. ueluti cum scimus exteriores isoscelis angulos quatuor rectis pares esse, quia isosceles est, id adhuc desideratur, quamobrẽ id isosceli cõueniat, quia scilicet triangulũ: ac rursus cur triangulo, nimirum quia est forma rectis lineis cõstans. Hic uerò si iam nulla sit ulterior causa, necesse est ut hac demum causa intellecta, illa res planè ac perspicuè cognita sit. Atqui hoc genus quoddam uniuersum, est latissime patens: est igitur accuratior uniuersi generis quàm partis demonstratio. Ad hæc, quo magis ad singulas partes declinamus, eo ad infinita magis accedimus: contrã autẽ, quo magis ad res uniuersas ascendimus, hoc ad simplicẽ definitamque naturã magis appropinquamus. Atqui quæ sunt res infinitæ, hac sub scientiã minimè cadunt: quæ uerò finitæ sunt, ea scientiæ subiiciuntur. Res igitur ipsæ magis hoc ipso quòd uniuersæ sunt, sub scientiam cadent, quàm cum in parte spectantur. Quare ad demonstrandũ magis accommodatæ erunt res uniuersæ, quàm singulæ partes. Par autẽ est, ut earum rerũ quæ ad demonstrationẽ magis accommodatæ sunt, sit etiam magis demonstratio: simul enim quæ cum aliquo cõferuntur, utraq; elationẽ suscipiunt. Quando igitur magis demonstratio est quæ in toto, quàm quæ in parte uersatur, id necessariò relinquitur, præstantiorẽ esse uniuersi generis demonstrationem. Iam uerò illa  
semper

semper optabilior est demonstratio, per quã simul multa cognoscimus, quã quæ unius tantum rei adfert cognitionem. Atqui percepto toto genere, simul quod in parte est intelligitur: qui uerò hoc nouit, non etiam uniuersum genus habet perspectũ. hac igitur ratione necessariò cõficitur, optabiliorẽ esse illam demonstratiõẽ. Sed etiam illud hoc pacto confirmari potest: nil enim est res magis generales, quã quæ; latius patent, scire, quã per illud medium rem nosse, quod ad initia propius accedit: illud autẽ quod proximum est à primo, nullo medio est ab illo distinctum, quod quidem est ipsum principium. Si igitur est ea accuratior demõstratiõ quæ ex principijs constat, quã quæ non cõstat, aut uerò quæ ex ijs cõponitur quæ magis principia sunt, ea est potior qua continentur illa quæ à principiorum appellatione magis sunt remota: est autem prioris illius generis demõstratiõ de toto genere; profectò necesse est ut sit multo excellentior uniuersi generis probatio. ueluti si demõstrandum est a in d inesse, media sunt b & c, ac superius quidem est b. quapropter necesse est ut latius pateat demonstratiõ quæ illud mediũ accipiat, quã quæ alterum. Sed sunt quidẽ ex ijs rationibus quæ adductæ sunt, nonnullæ logicæ. Nũc uerò paucis, quã sit præstantior de toto genere quã de parte demonstratiõ, planum faciam. Nos enim scientes priorem aliquam propositionem, simul et posteriorem quodãmodo scimus, uicq; ac facultate hanc in illa animo complectimur. ut qui scit, omne triangulum habere tres angulos pares duobus rectis: scit etiam, quodãmodo isosceli idem illud conuenire, etiã si nesciat fortasse isosceles esse triangulum. At qui hanc posteriorem nouit proposi-

tionem, illam uniuersam nec re ipsa, nec ui & facultate percepit. Et uniuersi generis probatio, ratione & intelligentia continetur: quæ autem de parte concluditur, ad sensum pertinet, eoq; terminatur. Quòd igitur longè præstat demonstratio uniuersa, demonstrationi quæ in parte uersatur, ista sufficiant.

## CAPVT XXI.

Nunc sequitur, ut aientem negante præstantiorè esse ostendamus. Ac primum ponatur, illam demonstrationè alteri præstare, quæ cum reliqua paria habeat, paucioribus absoluitur postulatis, aut hypothesibus, aut propositionibus. ut enim sint æquè manifestæ utriusq; propositiones, illa certè quæ paucioribus constat, celerius rei cognitionem adferet: quod profectò optabilius est. Porro cur præstare dicatur, quæ paucioribus absoluitur, et quæ pluribus, hæc communis ac generalis ratio reddi potest. Quoniam licet similia sint in perspicuitate media, semper tamen sunt notiora quæ priora sunt, ut probatione una, de e dici a, per media b c d ostèdatur: altera autem, quòd d conueniat ipsum a per media fg demòstretur: nec obscurius sit ac difficilius intelligere de d dici a, quàm de e idem ipsum a dici: illud tamen prius ac notius est, quòd a conueniat ipsi d, quàm quòd ipsi e in sit a, quando quidè illud ad hoc demonstrandū adhibetur. Est uerò illud semper credibilius, quod ad faciendam de altero fidem accipitur. est igitur præstantior ea demonstratio, quæ cum cæteris in rebus cum altera conueniat, paucioribus absoluitur, quàm illa. Ac istæ quidem ambæ de quibus queritur, tribus constant uerbis simplicibus, ac duab. sumptionibus: uerum una affirmationes tantum accipit, altera et affir-

affirmationē & negationem: quo fit, ut hæc ex pluribus  
 cōficiatur quàm illa, ideoq; sit deterior. Iã uerò uel hinc  
 perspici potest, hæc illa esse deteriorē, quòd alijs in libris  
 ostendimus non posse ex duab. sumptionibus, negantibus  
 quippiã, necessariò confici: sed semper unam affirmare,  
 alterã negare oportere. His accedit, quòd demonstrandis  
 negationibus semper adhibendæ sunt affirmationes, sem-  
 per enim maior est aientium quàm inficiantium propo-  
 sitionum numerus, in omni demonstratiōe, quæ retrò  
 acta ad principia, in aliquam magnitudinē augetur. Ut  
 aut plus quàm una negatio in omni ratiocinatione suma-  
 tur, fieri negamus. Sint enim hæc sumptiones, nullū b est  
 a, omne c est b: nunc si oporteat has rursus propositiones  
 confirmando in maius augere demonstratiōem, inter-  
 ponendum erit medium inter a & b, quod sit d: et aliud  
 quippiam inter b & c, quod sit e. Ac perspicuū quidem  
 est, medium e in affirmationibus tantū accipi: d autem,  
 cum b quidem coniunctum in assumptione, affirmationē  
 facit: propositio autem in qua cum a ipsum d connecti-  
 tur, est negans, ut fiat hoc modo ratiocinatio: nullum d  
 est a, omne b est d. Est igitur in eo toto propositionum  
 numero, una sola negatio. nec secus in alijs omnib. ratio-  
 cinationibus fiet: siquidem in affirmatione concludenda  
 semper necesse est utramq; sumptionem esse affirmantē,  
 in negatione uerò tantū altera inficiatur. Quo fit, ut  
 hæc sola negatio sit, cum aliæ omnes sint affirmantes. Si  
 igitur id semper notius & credibilius est, quòd ad fidens  
 faciendam adhibetur, demonstratiō autem negans per  
 affirmantem, nec uicissim affirmans per negantem con-  
 firmatur: erit perfectò aiens demonstratiō prior,

tior, credibilior altera, ob eamq; causam præstator. Postremo, si nil est principium demonstrationis, quam uniuersa propositio medio carens, accipitur autem in aiente probatione affirmans talis propositio, in inficiante autem negans; & affirmans negante prior est & notior: ac notior quidem, eo quòd confirmandis negationibus affirmationes adhibentur: prior uerò, quoniam esse prius est quam non esse: ex ijs profectò efficitur necessario, certiora præstatoraq; esse affirmantis quam negantis demonstrationis principia. At enim quæ melioribus utitur initijs, eam non modò meliorem esse necesse est, sed etiam ad ipsorum principiorum naturam magis accedere, hoc ipso quòd non potest negans sine affirmante constare.

## CAPVT XXII.

Quoniam autè longè præstat demonstratio affirmans neganti, perspicuum etiam est, ab illa eadem longè superari probationem quæ aduersarium urget incommodo. In primis autè quid hæc probatio differat ab ea quæ ad fidem directò pertinet, intelligendum est. nam cum ita conficitur ratiocinatio, nullum  $b$  est  $a$ , omne  $c$  est  $b$ , nullum igitur  $c$  est  $a$ : tum est directè a huius negationis, nullum  $c$  est  $a$ , probatio. Quæ uerò ad incommodum ducit, hunc in modum conficietur. Estò hoc propositum ad ostendendum, nullum  $b$  est  $a$ . ut id ostendam, ego contrà accipiam, omne  $b$  esse  $a$ : tum assumam, omne  $c$  est  $b$ : ex quo efficietur, omne  $c$  esse  $a$ . Quæ conclusio quoniã perspicue falsa est, fieriq; id non posse quod ait, omnium opinione confirmatum est, propterea ego ad extremum concludo, non fuisse ueram illam propositionem, omne  $b$  est  $a$ . Nam si illam assumptionem omne  $c$  est  $b$ , ueram esse

esse certum est, ac concessum: fieri omnino non potest, ut uera sit propositio, omne  $b$  esse  $a$ . Ac uerborum quidem simplicium ex quibus utraq; constant, collocatione non distinguuntur: sed in eo tantum cernitur discrimen, utra ex duabus negantibus propositionibus notior esse ponatur, illane quæ dicit nullum  $b$  esse  $a$ , an quæ nullum  $c$  esse  $a$ ? nam si id apertius est non esse, quod hac conclusione pronuntiatur, erit demonstratio per absurdam conclusionem docēs: sin illa clarior est quæ in ratiocinatione propositionis loco accipitur, erit directæ rei probatio. Atqui naturæ ordine prius est, nullum  $b$  esse  $a$ , quàm nullum  $c$  esse  $a$ : quandoquidem ea semper priora sunt complexione, ex quibus ipsa complexio efficitur. Est autem hæc, nullum  $c$  esse  $a$ , complexio: illa autem, nullum  $b$  esse  $a$ , propositio, ex qua hæc conficitur conclusio. Neque enim quoquo modo ex alijs reprehendatur ac refellatur quippiam, id statim ita accipi debet, ut hæc semper conclusio censeatur, illæ sumptiones, ex quibus efficiatur illa complexio, appellentur. Sed ea demum sunt ex quibus aliquid concludi proprie dicitur, quæ in aliqua ratiocinatione ita accipiuntur, ut aut quasi pars post totum, aut contrâ post partem totum, ante cõplexionem sumptum sit. Duæ autem illæ propositiones  $a$   $b$  et  $a$   $c$ , non sic sunt inter se affectæ. Quocirca si præstâtior est quæ ex apertioribus ac prioribus constat, ualeant autem illæ quidem utraq; negantes demonstrationes ad fidem faciendâ, sed una ex prioribus, altera ex posterioribus conficiatur: illud profectò necesse erit, ut demonstratio negans, quæ simpliciter ac directò rem probat, ea sit accuratior, quæ ad incommodum ducit. Vnde perspicuum est, quia omni

neg inte præstantior est affirmans demonstratio, longè præstare ipsam affirmantem, omni, qua per incommoda res docetur, demonstrationi.

## CAPVT XXIII.

Proximum est, ut scientiam cum scientia comparemus. Ac primùm illa est accuratior ac prior, qua simul & quòd res sit, & cur sit, non autem quòd sit tantùm percipitur, quàm si qua sit, qua rei tantum causa cognoscatur. Deinde illa semper est certior, quæ in eo subiecto uersatur, quod est omnino à sensu iudicio disiunctum, quàm quæ in re uersatur ad sensum maxime accommodata. ut, arithmetica quàm musica subtilior est ac certior. Postremò accuratior est, quæ simplicioribus elementis constat, ea cuius elementa non nisi ex aliqua adiectione intelliguntur: qua ratione geometriæ præstat arithmetica. Quid autem ex adiectione appellauerim, hoc exemplo intelligi potest. Vnitatis enim natura quædam est, quæ nusquam posita, per se spectatur: punctum autem substantia quædam est, quæ situ quodam suo intelligitur: quod nos supra appellauimus ex adiunctione. Vna scientia est, quæ in uno quodam genere uersatur, earum rerum quæ ex hisdem primis initijs constare cernuntur: quorum initiorum aut partes, aut affectiones sunt illa quæ per se conuenire illi generi conspiciuntur. Diuersæ autem sunt, quarum principia nec eadem sunt, nec alia sub alijs continentur. Has uerò, diuersis esse scientias, quas dicimus, ijs constare poterit, qui ad prima usq; principia regrediendo peruenierint. illa enim ad idem genus pertinere debent, ad quod ea quæ demonstratione concluduntur: ut uel hoc argumento perspicui potest, quòd ea ipsa quæ

ex ijs principijs probantur, necesse est omnia eiusdem esse generis, summaq; naturæ societate inter se coniuncta. Iam fieri potest ut ad eandem rem probandam adhibeantur plures demonstrationes, non solum si ex eodem quidem ordine, sed non deinceps ac continenter sumantur media, cuius generis sunt media inter a & b, c d & et sed etiam si ex alia quadam serie rerum accipiatur medium. Exempli gratia, sit a agitari, d uerò moueri, b uoluptate affici. Ac rursus sit e tranquillari. Verum igitur est, & omne d esse a, & omne b esse d. Quicquid enim mouetur, agitatur: qui autem uoluptate fruitur, mouetur. Et rursus uerum est, omne e esse a, & omne b esse e, omnis enim qui tranquillatur, etiamnum in agitatione est: qui autem uoluptatibus fruitur, tranquillatur. Itaq; per diuersa media, quorum non ponitur unum sub altero, sed ad diuersas rerum series pertinent, ratiocinatione effecta est hæc una conclusio. Verum intelligendum est, ea media non tam posse esse diuersa, ut alterum alteri nullo modo conuenire possit: quandoquidem eidem alii cui ambo conuenire conspiciuntur. Videndum porro est etiam in alijs figuris, quàm multæ de eadem re ratiocinationes fieri possunt.

## CAPVT XXIIII.

Eorum autem quæ casu, aut forte fortuna fiunt, nulla potest esse quæ ex euidenti probatione oriatur scientia. Neq; enim necessarium est, neq; plerunq; ita fit, quod fortuito euenit: sed in alio rerum genere, quod est præter hæc duo, euenta fortunæ collocantur. Omnis autem demonstratio, ex altero illorum constat. Nam omnis quæ quippiam demonstratur probatio, constat propositio-

nibus

nibus aut omnino necessarijs, aut quæ plerunq; ita fiunt. Ac si quidem necessarie sumptiones sint, necessaria est complexio: sin ex ijs sunt quæ plerunq; eueniunt, talis etiam futura est conclusio. Quare si quod casu & fortuito fit, nec semper, nec plerunq; ita fit, non poterit illius ulla esse euidens probatio. Ac ne per sensum quidem ulla oritur scientia. quanquam enim uniuersæ cuiusdam rei, ac non singularis sit sensus, quæ tamen res actu sentitur, eam necesse est non modò singularem esse, sed & certo quodam loco & tempore definitam. ipsum autem genus uniuersum, quod in omnibus rebus singulis continetur, sensu percipi nullo modo potest: quando quidem non sit certo quodam loco ac tempore definitum: aut certe uniuersa res non esset. Nam quod semper est & ubiq;, hoc est quod uniuersum genus appellamus. Quando igitur uniuersarum rerum sunt demonstrationes, quas non possumus sensu percipere, perspicuum est, nos sola sensuum perceptione non posse cuiusquam rei scientiam assequi. Quinetiam illud planum est, tametsi sensu percipi possit, triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, nihilominus huius rei nos demonstrationem requisituros: nec eam (quod aliqui affirmant) adhuc sciremus. Quod enim sensu accipitur, singulare est. omnis autem scientia in rei uniuersæ cognitione posita est. Quo fit, ut si supra lunam positi, obiectam terram uideremus, nondum tamen causam defectiõis intelligeremus. Quanquam enim tum lunam deficere sentiremus, tamen non omnino quamobrem deficiat intelligeremus: quando quidem sensu non percipitur genus uniuersum. Illud tamen fieri potest, ut quia idem illud sapius euenire con-

spexi-

speximus, inuento tandem uniuerso genere, rei demon-  
 strationem assequamur. Sic enim ex multis rebus singu-  
 lis, totum genus manifestum fieri solet. Est porro genus  
 uniuersum uel hoc nomine plurimi faciendum, quod cau-  
 sam rei complectitur ac declarat. Quare earum rerum  
 quæ sub scientiam cadunt, uniuersa cognitio est præstan-  
 tior omni sensuum perceptione: imò uerò & omni alia  
 cognitione animi. si modò earum rerum sit quæ causam  
 aliquam habent. nam de principiorum cognitione alia  
 ratio est. Planum igitur ex ijs est, in sentiendo non esse  
 positam rei quæ demonstrari potest scientiam: nisi id  
 quisquam fateri uelit, nil aliud esse sensibus percipere,  
 quam scientiã cuiusq; rei per demonstratione consequi.  
 Veruntamen quædam quæstiones sunt, quarum obscuri-  
 tas ac dubitatio confertur ad sensuum defectiõnem, &  
 infirmitatem. Quædam enim sunt, quæ si oculis cernere  
 possemus, nunquam dubitaremus: non quòd rem oculis  
 perspicere, sit scire, sed quoniam ex oculorum sensu ori-  
 tur uniuersi generis conformatio. ueluti si tantum oculi  
 ualerent, ut minimos uitri meatus, transmissumq; per il-  
 los lumen cernere possent, id nobis apertissimum esset  
 quamobrem luceat uitrum, propterea quòd uidentes in  
 alio atq; alio uitro ita rem habere, cõmunem notionem  
 statim efficeremus, esse omnium eandem rationem.

## CAPVT XXV.

Sequitur ut ostendamus, non posse esse omnium ra-  
 tiocinationum eadem initia. Ac primùm logicè ista con-  
 sideranti, sic probari potest: Omnis ratiocinatio aut uer-  
 ra aut falsa est: quamuis enim ex falsis uerum efficiatur,  
 id tamẽ non plusquam semel, unaq; conclusione euenire  
 potest.

potest. ueluti si uera sit hæc cõclusio, omne c est a, mediũ  
 aut b falsum, cum nec uerum sit omne b esse a, nec omne  
 c esse b: uelit autem rursus quispiã has propositiones a  
 lio quodam medio concludere, fieri non poterit quin fal  
 sæ sint quæ hic accipiuntur sumptiones, eo quod falsa con  
 clusio non nisi ex falsis efficitur: ex ueris autem, semper  
 uera. At enim uera à falsis maxime distinguuntur. De  
 de uerò ne ipsa quidem falsa carent aliquo inter se disceri  
 mine: falso enim de se inuicem enunciantur, tum quæ ad  
 uersa sunt, tum quæ ita sunt repugnantia, ut omnino con  
 uenire inter se non possint. ut, iusticiã esse iniusticiam fal  
 sum est, aut ignauiam: & hominẽ esse equum aut bouẽ,  
 & quod æquale est, aut maius esse aut minus. At si ea tan  
 tum quæ ad hoc nostrum institutum pertinent, spectare  
 uelimus, hunc in modum ostendetur, ne eorum quidem  
 quæ uera sunt, omnium eadem esse principia. Multa e  
 nim sunt, quorum principia cum genere diuersa sint, nul  
 lo modo inter se conuenire possunt. Cuiusmodi sunt, uni  
 tates & puncta, quæ quomodo conuenire possunt, cum  
 illæ nullum situm habeant, hæc nisi alicubi sita intelligi  
 non possint? Nam si conuenire possint, & demonstran  
 dis alijs alia accommodari, necesse est ita applicentur, ut  
 aut in medio sita sint eorum quæ demonstrantur, aut su  
 pra, aut infra, aut certè partim intra extrema, partim  
 extra ipsa. Sed nec ex communibus principijs aliqua es  
 se possunt, ex quibus omnia demonstrantur. Communia  
 autem initia appello, quale est illud, In quacumq; re aut  
 affirmatio aut negatio uera. Genera enim eorum quæ  
 sunt, diuersa sunt: & in quantitate & qualitate semper  
 sunt aliqua, quæ eorum generum propria sunt: quibus  
 acceptis,

acceptis, ac deinde simul adiectis cōmunibus, omnes con-  
 stant demonstrationes. Iam uerò nō multo pauciora sunt  
 principia, quàm conclusiones: nihil enim sunt principia  
 quàm propositiones illæ, quæ connectuntur ex uerbi me-  
 dij uaria collocatione, quod interdū extra extrema acci-  
 pitur, interdum inter extrema inijcitur. Adde, quod con-  
 clusiones in immensum excrescere possunt, cum interim  
 extrema finito certoq; sint numero. Deniq; principiorū  
 alia sunt necessaria, alia in rebus contingentibus cernun-  
 tur. Qui igitur his rationibus ista examinauerit, facile ui-  
 debit fieri omnino non posse, ut sint omnium eadē prin-  
 cipia certo quodam numero comprehensa, si sint innum-  
 merabiles cōclusiones. At uerò si quis hoc de quo agitur,  
 effatū aliter interpretetur, ut dicat esse quædam unuer-  
 se geometriæ communia principia, alia quæ eadem om-  
 nibus numeris conueniunt, tum deinde alia quæ medi-  
 cinæ sunt accommodata: quid quæso hoc aliud est, quàm  
 dicere, singulis scientijs sua quædam esse ac propria  
 principia? Quid uerò magis ridiculum est, quam ob id  
 dicere omnium scientiarum eadem esse principia, quòd  
 unaquæq; scientia sua quædam habet principia, quæ se-  
 rum ipsa conueniunt, idemq; sunt? Possunt enim hac ra-  
 tione omnia eadem appellari. Sed ne id quidem dici po-  
 test, nil aliud esse, eadem omnium principia quærere,  
 quàm uelle omnia principia, ad quamuis rem demon-  
 strandam ualere. Nam quid hoc absurdius? neq; enim  
 id in ijs scientijs quæ adhuc inuentæ & cognitæ nobis  
 sunt, fieri uidemus: neque omnino id fieri potest in dis-  
 solutione. Principia enim nil sunt aliud quàm propo-  
 sitiones immediatæ. Semper autem alia atq; alia efficitur  
 con-

conclusio, quando diuersæ propositiones immediatæ accipiuntur. Quòd si hic dicat quispiam, primas propositiones immediatas esse ipsa quæ eadem esse dicuntur principia, ne id quidem uerum esse poterit: quando quidem uniuscuiusq; generis una est huiusmodi propositio. Si igitur non possit effatum hoc, de quo agitur, ita accipi, ut ad demonstrandum quoduis, omnia principia ex æquo accommodari possint & debeant: nec rursus illo modo intelligi, ut nil dicatur nisi prout sunt diuersæ singulæ scientiæ, ita diuersa esse principia: relinquitur ut uideamus possitne in eam sententiam cõferri, ut omnium scientiarum principia dicantur esse cognata, et naturæ quadam coniunctione consociata: sed tamen hæc illis probandis esse aptiora, itemq; alia alijs. Atqui perspicuum iam est, ne id quidem fieri posse. Suprà enim demonstratum est, rerum genere diuersarum esse diuersa genere principia. Sunt enim duo principiorum genera. alia sunt, ex quibus conclusiones efficiuntur: alia, quæ sunt ipsæ res, in quibus uersatur scientia: & sunt illa quidem ex quibus communia, hæc uerò in quibus semper sunt propria: quomodo uidemus numerum, rem esse omnino à magnitudine distinctam.

## CAPVT XXVI.

Scientia, & res quæ sub scientiam cadit, differt ab opinione, & re opinabili: quòd in rebus uniuersis, ijsq; necessarijs cernitur scientia necessaria autem hic dicuntur, quæ se aliter habere non possunt. Sunt porrò aliqua quæ & sunt in rerum natura, & uera sunt, quæ tamen aliter atq; sunt, esse possunt. Planum autem est, in ijs non uersari scientiam: alioqui, quæ omnino aliter esse non possent

possent atq; sunt, secus esse possent atq; sunt. Sed nec intelligentia in ijs cerni potest. Intelligentiã enim appello, primam omnis scientiæ originem. Neq; uerò certissima illa, quæ citra ullã demonstrationem acquiritur, scientia in illis uersatur. Ego uerò scientiam hanc appello, perceptionem illarum propositionum quæ nullo medio confirmari possunt. Atqui omnes habitus quibus uera noscuntur, sunt intelligentia, scientia, opinio: & quæ ab ijs cognominata sunt, res ipsæ sunt, quæ uerè ab ijs percipiuntur. Restat igitur, ut opinio in ueris quidem aut falsis cernatur, sed quæ aliter atq; sunt esse possunt: ita ut opinio nihil sit aliud, quàm propositionis nullo certo argumẽto confirmatæ comprehensio non necessaria. quod autem de opinione dixi, id consentaneum est ijs quæ in opinando usuueneri conspiciuntur. Est enim infirma semper atq; incerta opinio: uisq; ac natura ipsius, in hac infirma assensione continetur. His accedit, quòd nemo se dicit opinari, sed planè scire, cum existimat non posse rem aliter habere: sin ita sentiat esse quippiam, ut nihilominus posse aliter esse existimet, tum se opinari dicit: quasi in huiusmodi rebus incertis cerni opinionem indicàs, in certis autè ac necessarijs scientiam. Existit autem hoc loco quæstio, quomodo nõ eadem res sit quam opinamur et quam scimus, & cur non idem sint opinio & scientia, si nil est quod quis scire possit, de quo opinio etiã esse non queat. Num enim quemadmodũ sciens, ita opinator, media singula eousq; persequetur, dum ad prima mediõq; carẽtia proloquia deueniat? Hic uerò quid est cur ob eã causam ille sciat, hic opinator nesciat? neq; enim opinio tantũ uersatur in putando quòd res sit, sed etiam quamobrem

res sit opinabile est, quod nil est quam medii. An si quis ita conceperit animo ea quæ per se necessaria sunt, nec aliter habere possunt, ut etiam teneat ipsis definitiones, ex quibus demonstrationes conficiuntur, an inquam non illa tum opinatio, sed scientia erit? Sin uera illa quidem esse existimet, sed non ita hæc illis conuenire, ut in essentia ac natura rei contineantur, atq; aded per ipsam rei formam, tum opinabitur, non uerè sciet? Et quidè quòd res sit, & quamobrem sit, opinabitur, si nata sit opinio ex quibusdam propositionibus immediatis: at si non ex immediatis, tantum quòd res sit opinio erit. Neq; uerò eiusdem omnino rei sunt opinio & scientia, sed ut uera et falsa opinio, dicuntur quodammodo eiusdem rei esse, ita in eadem re uersari opinionem & scientiam intelligendum est. Dicere enim ueram et falsam opinionem in eadem omnino re uersari, quemadmodum uolunt quidam; id tum multis alijs incommodis quæ ex eo sequuntur refelli potest: tum quia illud, quod ualde absurdum est, sequitur, non opinari nos quæ falsa opinamur. Sed quoniã ambiguum est & multiplex hoc uerbũ, idem propterea fit ut una significatione eiusdem esse rectè dicantur, altera uerò rectè negentur. Nam diametrum conuenire, comparabilemq; esse cum latere, uerè esse opinabile, id absurdum est: hoc tamẽ ipso quòd eadem est diametrum, de qua sunt utraq; opiniones, de eadem re utranq; opinionè esse dicimus: cum ratio quid utrunq; sit ostendens, sit diuersa. Simili modo eiusdem rei esse dicuntur opinio & scientia. Hæc enim ita animal cognoscit, ut non possit non esse animal: illa uerò, ut secus esse possit: perinde ac si una esset in homine, quia homo est: altera autem in ho-

mine etiam, sed non hoc ipso quod homo est. Hæc enim idem sunt, hoc ipso quod homo unum aliquid est, in quo utraq; ceruuntur, ratio autem est diuersa. Perspicuum autem ex ijs est, nil esse quod simul sub opinionem ac scientiam cadere possit. alioqui simul animo concipiemus, posse aliquid aliter esse atq; est, & non posse: quod omnino fieri non potest. Nam ut alio atq; alio tempore, in rem eandem cadat utraque, fieri potest, quemadmodum etiam paulo ante dictum est. At ut eodem tempore id fiat, omnino est à ratione alienum. Sic enim existimaret quispiam, hominem (uerbi gratia) esse id ipsum quod animal (nam hoc idem est, quod non posse esse non animal) & simul non esse id ipsum quod animal. accipitur enim hoc, pro eo quod est, accidere homini ut sit animal. Reliqua autem quæ præter opinabilia supersunt, quomodo sint distribuenda, ut partim ad excogitandum pertineant, partim ad intelligentiam, partim ad scientiam, partim ad artem, partim ad prudentiam, partim ad sapientiam, hæc inquam distributio, ex parte una ad Physicam pertinet, ex altera ad eam philosophiæ partem quæ est de moribus.

## CAPVT XXVII.

Solertia uero est perspicacitas quædam, per quam cuiusq; rei medium & causa nobis statim occurrit. ueluti si quis uidens, semper lucidam partem lunæ ad solem esse conuersam, continuo excogitaret cur ita sit: nempe quod luna solis lumine illustratur. Aut si quis cum diuite aliquo colloquentem uideat alium, confestim iudicet, peti mutuam pecuniam. Aut ob id contractam esse inter aliquos nouam amicitiam, quoniam communem inimicum habere

habere cœperunt. Nam qui medias causas perspicit, statim extrema cognoscit. Est a, lucidam lunæ partem conuersam esse ad solem: b uerò, accendi à sole: c luna. Conuenit igitur c lunæ ipsum b, quod est accendi à sole. & omne b est a: hoc est, à quo lucem accipit quicquam, ad id conuersum esse oportet. quare ipsi c conueniet a, per medium b.

DE DEMONSTRATIONE,  
siue de secunda parte αἰα-

λῦσις,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.



Questionum tot sunt, quot rerū quæ sciuntur, genera. Quatuor autē generibus continentur omnes quæstiones, An ita sit, cur ita sit, sit necne, & quid sit. Cū enim quærimus, sit ne hoc an illud, nō in uerbo simplici, sed coniuncto iam aliquo uerborum numero, uerbi gratia, an sol deficiat an non, tum sit quæstio, an ita sit, quam tum Quale sit, tum quæstionem cōsecutionis appellare latine possumus. Quod autē sic res habeat, argumeto est, quod statim ubi inuenimus deficere solem, cōquiescimus: & si iam ab initio sciremus deficere solem, non quæreremus an ita sit. Postquā autem quod ita sit cognouimus, proximum est ut quā nobis ita sit inuestigemus. ut postquam scimus aut solem deficere aut terræ motum fieri, tum deinde quærimus quam ob causam deficiat, & quæ sit terræ motus causa. Atq; illæ quidem quæstiones, huius

huiusmodi sunt. Aliæ autē sunt, in quibus quærendi ratio est diuersa. ueluti, sint nēcne centauri, aut dij. Hic autem cum quæritur, sit nēcne, in uerbo simplici quæstionem accipi uolo, non autem coniunctē, sit ne albus quispiam, an non. Postquam autem esse rem nobis compertum est, illud proximē sequitur, ut quærat quid sit. uerbi causa, quid deus sit, aut quid sit homo. Quæstionum igitur, & rerum quæ per quæstionem inueniuntur ac percipiuntur, genera tot & talia sunt, quot & qualia diximus.

## CAPVT II.

Cum autem quæritur aut quale sit, aut simpliciter sit nēcne, tum nil quæritur nisi an aliquod mediū sit, an minus, quo utrunq; eorū ostendatur. Postquam autem intellegimus tale esse (id quod in parte aliqua eorum quæ sunt cernitur) aut omnino coherere in rerum natura (qua quæstione nō, sit ne res aliqua hoc aut illud, sed simpliciter sit nēcne quæritur) rursus quærimus, aut cur tale sit, aut quid sit; quibus quæstionibus nil quæritur nisi quōdam sit ipsum medium. Ego uerō quod supra dixi quæstiones, an ita sit, & an sit, in parte & simpliciter quætere, sic interpretor, ut sit in aliqua parte quætere. ueluti si, an luna deficiat aut accrescat, quærat in huiusmodi enim quæstionibus non an sit omnino, sed an sit hoc aut illud quæritur. Simpliciter autem est, cum ita quæritur, sit nēcne luna, sit ne nox an non. In omnibus igitur quæstionibus id usuenit, nil aliud inuestigari, quā aut sit ne mediū, aut quōdam illud sit. Etenim causa & medium idem sunt. in omnibus autem quæritur causa: ueluti cum quæritur an luna deficiat, quid quæso aliud inuestigatur, quā sit ne aliqua defectus causa, an non? Hanc aut-

tem postquam esse aliquam cognoscimus, tum quærimus quæ nam illa sit. Causa enim per quam res est, non hoc, aut illud, sed simpliciter in rerum natura, itemq; causa per quam alicui subiecto conuenit attributū aliquod per se, aut quoddam accidens, utraq; inquam causa medium est. Esse autem id simpliciter dico, quod est quasi subiectum quoddam, cuiusmodi est luna, sol, terra, triangulum: esse uerò hoc aut illud, est, ueluti deficere, æquale esse, in medio esse aut non esse: in ijs enim omnibus perspicuum est, definitionem quæ docet quid res sit, et causam cur res sit, eandem esse. Exempli causa. Quid est defectio lunæ? est interpositu interiectuq; terræ facta lunæ obscuratio. Quamobrem deficit luna? quia lumen eius terræ interpositu obscuratur. Item quid est concentus? est apta numerorum in graui & acuto ratio. Quam ob causam concinunt graue & acutum? eo quòd certam quandam numerorum rationem inter se habent acutum & graue. Postremo si quæretur, possint ne concinere acutum & graue: hoc quæretur, sit ne inter hæc numerorum certa affectio: ac postquam esse quandam intelleximus, tum quænam sit illa ratio & affectio numerorum quærimus. Quòd uerò omnis quæstio ad mediū pertineat, in ijs rebus quæ sub sensum cadere possunt apertissime constat: in ijs enim hæc nobis est causa quærendi, quoniam medium non uidemus. Vt, deficiat necne luna, ob id quærimus, quia sensibus id non percipimus. At si supra lunam essemus, tum neutrum quæreremus, neq; an deficiat, neq; cur deficiat: sed utrunq; nobis statim esset manifestum. Ex sensu enim uniuersi generis conformatio efficeretur. Nam quòd hoc tempore sit interposita terra, quia nunc deficere

deficere lunam perspicuum sit, hoc est quod sensus percipit, mox autē ex eo oritur uniuersi generis notio. Quare nosse quid sit, & cur res sit, idem sunt, sicuti diximus: idq; tum locū habet in ijs quæ simpliciter ac per se sunt, non alteri insunt: tum in ijs quæ in subiecto semper aliquo insunt: cuius generis sunt, habere tres angulos pares duobus rectis, maius esse aut minus. Quod igitur omnes quæstiones ad mediū inuentionem pertineant, ex ijs quæ dicta sunt, perspicuum est.

## CAPVT III.

Quomodo autē quid sit res, hoc est rei definitio, ostendatur, tum qua ratione in demonstracione locum habeat, deinde quid sit definitio, postremò quæ fiat quæ definitione explicentur, nunc dicendum est: sed prius tota hæc disputatio probabiliter ac dubiè tractanda. Ac primum quidem sumamus exordiū ab ea quæstione quæ maxime accommodata uidetur, ad ea quæ deinceps sequuntur intelligenda: quæ est, an eandē rem eadem ratione per definitionem intelligere possimus, quam per demonstrationem cognoscimus: an omnino id fieri non possit. Etenim definitio, quid sit res quæq; declarat: omnia autem quæ quid sit res ostēdunt, & uniuersè enunciantur, & non nisi in affirmatē proloquio dicuntur. Atqui ratio, cinationes sunt etiam negatēs, & in parte interdum concludunt, ut quæ in secunda sunt figura, omnes sunt negantes: quæ in tertia, omnes in parte concludunt. Deinde uerò ne omnium quidem affirmationum, quæ in prima figura concluduntur, definitio esse potest: ueluti huius, triangulum omne habere tres angulos pares duobus rectis. Huius autem rei hæc ratio est, quod scire rem quæ demonstrari potest,

nil est quam eam rem per demonstrationem cognoscere. Quare si est earum rerum demonstratio, statim efficitur non esse earundem definitionem requirendam: alioquin nos per definitionem eas res sciremus, non per demonstrationem: quandoquidem fieri possit, ut seorsum à demonstratione definitionem percipiamus. Satis porro ad faciendam huius rei fidem ualere inductio poterit. nunquam enim earum rerum quæ aut per se insunt, aut alteri accidunt, perfectam scientiam quisquam assecutus est per solam definitionem. Iam uero definitio est, substantiæ ac naturæ declaratio: illa autem, perspicuum est non esse substantiæ. Quod igitur non possit in quâ rem cadit demonstratio, etiam definitio cadere, dictum est. Sequitur nunc alia quæstio: An in quamcunq; rem cadit definitio, possit etiam cadere demonstratio, an potius id fieri non possit? Ac huius quidē rei hæc una ratio est, quod unius rei hoc ipso quod una sit, una est sciētia. Quare si scire rem quæ demonstratione confirmari potest, nil est quam per demonstrationem rei assequi cognitionem, hic rursus idem incommodum efficietur. Nam qui rei definitionem tenebit, citra demonstrationem rem sciet, quæ demonstratione probari potest. Deinde principia demonstrationum sunt definitiones: illorum autem nullam esse demonstrationem, supra probatum est. Aut enim dicendum est, demonstratione confirmari principia, & principiorum alia rursus esse principia, atq; ita nos in infinitum posse regredi: aut fatendum, prima cuiusq; artis initia esse definitiones, quæ citra ullam demonstrationem intelligantur. Sed quoniam non potest omnis res pariter sub utrunq; cadere, nunquid in quibusdam rebus id euenire potest,

potest, ut pariter in eas cadant definitio & demonstratio? An potius ne id quidem fieri potest? Ad quam enim rem definitiones adhibentur, ad eam demonstrationes non conferuntur: siquidem omnis definitio eo pertinet, ut quid res sit, atque essentiam declaret: demonstrationes autem omnes non quid res sit concludunt, sed ante demonstrationem id positum ac perceptum esse debet. Sicuti in mathematicis uidemus statim initio accipi quid sit unitas, quid impar, & huius generis alia. Iam uero quod sub demonstrationem cadit, propositio est, in qua alterum de altero dicitur: eorum autem quae in definitione continentur, nunquam alterum de altero enunciat. uerbi causa, nec animal de bipede, nec uicissim bipes de animali enunciat. Item figura de plano non dicitur: quando quidem nec planum figuram esse, nec figuram planum ipsum esse, uerum sit. Praeterea aliud est quid sit, aliud quod res sit ostendere: definitio autem quid res sit declarat, demonstratio uero semper unum alteri conuenire aut non conuenire ostendit. Et ut res sunt diuersae, ita semper est alia atque alia demonstratio, nisi alterum sit affectum ad alterum, ut pars quaedam ad totum. Ego uero hanc partis ad totum affectionem sic interpretor. exempli causa, postquam ostensum est omne triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, non alia requiritur demonstratio, qua id isosceli conuenire ostendatur, eo quod haec pars est, illud totum. Atqui non sic affecta sunt inter se ista duo, quid sit, & quod sit, nec unum pars est alterius. Perspicuum igitur est, nec omne quod definitur posse demonstrari, nec contra omne quod demonstratur posse defini. Unde fit, ut in rem eandem

nunquam utraq; cadere possint. Ex quo planum est, nec definitionem & demonstrationem idem esse, nec alterum in altero quasi partem in toto contineri: quandoquidem necesse esset, si illo modo affectæ essent inter se definitio & demonstratio, ut etiam res illis subiectæ eodem se modo respicerent. Atq; illæ quidem quæstiones hæcenus satis agitatae sunt.

## CAPVT IIII.

Nunc sequitur ut quæramus, an quid sit res, possit ratiocinatione, adeoq; demonstratione concludi: an potius, quemadmodum hæc quæ paulo antè posita sunt rationes ostendebant, id fieri omnino non possit. Omnis enim ratiocinatio unum alteri conuenire, per medium ostendit. Omnis autem definitio, est rei quæ definitur propria, & in quæstione qua quæritur quid res sit, dicitur. Ea uerò quæ huius generis sunt, necesse est omnia uicissim retrò commeari. Nam si a extremum maius, proprium est minori c, necesse est ut etiam sit idem a proprium medio b, itemq; b proprium ipsi c, atq; ita uicissim omnia reciprocantur. Atqui si ita conueniat a ipsi b ut sit eius definitio, itemq; b ipsi c ut eius etiam definitio sit, necesse erit a ipsi c ita conuenire, ut quid sit declaret. Quòd si sumerentur propositiones citra illam geminationem, id non posset concludi, a ita inesse ipsi c, ut in quæstione quid est dicatur. Sed nec si propositio, Omne b est a, illam adiectionem ut definitio, habeat; in assumptione autem Omne c est b, omittatur. At si in sumptionibus utrisque sumatur illa adiectio, ut & definitio, iam igitur in ipsa assumptione acceptum erit, b definitionem esse ipsius c. Itaq; si utraque sumptione accipiatur definitio, & quid res

res sit ostendens oratio, iam ante conclusionem in ipso medio definitio, quæ quærebatur, accepta erit. Ac ut paucis absoluam, ponamus, uerbi gratia, demonstrari posse quid homo sit, atque esto c homo, a autem definitio, animal bipes, aut alia quæuis, ut igitur id tandem ratione concludatur, necesse est in omni b inesse a, medium autem uerbum est alia quædam definitio, quare etiam illa quid homo sit indicabit. in assumptione igitur, id ipsum quod demonstrandum erat, accipitur: b enim est hominis definitio. Sed ut id apertissime fieri uideatur quod dico, sumendæ sunt duæ propositiones primæ & immediatæ. Qui igitur ex eo uolunt ostendere quid anima sit, aut quid homo, quod reciprocari inter se duas quasdam orationes conspiciunt, id ipsum quod à principio quærebatur, ad probandum accipiunt. exempli causa, si quis ostendere uelit animum esse id quod sibi ipsum uitæ est causa, ex eo quod est numerus seipsum mouens: priusquam id efficiat quod uult, necesse est ut antè postulet, animo ita conuenire numerum seipsum mouentem, ut cum animo idem sit: atque ita idem, ut definitio sit. neque enim si quoquo modo conueniat a ipsi b, & b ipsi c, ad extremum efficietur a ita conuenire ipsi c, ut eius definitio sit: sed id modò concludetur, uerum esse, omne c esse a. Sed nec conclusio huiusmodi efficietur, etiam si in omni b ita dicatur a, ut uerum sit, b esse id ipsum quod a. in homine enim ita uidemus animal dici, ut animal esse homini rectè attribuitur: quandoquidem non minus uera sit hoc modo enunciatio, esse hominem est esse animal, quàm illo, omnis homo est animal, attamen non ita conuenit animal homini, ut una eadem

eademq; res sit homo, atq; animal. Ergo nisi illo quo diximus modo sumptiones accipiantur, nunquã effici poterit, ita conuenire a ipsi c, ut ea sit eius definitio atq; essentia. At si tales sint quales uolumus sumptiones: iam, antequam ad conclusionẽ perueniatur, in assumptione, b esse definitionem ipsius c, acceptum erit. Itaq; non erit illa demonstratio: quandoquidem id ipsum quod ab initio in quæstione positum est, in probando accipitur.

## CAPVT V.

Neque uerò illa probandi ratio quæ per diuisiones absoluitur, ad demonstrandum ualeat, sicuti eo loco diximus, ubi de dissolutione figurarum egimus: quia non ita ex alijs alia conficiantur, ut conclusionem, quia sunt antepositæ sumptiones, esse concludamus. Sed hac uia non magis res demonstratur, quàm quum inductione aliquid ostenditur. neque enim cum res demonstratur, interroganda est, perinde atque propositiones, ipsa conclusio. neque ob eam causam rem esse oportet, quia admissum est ita esse: sed ex sumptionibus efficienda est necessariò conclusio, etiamsi is qui cum disputatur, non admittat. Verbi causa, nunquid homo aut animal est, aut inanimal? tum ex hac interrogatione sumitur, non autem necessariò concluditur, hominem esse animal. Deinde num sit omne animal aut terrenum, aut aquatile? hic etiam accipitur, non probatur terrenum esse. Ad extremam autem, de homine coniunctim dici animal terrenum, non necessariò ex antepositis conficitur, sed id quoq; concedi à respondente, itaq; accipi oportet. Quod uerò hic in duobus uerbis ostendi, idem fieri intelligendum, si plura accipienda essent. quid enim inter  
est, ut

est, in multis an paucis id accidere ostendatur? Iam uerò tametsi esset hæc ratio concludendi per diuisionem necessaria, tamen ad hanc rem, de qua agitur, concludendam non ualeret. Primum enim quid uetat totam aliquam orationem uerè in homine enunciari, nec eam tamen esse definitionem, neq; omnino quid homo sit indicare? Deinde uerò, quid in hac probandi ratione prohibet, quo minus plus aliquid aut minus accipiam quàm necesse est? aut quo minus transfiliendo explicem essentiam? Verum enim tria hæc quidem uitia in definiendo per diuisionem committi possunt: sed tamen non est difficile illa declinare, modò inter diuidendum nil accipitur quod essentiæ attributum non sit: & ducto initio à primo genere, deinceps & eo ordine quo diuiduntur, omnia sumatur, ita ut interim nil prætermittatur. Quam uerò id sit in diuidendo necessarium, facile uidebimus, modò id putemus in omni bona diuisione obseruandum esse, ut diuisionis partes uim uniuersam complectantur rei quæ diuiditur, & ut in ea nil minus positum sit. At qui hæc inter diuidendum necessariò obseruanda sunt, quia necesse est omnem definitionem ad unam quandam naturam specie indiuiduam conferri. Sed tamen nulla inest uis necessariò concludendi in diuisionibus: sed si qua est in ijs utilitas, in eo est quod alio quodam modo ad explicandam atq; illustrandam rem ualet. id quod non incommodè fieri uidetur, quando quidem eum qui inductione utatur, non probare rem necessariò, nihilominus tamen illustrare, & alio quodam modo declarare perspiciamus. Qui igitur per diuisiones definitionem colligit, nihil adhibet ex quo rem ueluti necessaria conclusionem

sione efficiat. Nam quod usuuenit in ijs conclusionibus, in quibus citra iustam uerbi medij collocationem ex antecedente colligitur consequens, ut ad extremum queratur, unde & quamobrem illa sequatur complexio: illud idem in definitionibus accidit, quæ per diuisionem colliguntur. Verbi causa, si ostendatur quid homo sit, singulis partibus definitionis hoc modo deinceps collectis, animal, mortale, ingrediens, bipes, pennis carens, ut quæ pars adijcietur in definitione, ita rogabitur in singulis, unde & cur illud colligatur. Nam hæc tamen tantum ualeat (in quo illi non falluntur) hæc probatio, ut ostendat omnem hominem esse aut mortalem, aut immortalem: huiusmodi autem tota oratio, non est definitio: quare ut etiam illud positum sit, diuisionem habere uim aliquam probandi, hanc tamen esse rei definitionem non potest necessario concludere.

## CAPVT VI.

Sed nunquid potest, quid res sit atq; essentia, ita demonstrari, ut ante subiiciatur illa propositio: illa oratio rei essentiam continet, quæ est propria alicuius rei, & constat ijs uerbis quæ ad ostendendum quid res sit ualent? Atqui hæc sola sunt, quæ quid sit hæc res ostendunt, & tota oratio propria est: ex ijs enim num ita recte concludi potest, hæc igitur oratio quid res sit indicat? An etiam in hac probatione idipsum quod in quaestione est, uidelicet, quid sit res, in sumptionibus accipitur? Necessè uerò est, ut recte demonstretur, aliud quoddam medium adhibere. Iam uerò quemadmodum quoties ratiocinatione aliquid concludimus, non sumimus quid sit ratiocinatio, quandoquidem est ita semper affecta unaquæque propo-

propositio, ex qua constat ratiocinatio, ad alteram, ut  
 illam ueluti totum, aut ueluti illius pars quædam respec-  
 tui: ita in hac qua quid res sit ostenditur probatione,  
 non debet quid sit ipsa definitio accipi, sed seorsum à  
 sumptionibus seponenda est ratiocinationis definitio:  
 quæ tum usui erit, cum erit controuersia, an aliqua iam  
 antè facta argumentatio sit ratiocinatio, necne. tum  
 enim ita occurrere licebit, ut ostendamus esse ratioci-  
 nationem, quia talis sit argumentatio, cui ratiocina-  
 tionis definitio conueniat. Simili modo, postquam esset  
 probata aliqua ratiocinatione definitio, si quis ambige-  
 ret esse ne illa definitio an non, tum locus esset definitio-  
 ni definitionis, qua ostenderetur hanc esse definitio-  
 nem, quia talis oratio sit, qualem esse definitionem po-  
 situm est. Itaq; necesse est, ut ratiocinatio sit citra de-  
 finitionem ratiocinationis, ita quid res sit ostendere, non  
 adhibita definitione definitionis. Ac uitium quidem i-  
 dem committitur, si ex conditione hunc in modum quid  
 res sit ostendatur. Si est bonum malo contrarium, &  
 indiuiduum, diuiduo, sit autem mali essentia diuiduum  
 esse, erit etiam boni natura indiuiduum esse: atqui bo-  
 num malo, & diuiduum indiuiduo aduersatur, estq;  
 mali natura diuiduum esse: est igitur boni natura atque  
 essentia indiuiduum esse. Nam hic quoq; definitio, quæ  
 id ipsum est quod quæritur, in sumptionibus accipitur.  
 At enim, inquit, hic quidem ad probandum quid res  
 sit, accipitur definitio, sed diuersa ab ea quæ ostendi-  
 tur. Esto. at in demonstrationibus, non modò id ex quò  
 aliud probatur, non debet esse idem, sed etiam tale,  
 quale non sit eiusdem rationis cum eo quod probatur,  
 quodq;

quodq; non possit uicissim recte ex illo demonstrari. Communis porro ratio est aduersus utrosque, eos inquam qui diuisione, & qui hoc de quo loquimur, syllogismo, definitionem demonstrare conantur: Cur potius erit citra conjunctionem expressa hæc oratio, homo est animal bipes, terrenum, definitio hominis: quàm illa, animal & bipes? Nil enim in sumptionibus harum probationum sumitur, unde necesse sit, ex singulis definitionis partibus unum attributum fieri, non magis quàm quomodo idem homo est musicus & grammaticus.

## CAPVT VII.

Quæ igitur demonstranda definitionis & nature ratio restabit? Neq; enim ex quibusdam positis, ita quid res sit ostendi potest, ut hoc esse necesse sit, quia illa sunt ante posita: esset enim hæc demonstratio. Neq; uerò ex rerum singularium inductione, quid sit res ita demonstrabitur: ut quoniam rebus singulis omnibus conuenire aliquid persequimur, in toto genere illud concludamus: quandoquidem inductione non quid sit, sed sit necne res ostendatur. Nunc uerò, præter illa duo probandi genera, quæ potest esse reliqua ratio? Neq; enim sensu, aut digito, quid res sit demonstrari potest. Iam uerò quomodo quid homo sit definiendo demonstrari potest? necesse enim est ut omnis qui scit quid homo sit, aut aliud quiduis, quod ipsa res sit cognoscat. Nã quod nõ est, nemo scire potest quid sit: sed tantum quid aut oratio, aut uerbum significet. ueluti quid significet tragelaphus intelligi potest, quid sit ipse tragelaphus non potest. Atqui docendo quid sit, quomodo eadem ratione etiam quod res sit doceri potest? aliud enim est definitio, aliud demonstratio: ut quid homo sit, aliud est,



stantiæ non sunt, atq; adeo in ea quæ omnino in rerum natura non sunt, definitiones cadere possent. in ijs enim quæ non sunt, potest quæ sit uis ac significatio uerbi ostendi. Deinde, quod omnes orationes possent esse definitiones. nam quæ tandem oratio est, cui unum nomen imponi non possit? itaq; omnis disputatio, omnis sermo, definitionibus constabit: & non incommode illius Homeri definitio appellabitur. Postremo, quia nulla scientia est, in qua id demonstratione concludi uideatur, quod sit huius nominis illa significatio: neq; igitur in ipsis definitionibus inerit uis demonstrandæ huius rei. Atq; ex ijs quidem quæ hætenus dicta sunt, hæc omnia uidentur esse uerisimilia, definitionem & demonstrationem neq; idem esse, neq; in eadem re uersari: itemq; definitionem non habere uim demonstrandæ, imò ne declarandæ quidem cuiusquam rei: postremo, quid res sit, nec definitio ne, nec demonstratione posse cognosci.

## CAPVT VIII.

Nunc uerò est aggredienda rursus huius rei disputatio, ut uideamus ex ijs omnibus quid uerum, quid non uerum sit: tum quid sit definitio: deniq; num questio Quid est, demonstratione quodam modo & definitione absoluat, an uerò id nullo modo fieri possit. Quoniam igitur idem est (ut supra diximus) nosse quid res sit, & causam qua questio An sit, absoluitur: ratio autem huius questionis An sit, est, quia aliqua est per quam res esse ostenditur causæ: & quidem causa quæ redditur, aut una tantum est, ac eadem semper causa, aut alia est rursus superior causa: & si est alia causa, uel ex hac illa demonstrari potest, uel non potest. Ergo si est alia causa superior,

superior, ex qua demonstratio confici possit, necesse est ut pro uerbo medio illa causa accipiatur, & ut in prima figura concludatur demonstratio: quandoquidē uniuersa affirmatio est, quæ hac probatione ostenditur. Atque ille quidem erit unus modus qui hac ratione continetur, probanda unius definitionis per alteram: medium enim ad probandam definitionem accommodatum, est definitio: & cum demonstratur aliquid quod proprium est, medium etiam proprium esse oportet. Ita ergo statuendum est, ex definitionibus eiusdem rei, unam concludere posse, alteram non posse. Ac genus hoc probationis, non esse demonstrationē ipsius definitionis, iam antè dictum est. sed id non potest negari, quin sit ratio cinatio logica ipsius definitionis, hoc est, probatio ex qua quid res sit, certa quadam ac necessaria ratione intelligitur.

## CAPVT IX.

Quo autem modo id accipiendum sit quod dixi, logica ratiocinatione quid res sit cognosci, nunc paulo altius repetito initio dicamus. Ac primum quidem, quemadmodum postquam quale sit intelligimus, cur ita sit querimus, & simul interdum utrunque cognoscimus: sed nunquam prius quam ob rem res sit percipi potest, quam ita esse intelligamus: ita planè quid res sit, nisi esse ipsam cognitum sit, cognosci nunquam potest: quia nemo potest scire quid sit illa res, quam sit necne ignorat. Est porro duplex ratio intelligendi utrum sit res, necne: una per accidentia, altera per ea quibus rei uis atque natura continetur. ueluti esse tonitrum, quia est strepitus in nubibus: et defectiōnem, quia sit luminis priuatio: & hominem, quia sit animal quoddam tale: & animum, quia

quia sit illud quod à seipso agitatur. Cum igitur per accidētia rem esse intelligimus, tum nil adfertur unde nos quid res sit assequi possimus, quando ne an sit quidē hac ratione perspici, certoq; cognosci queat. Quærere autem quid sit, cum rem esse nescias, inane est, nulliusq; momenti. Cum uerò ad docendū rem esse, adhibentur ea quæ ad explicationem naturæ pertinent, tum minimo negotio ad cognitionem quid sit peruenitur. Itaq; ut quisq; affectus est ad cognoscendum an sit, ita ad intelligendū quid res sit, aut propius aut longius abest. Ac in hīs quidem ubi rem esse cognoscimus per ea quæ quid res sit ostendunt, prius exemplum subijciamus. Esto defectio a, luna c, terræ interiectus b. Quærere ergo utrū defectio sit, necne, nil est quàm sit necne medium b, inuestigare. At enim hoc mediū inquirere quid aliud est, quàm definitionem ipsam quærere, sit necne in rerum natura? itaq; si esse definitionem comperiamus, & ipsam defectionem esse intelligimus. Et ut aliud exemplum subijciam, quærere sit necne hæc proprietas, habere tres angulos pares duobus rectis, idem ualet ac si quæreretur, utrius partis contradictionis ratio in rerū natura cohereat, affirmationis ne, quæ est habere tres angulos pares: an negationis, quæ est non habere. Atq; illam quidem rationem ubi inuenimus, tum simul & quòd ita sit, et quam ob causam, intelligimus, si modò proprio suo ac uero medio utramq; quæstionem tractemus. Nam si secus faciamus, rem quidē ita esse cognoscemus: cur autem sit, minime intelligemus. uerbi gratia, Sit luna c, defectio a, lunam cum plena sit subtracto etiam omni obstaculo umbram non facere b. si igitur ipsi c conueniat b, hoc est si luna non possit

possit umbram facere quum pleno orbe conspicitur, & nihil inter nos & lunam uideatur esse interiectum: huic autē b medio conueniat a, quod est deficere: hac quidem ratione ostendetur lunam deficere, sed quamobrem deficiat, nondum perspectum erit: & esse quidem in rerum natura defectiōne intelligitur, sed quid sit, ex eo percipi non poterit. Porro cum perspectum est ita esse quippiā, tum proximum est ut quærat, cur ita sit: quæ quæstio eam uim habet, ut perinde sit ac si quæreretur, quidnam sit ipsum b: nempe an b sit terræ interiectus, an ipsius lunæ conuersio, an uerò lucis extinctio. Hæc autem est definitio alterius extremi: ueluti in hoc exemplo, medium est definitio ipsius a maioris extremi: nil enim est lunæ defectio, quam terræ interpositus. Quid est tonitrus? est ignis extinctio in nube. Cur tonat? quia extinguitur & opprimitur in nube ignis. Sit igitur nubes c, tonitrus a, ignis extinctio b. Ergo c, hoc est nubi, inest b: quia uerum est, in nube ignem opprimi. Huic autē b conuenit a, quod est tonitruum: & definitio maioris extremi a, est ipsum b. Nunc uerò, si aliud quoddam adhiberi medium posset ad concludendam hanc propositionem, necesse esset ut illud rursus medium, una esset ex reliquis definitionibus, quibus quid hæc eadem res sit ostenditur. Quo igitur modo quid res sit assequamur, & qua ratione id ipsum manifestum fiat, dictum est. Ac illud quidem ex ijs quæ dicta sunt efficitur, nec demonstratione, nec ulla necessaria conclusione quid quæque res sit probari posse: nihilominus tamen per aliquam ratiocinationem & demonstrationem apertum fieri quid res sit. Ideoq; definitiones quæ alia rursus causa concluduntur, non possunt

illa quidem citra demonstrationem percipi: & tamen demonstratione probari quid res sit omnino non potest, sicuti supra recte ostensum est, cum adhuc dubitater regula & sine ulla affirmatione proponebamus.

CAPVT X.

At enim ex ijs quae ad probandum sumuntur, quaedam sunt quibus confirmandis alia rursus ratio desideratur, alia quae superiorem causam nullam habent. Vnde satis constat, eas definitiones esse quaedam ueluti initia, quibus probandis nullo argumento opus est: sed statim initio & quod sint, & quam uim habeant accipitur, aut alio quodam modo manifestae fiunt: id quod arithmeticus facit, quando statim initio, & esse unitatem ponit, & quid ipsa sit declarat. In quibus autem probandis aliud atq; aliud medium reperitur, cumq; non illa tantum quae in aliqua demonstratione accipitur, est rei definitio, sed alia quaedam, quae est huius ueluti causa, illud profecto tum usuuenit quod diximus: nempe, definitionem quidem per demonstrationem explanari, sed hanc huius esse definitionem, nullo modo probari. Quoniam autem definitio uocatur oratio quid quaeq; res sit declarans: hinc profecto planum est, genus quoddam esse definitionis, quo explicatur quae sit cuiusq; uocabuli significatio: aut si breuius appellare libet, nominis explicatio. cuiusmodi est oratio qua docetur, quae sit uis ac significatio huius uerbi triangulum: postquam esse assecuti sumus, tum quamobrem sit quaerimus. Difficile autem est ex hoc definitionum genere, naturam rei assequi, quam sit necne ignores. Huius uero difficultatis causa paulo ante a nobis explicata est, nempe quod ne an sit quidem huiusmodi

huiusmodi argumentis certò scimus, sed fortè temere, & (ut ita dicam) per accidens tantum. Porro autem oratio duobus modis una appellatur, priore modo, dicitur oratio una per coniunctionem, ut illas uniuersa: posteriore, una ex eo appellatur, quòd unum quippiam uni attribuitur, atq; ita unum, ut per se ac proprie, non fortuito & ueluti casu aliquo unum sit. Atq; illud quidem unum genus definitionis est, quod modò explicatum est. Aliud autem genus est, quo causa cur res sit, continetur. Itaq; prius genus ad rem quidem explanandam ualet, ad probandam minimè: posteriore autem genere definitionis, quandam ueluti demonstrationem contineri, ipsa per se ratio definiendi declarat, quandoquidem à demonstratione tantum collocatione differat. Est enim alia ad quæstionem, cur tonat, alia ad quæstionem, quid est tonitruum, respondendi forma. nam ad illam respondetur, quia extinguitur ignis in nubibus: ad hanc autem, qua quid sit tonitrus quæritur, hoc modo respondetur, Est strepitus oppressi & extincti ignis in nube. Quare eadem hæc oratio, uno modo expressa, definitio est: alio modo, demonstratio: non illa quidem suis sumptionibus distincta, sed una quadam oratione tota simul comprehensa. Præter hanc autem alia est tonitrus definitio, strepitus in nube factus. Hæc autem est conclusio illius demonstrationis, per quam illustrari quid res sit diximus. Aliæ uerò definitiones earum rerum quæ initio citra ullam probationem accipiuntur, nihil sunt quàm positiones quædam, quibus nulla adhibita demonstratione, quid res sit ponitur. ut igitur rem in pauca conferam, unum genus definitionis est, quod nulla ex parte demonstratio-

nem desiderat. alterum est, in quo ratiocinatio, quæ adhibetur ad illustrandâ definitionem, continetur: & hoc tantum à demonstratione distinguitur, quòd mutata ali quantum uerborum terminatione exprimitur. Tertium est, quod conclusionis obtinet locum in demonstratione, qua quid res sit illustratur. Atq; ex ijs quidem quæ diximus, perspicua sunt hæc omnia: primum, quomodo in definitionem demonstratio cadat, & quomodo non cadat: tum in quas definitiones possit, & in quas non possit cadere demonstratio: deinde, quot sint definitionum genera, & quonam modo quid res sit ostendat definitio, & quomodo non ostendat: mox, quarum rerum sit, quarum non sit definitio: postremo, quomodo est ad demonstrationem affecta definitio, & qua ratione in eadem re cer ni utraq; possunt, quaq; ratione non possunt.

## CAPVT XI.

Quoniam autem censetur quisq; tum demum rem scire, cum est assecutus causam: causarum autem quatuor sunt genera: unum est, forma atque essentia cuiusq; rei: alterum est, in quo inest necessitudo non absoluta, sed ex adiunctione, si alia quædam sint, hoc esse necesse est: tertium genus est, id in quo inest rei efficiendæ uis primaria: quartum est finis, cuius causa aliquid fit: omnia quidem certè ista causarum genera, pro medio adhibita in demonstratione intelliguntur. Ac primum quòd genus illud causæ, ex quo necessarium esse ut aliud sit concluditur, medium sit, hinc intelligitur, quòd illa consequentis ex antecedente consecutio, accepta una propositione non censetur habere uim necessariam, sed minimum ut duæ summptiones antecedant necesse est: duas uerò ad aliquid

liquid efficiendum sumptiones accipere, quid est, quam unum quoddam medium habere? Hoc igitur uno medio accepto, necesse est conclusionem esse. Sed etiam exemplo idem illud ostendi potest. Sit quaestio, quamobrem rectus est angulus, qui in semicirculo descriptus est? aut si accommodatus ad hoc causae genus quaerere uelis, quid est quo posito rectum hunc angulum esse necesse est? Esto autem angulus rectus *a*, dimidium duorum rectorum angulorum *b*, angulus in semicirculo descriptus: et igitur *a* conueniat ipsi *c*, id est ut sit rectus angulus qui in semicirculo descriptus est, causa est *b*. Et enim paria sunt *a* & *b*, itemque *c* & *b*. omnis enim angulus qui dimidium habet duorum rectorum, est rectus. Ergo quia *b* est, hoc est dimidium duorum rectorum angulorum, necesse est *a* omni *c* inesse: quod est, rectum esse angulum qui in semicirculo descriptus est. Medium porro istud idem ualet, quod forma atque essentia rei, propterea quod oratio haec illam ipsam declarat. At uero quod causa, qua forma atque essentia rei continetur, medium sit demonstrationis, iam supra dictum est. Alia itaque causa explicanda est. Quamobrem Medi aduersus Athenienses bellum gesserunt? Eo pertinet haec quaestio, ut causa quaeratur, quae effecerit ut bellum Atheniensibus inferretur: quae est, propterea quod Athenienses ipsi una cum Eretrijis incursionem in Sardeis fecerant. Hoc enim est quod primum ad bellum Medos excitauit. Sit igitur bellum *a*, priores impetum facere *b*, Athenienses *c*. Et igitur conuenit ipsi *c*, quod est, Athenienses priores inuasisse: & *a* ipsi *b*. nam eos bello persequi, qui priores laeserunt, aequum est. Ergo hunc in modum haec ratio

connectitur. Omne b est a, hoc est, omnes qui priores inuaserunt, iusto bello oppugnantur: omne c est b, hoc est, Athenienses autem priores bellum intulerunt. Atque in hac ratione, medium, est causa, in qua motionis principium cernitur. Superest ut de ijs dicamus, in quibus finis cuius causa fit aliquid, accipitur. exempli gratia: Quam obrem deambulamus? ut ualeamus. Quam ob causam deambulare? ut supellectilem uniuersam seruemus. Atque in superiori quidem quaestione finis est, ualere: in posteriori, seruare. Porro autem inter has interrogandi rationes, cur post cenam inambulare oporteat, & cuius causa, nil interest. Esto igitur deambulatio post cenam c, non fluitare cibos in stomacho b, ualere a: id igitur efficit deambulatio post cenam, ne ad os uentriculi redundent cibi: id autem ad seruandam ualetudinem plurimum ualet. Conuenit enim ipsi c, quod est inambulare, b, quod est non fluitare cibos in stomacho: itemque ipsi b conuenit a, quod est utile esse ad ualetudinem conseruandam. Causa igitur cur omni c insit a, quod nihil est quam finis cuius causa illud fit, est b. hoc autem b est ueluti illius definitio. nam si quis docere uelit quid sit a, in definitione explicanda ipsum b accipiet. Cur autem b insit ipsi c, causa est, quod ita in inum stomachum cibos deprimi salubre est. Atque ut ista singula apertius uideantur, commutandae sunt superiores propositiones. In ijs autem causis atque in efficientibus, rerum ortus contrario modo spectatur. efficientes enim causae, quae pro medio in argumenti conclusionem accipiuntur, tempore praecedunt, & ante nascuntur quam effecta: contra in finibus, c minus extremum antecedit; finis autem ipse cuius causa ille fit, postremus

postremus est. Accidit autem interdum, idem effectum probari non modò ex fine, sed etiam ex materia, quæ necessitudinis causa dicitur. ueluti cur lumen per laternam transmittatur? Huius rei causa duplex redditur. una est, quia necesse est ut per maiores meatus, id quod subtilioribus constat partibus, transmittatur: siquidem eo lux cernatur, quia corpus aliquod permeet & transeat. altera, est finis, ne uidelicet uspiam offendamus. At enim, si in ijs quæ sunt, duplex causa reddi possit, nunquid etiam in ijs quæ sunt, idem illud usuenire poterit? Et certè potest. nam si eam ob causam tonitrus fiat, quia restringitur ignis, hæc una causa erit, cur strepitum illum & stridorem in aere fieri necesse sit: alia autè causa erit (si uerum est quod aiunt Pythagorei) ad terrendos manes qui sunt in tartaro. Sunt autem huius generis plurima, ac potissimū in ijs quæ natura constant et fiunt. Cum enim ad suum quendam finem pertineat semper natura, tum omnia nescio qua facit necessitate. Est uerò duplex quæ in rebus cernitur necessitudo. una, quæ est naturæ & ingentitæ cuiq; rei inclinationi consentanea. altera est, quæ uim adfert, et naturali cuiusq; rei inclinationi repugnat? ueluti lapidem & sursum & deorsum quadam necessitate ferri rectè dicimus: sed non idem esse necessitatis genus, facile perspicitur. Ex ijs uerò quæ ratione & artificio fiunt, quedam sunt in quibus casus nullum locum habere potest: cuiusmodi sunt domus & statua, quæ nõ illa quidem necessariò fiunt, sed ad finem aliquem semper pertinent. alia sunt, in quibus etiam fortuna interdum cernitur: qualis est ualetudo, & salus cuiuspiam. Posterioris autem generis ea potissimum sunt, quæ ut hoc modo,

ita

ita secus fieri possunt, quo tempore non erit rei euentus fortuitus. Quocirca finis est bonum aliquid, cuius causa aliquid aut natura, aut arte fit. Nam quod fortuito euenit, nullius rei gratia fieri dicitur. Porro autem quæ causa est eorum quæ sunt, eadem est eorum quæ fiunt, & quæ facta sunt, & quæ futura sunt: quandoquidem quæ rerum causa est, ea in demonstratione medium est. Verum id est diuersum, quod in ijs quæ sunt probandis, medium quod iam est, accipitur: in ijs autem quæ fiunt, fieri medium sumitur: in factis factum, in futuris futurum. uerbi causa, cur fuit lunæ defectio? quia fuit terræ interiectus: sit autem defectio, quia interponitur terra: erit, quia interponetur: est autem defectio, quia est terræ interpositus. Esto autem & aliud exemplum, ac primum definiatur glacies aqua concreta: tum aqua sit c, concreta sit a, causa autem ac medium sit b, quod est caloris usquequaq; defectio. in ipso igitur c dicitur b: & in hoc ipso b, a inest, quod est congelare. gignitur autem glacies, cum gignitur medium b: et fuit glacies, quia fuit b: & erit, quia futurum est ut b sit. Atq; huiusmodi quidem causæ simul sunt cum effectibus, ita ut cum fiat unum, fiat alterum: & quo tempore unum est, eodem tempore alterum esse necesse est. nec secus in præterito & futuro tempore fit.

## CAPVT XII.

In ijs autem quæ nõ simul sunt, quæstio est, an, quemadmodum nobis uidetur, ita res habet: ut ex causis effecta sequantur continuo, hoc est, perpetua quadam, & nullo temporis spacio intercisa consecutione: cum interim sit semper rei factæ causa, res facta: rei futuræ, futura:

tura: & rei quæ fit, quippiam quod paulo antè fiebat. Est igitur in primis hoc loco perspicuum, semper ab eo quod posterius factum est, duci argumenti cõclusionem: nec immeritò. est enim ijs quæ facta sunt, quasi principium quoddam, id quod posterius factum est: ob eamq; causam in ijs quæ fiunt, eodem modo argumentum ducendum est à posteriori. à priori uerò argumentum ducere nullo modo licet. neq; enim rectè efficies, si, quia est aliquid iam factum, uelis concludere, id quod posterius est, esse factum: quod idem in futuris intelligendum. Siue enim incertum, siue certum quoddam tempus proponas, id nunquam efficies ut rectè sequatur: si hoc factum est, ergo illud quod posterius est, factum est. quandoquidem necesse est hanc conclusionem falsam esse toto illo tempore, quod interiectum est inter prius factum & posterius: eademq; ratio est in futuris. Neq; uerò ad hunc modum rectè efficies, quia illud factum est, necesse esse ut illud post fiat. medium enim demonstrationis simul genitum esse debet cum re quæ concluditur: nempe eorum quæ facta sunt, medium est quod factum est, futurorum futurum, eorum quæ fiunt quod fit, eorū quæ sunt quod est. Atqui quod factum est, & quod futurum, genita simul esse non possunt. Iam autem siue incertum, siue certum ac definitum quoddam tempus accipias, nil, ut id rectè sequatur, effeceris: quia illo toto spacio tēporis quod interiectum est inter id quod factum est, & quod futurum est ut fiat, falsa erit illa cõplexio. Sed quid illud sit, quo res ita connectuntur & cõtinuantur, ut statim post factum esse sequatur fieri, uideamus. An non uerum est cohærescere inter se id quod factum est, & quod fit?

Btenim

Etenim contingere & coherere inter se nõ possunt duo (ut sic dicam) facta esse: quia ipsa extrema quædã sunt omnino indiuidua. Vt igitur non possunt puncta punctis coherescere, ita factum esse cum altero eiusdem generis perpetuari non potest: utraq; enim indiuidua sunt. Vnde efficitur, ut nec factum esse & fieri, contingere inter se possint: fieri enim, diuiduum est: factum esse, in diuiduum. Quod igitur est punctum ad lineam, hoc est factum esse ad fieri: quandoquidem in eo quod fit, insunt facta infinita. Sed de ijs clarius dicendi alius est locus, ubi genus uniuersum motus explicatur. Atq; illa quidem hoc loco sufficient, de ratione quam habet causa, quæ pro medio accipitur, ad effectũ, in ijs rebus in quibus deinceps ex alijs alia oriuntur. Nam cum argumenti conclusio in ijs rebus connectitur, perinde inter medium & maius extremum nil debet esse interiectum, atq; inter alijs. Exempli causa, factum est a, quia c factum est, ubi c posterius est, prius a. Ob id autem c in hac conclusione principium est, quia propius ad instans accedit, quod est temporis principium. tum uerò, quoniam d factum est, necessario efficitur c factum esse: illud igitur ad extremum necessario concluditur, quia d factum est, a factum esse: cuius rei causa est c. Etenim si factum est d, necesse est ut c factum sit: si autem c factum est, necesse est ut a prius factum sit. At quæret quispiam, fieri id possit, ut medium tandem accipiatur usq; eò coniunctum, atq; adhaerescens, ut nullum sit præterea medium? an uerò quia mediolorum infinitis quædam inest, aliud atq; aliud semper accipi possit? Nam hoc paulo antè dictũ est, non posse inter se connecti & coaptari duo facta.

facta. Verumenimvero, quicquid contra obijciatur, illud certum est, ducendum semper initium ab eo medio quod instanti est propinquius. Eadem autem ratio est in futuris. Nam si uerum est fore d, illud necessario prius futurum est ut sit a, ubi etiam causa est c. Si enim erit d, prius erit c: si autem erit c, prius erit a. neque uerò in ijs minus est infinita diuisio, quam in factis. nec enim momenta quæ in futuris cernuntur, continentia esse possunt. Porro illud etiam in his obseruandum est, ut initium accipiatur ab eo, citra quod nullum sit interpositum medium. Quod autem modò dixi, in ipsis etiam arborum operibus cernitur. ut si domus facta est, necesse est incisos atque adeò paratos fuisse lapides. Cur autem id necesse sit, causa est, quia necesse fuit iacta esse fundamenta, ut factam esse domum intelligamus. Atqui ut fundamentum esset, iam antè paratos fuisse lapides necesse est. Nec ratio dissimilis erit, si ad futurum id transferis. nam si erit domus, futuri sunt antè parietes: idque eodem modo, adhibito aliquo medio probabitur, quia necesse est ut sint antè iacta fundamenta.

## CAPVT XIII.

Quoniam autem rerum naturalium ortus in plurimis reciprocari, ac ueluti in orbem redire conspicitur, eo fit ut non incommodè interdum argumenti conclusiones ut uicissim in orbem tractentur, id quod tum erit, cum inter se mutuo consequentia erunt, medium, & extrema, in talibus enim uerbis cernuntur uicissim retrò commeantes probationes. Demonstratum autem est in superioribus libris, fieri interdum, ut uicissim ad concludendas summptiones, adhibeatur complexio: quod aliud nil est quam  
 reciproca

reciproca & orbicularis demonstratio. Quod autem in naturæ operibus hoc probandi genus cernatur, hoc exemplo perspicitur potest: postquam terra imbre madefacta est, inde necesse est nasci uapores: tum ex ijs oritur nubes: mox autem nube resoluta, imbrem effundi necesse est: ex quo rursus madefieri terram consequitur. id autem est, unde sumptum erat exordium. Itaque hæc quasi orbem quandam absoluunt, quæ ita in se redire uidentur, ut posito uno aliquo, sequatur aliud: tum illo posito, mox aliud, ex quo id ipsum quod primum erat renascitur. Sunt autem duo genera eorum quæ fiunt. unum est, eorum quæ quia semper, & in omnibus eodem modo se habent, aut fiunt, propterea uniuerso genere contineri dicuntur. alterum in ijs cernitur, quæ non semper, sed maxima ex parte ita fiunt. ut non sunt omnes uiri barbati, sed in maxima tamen parte id cernitur. Porro quæ ad hoc posterius genus pertinent, sui etiam generis medium, quod plerunque sit, habent. Nam si ita conueniat a ipsi b, ut in totum genus cadat, itemq; b uniuerse enuncietur de c, efficietur necessariò ita in omni c dici a, ut huius generis omnibus ac semper conueniat. Hoc enim est, quod cadere in totum genus diximus, quod omni ac semper conueniat. Atqui id maxima tantum in parte uerum esse ponebatur: necesse igitur est, ut medium b ex genere sit eorum quæ plerunq; fiunt. Quapropter eorum quæ plerunq; eueniunt, illa erunt propria, omniq; medio carentia principia, quæ ipsa plerunq; etiam ita sunt, aut fiunt.

LIBER II.  
CAPVT XIII.

369

Sequitur nunc, quia supra ostensum est quomodo definitio in argumenti conclusione pro aliquo uno ex tribus extremis accipiatur, & quomodo demonstratione aut definitione quid res sit ostendatur, aut non ostendatur; sequitur inquam, ut inuestigandæ definitionis rationem doceamus. Ac primum, inter ea quæ in altero dicuntur, nonnulla reperiuntur, quæ latius ipsa quidem patent quàm subiectum, sed tamen non latius quàm genus ipsius subiecti. Ego uerò latius patere ea dico, quæ sunt alicui cum alijs communia. ut si quid est quod omnino ternario conueniat, & alijs præterquam ternario, cuiusmodi est (ut sic dicam) ens, quod cum in omnino ternario dicatur, tam latè præterea patet, ut uel omnem numerum longè excedat: impar autem commune quidem est ternario cum alijs (nam etiam quinarius impar est) sed non latius patet quàm genus istorum. Numerus enim, quinarij genus est: præter numeros autem, nulli conuenit impar esse. Est igitur definitionis hic modus, ut sumas ea quæ sunt ei rei quam definire uelis cum alijs communia, idq; usque eò persequaris, dum proprium efficiatur quod nullam in aliam rem transferri possit. Nam illa oratione uim atq; naturam rei uniuersam contineri necesse erit. Exempli causa, omnis ternarius est numerus impar, tum est primus, idq; bifariam: & quod eum alius numerus non metitur, & quod ex multis numeris non componitur. Hinc igitur colligitur hæc ternarij definitio: Numerus impar primus, atq; adeò bifariam primus. Ac eius quidem definitionis pars prior, omnibus est imparibus numeris cum ternario communis: posterior au-

A tem

tem etiam binario conuenit: iunctæ autem simul utræque partes, in nullam aliam rem transferuntur. Quoniam autem supra docuimus, necessaria esse quæ in explicanda definitione sumuntur: quandoquidē quæ in omni dicuntur, necessariò conueniunt: hæc autem quæ ad definiendum ternarium, aut aliud quiduis adhibentur, uim ac naturam rei declaranti ternario igitur illa omnia necessariò conueniunt. Quòd uerò uniuersam rei essentiam complectatur, hinc perspici potest, quòd necesse est, si naturam rei uniuersam non complectatur hæc oratio, ut sit genus quoddam, quod aut uno nomine appellari possit, aut nullum habeat nomen imposuū. Vnde sequitur, latius patere hanc orationē ternario. nam id hoc loco accipiendum est, omne genus ad multas posse species pertinere. Ergo si hæc oratio alteri nulli conueniat, quàm omnibus ternarijs, necesse erit ut ea, uis ac natura ternarij uniuersa contineatur. Ponēdum enim hoc loco nobis est, uim ac naturam rei esse huiusmodi quoddam attributum, in diuisi modò alicuius speciei conueniens. Ita que hac eadem ratione in alijs omnibus, in quibus idem modus definiendi obseruabitur, quæ sit rei uis ac natura ostendetur. Si autem uelit quisquam genus ipsum definitione explicare, hæc erit illi uia sequēda. Primum distribuendum erit genus in species ultimas, in quas primum, inter diuidendum incidet: ut numerus in ternarium, & binarium, tum singularum formarum erunt inquirendæ ex superiore ratione definitiones: uerbi gratia, quid sit recta linea, quid circulus, quid rectus angulus, & huius generis alia. Deinde postquã genus, ad quod sit id ipsum quòd definitur, referendū, inuenieris, nempe utrum quantitas

eitis sit, an qualitis, tum ex ijs quæ sunt communia pri-  
 mis illis speciebus, erunt illa colligenda, quæ proprie ge-  
 neri conueniant. Nam quæ illa sint quæ uniuerso gene-  
 ri, quod ex infimis speciebus componitur, conueniant, ex  
 definitionibus ipsarum formarum manifestū fiet: quan-  
 do quidem omnis propemodum cognitionis initium est  
 definitio, idq; quod simplex est. Ac simplicibus quæ con-  
 ueniunt, in ipsis simplicibus solis per se spectantur, in a-  
 lijs autem per ipsa simplicia. Porro autem diuisiones  
 generum per differentias factæ, plurimum ualent ad  
 perfectas definitiones, hac ratione conficiendas. Et qua  
 ratione quidem ad demonstrandam definitionem adhibe-  
 beantur huiusmodi diuisiones, paulo ante docuimus. ne-  
 que enim existimandum est, eam modò diuisiones ha-  
 bere utilitatem, quod ad concludendum quid res sit, uim  
 quandam necessariam afferant: sed id potius censen-  
 dum est, nullam in ijs inesse concludendi necessitudinem  
 quandoquidem absoluta diuisione, statim omnes partes  
 definitionis, citra probationem accipiuntur, perinde ac  
 si iam inde ab initio, nulla antefacta diuisione, sumeren-  
 tur. Sed eo ualent ad definiendum diuisiones, quoniam  
 plurimum interest, quo ordine singula disponas, & quid  
 primo, quid secundo loco constituas. uerbi gratia, non  
 parum refert, an hominem dixeris esse animal mansue-  
 tum bipes, an bipes animal mansuetum. Quæ uerò præ-  
 terea in definitione uidenda sunt, efficiaturne unum a-  
 liquid ex duabus definitionis partibus: ueluti an qui-  
 piam unum sint animal mansuetum, itemq; an ex illo ge-  
 nere, & illa differentia, cōstituatur hominis natura: aut  
 uerò quid illud tandem sit, cuius hac una oratione natu-

ra continetur: illa inquam utraq; non probat qui diuisione utitur, sed citra probationem accipit. Est autem & alia diuisionis utilitas, ut in definiendo nil prætermittamus eorum quæ quid res sit ostendere possint. Nam ut id uitium declinemus, propemodum sola diuidendi ratio præstare potest. Postquam enim primo loco genus acceptum est, si quis non proximam diuisionem accipiat, sed ad inferiorem aliquam transiliat, in partes diuisionis non cadent omnia quæ sub genere continentur. Vt si quis animal diuidat in ea quæ alas habent perpetuas continuasq;, & ea quæ alas habent diuisas: non comprehendet hac diuisione omne animal, sed uolucres tantum hac diuisione continentur, quarum hæc propria sunt differentie. Animalis autem illæ sunt primæ differentie, in quibus cadit omne animal: quod idem in alijs generibus dicendum est, siue illa sint omnino ab animali diuersa, siue sub ipso animali comprehendantur. Primæ enim uolucris differentie sunt, in quibus omnes uolucres continentur: & piscis, in quibus omnes pisces. Ac singula quidem ita persequendo per diuisionem, facile erit uidere, num prætermittatur quippiam: sin hanc rationem negligamus, necesse erit ut & aliquid interdum prætermittatur, & semper incertum sit, quicquamne prætermisissum sit, an secus. Neq; uerò necesse est, ut definias aut diuidas quippiam, simul omnia quæ sunt nosse: tametsi quibusdam uideatur fieri non posse, ut rerum inter se discernina intelligamus, nisi eas ipsas res perspectas ac cognitias habeamus. ut autem rerum assequamur cognitionem, non intellectis earum inter se differentijs, contentaneum non esse. A quo enim non discrepat quippiam,

piam, cum eo idem esse: à quo autem distinguitur, aliud  
 esse ab eo. Ac primum quidem falsum est postremum  
 hoc proloquium, neq; enim omnis differentia aliam rem  
 efficit: quandoquidem multæ sunt inter ea quæ specie  
 non distinguuntur differentia, quæ nec in rei natura cer-  
 nuntur, nec propter se insunt. Deinde uerò, postquam  
 quisquam accepit contrarias differentias: idq; necesse  
 esse, ut aut hac aut illa parte contineatur id omne quod  
 in hoc genere cernitur: mox autem in altera parte id i-  
 psium cuius definitio quæritur comprehendendi, idq; ita esse  
 cognoscit: quid, inquam, postquam hæc omnia rectè ef-  
 fecerit, refert, sciat an nesciat, in quibus alijs hæc differen-  
 tia dicantur? Perspicuum enim est, eum qui hanc uiam  
 insistens, eò perueniet, ubi iam nulla possit esse differen-  
 tia, quæ res præterea diuidatur, inuenturum eam quam  
 quærebatur orationem, qua rei uis uniuersa contineatur.  
 Porro autem genus uniuersum in partibus diuisionis con-  
 tineri, si partes in eo contrariorum genere sint, quibus  
 nil interiectum est, non postulatum est: sed uelit nolit is  
 qui cum disputatur, necessarium, ut si ueræ sint differen-  
 tiæ, ad unam earum pertineat quicquid illo genere com-  
 prehenditur. Sed ut per diuisionem rectè conficiatur  
 definitio, tria sunt obseruanda. Primum est, ut accipian-  
 tur attributa quæ sint ad declarandum quid res sit ac-  
 commodata. Alterum est, ut quod primum quodq; se-  
 cundum esse debet, suo loco collocetur. Tertium est, ut  
 omnia quæ sunt ad hanc rem necessaria, adhibeantur.  
 Ac horum quidem primum hinc consequi poterimus,  
 quod ut loci sunt quibus accidentis quæstio tractatur,  
 cum alterum alteri inesse ostenditur: ita suos quosdam

locos habet quæstio generis, quibus quippiam genus esse confirmetur. Secundum autem, quod est singula ut par est collocare, ita facile præstabitur, si quod primum est, primo loco accipiatur: id autem erit, si id acceptum sit, quod est omnium consequens, nec uicissim ex eo alia consequuntur omnia. semper enim inter definitionis partes est aliquid huiusmodi. Postquam autem id erit ita constitutum, idem modus erit seruandus in collocandis reliquis inferioribus. nam secundum ad reliqua comparatum, est ut primum: itemque tertium, ad ea quæ sequuntur. Sublato enim primo, id quod deinceps sequitur, est omnium primum, nec dissimilis est in alijs ratio. Tertium autem, quod in eo est ut intelligamus, ea quæ accepta sunt, illa esse omnia quæ ad rem definiendam fuerunt necessaria, hinc perspicitur, quod sumpto primo, ita ipsum diuiditur, ut necesse sit omne quod illo genere continetur, aut hac aut illa parte comprehendere: idque quod definitur, in ea parte reponimus, in qua continetur. tum rursus hoc totum quod ex superiore diuisione natum est, suis differentijs distribuimus: idque usque eò persequimur, donec ad extremum totum quoddam efficiamus, cuius nullæ sint differentia: uel certè quod statim ubi adiecta est ultima differentia, ab ipsa re quæ definitur, specie non distinguitur. Perspicuum enim est, in definitione quæ hac ratione confecta est, nil redundare: quia omnia quæ sumpta sunt, ad ostendendum quid res sit sunt accommodata. neque abesse quicquam: aut enim genus hic desiderabitur, aut differentia. Atqui genus hic primo loco acceptum est, illudque cum differentijs coniunctum. Differentia autem omnes hic oppositæ sunt: quandoquidem nulla præterea

diffe-

differentia hic locum habere possit: alioqui totam hanc orationem specie differre à re quæ definitur, dicendum erit, quod nos supra negauimus. Illud autem uidendum est ei qui rerum definitiones inuestigat, ut primum quid commune habeant ea quæ similia sunt, nec specie differunt, consideret; deinde in alijs rursus idem faciat, quæ ad genus illa quidem unum, & idem cum superioribus, pertineant, sed specie ab illis distinguantur: cum interim comparata inter se, specie idem sint, quemadmodum & illa. Postquam autem sumpseris quid his & illis, alijsq; eiusdem generis commune sit: tum illud spectabis, sit ne quod in ijs omnibus commune esse reperies, idem aliquid, atque ita idem, ut communem efficiat unam rationem. Nam si ad unam quandam rationem peruenias, erit proculdubio illa rei definitio: si unam in rationem non conueniant, sed aut duas aut plures, certum est nõ esse simplicem, sed multiplicem naturam eius rei cuius quærebatur definitio. Exempli gratia, si uelimus nosse quid sit magnitudo animi, uidendum est quid inter se commune habeant aliqui, quo: constet fuisse magnanimos: quod genus sunt, Alcibiades, Achilles, Ajax quibus id fuisse commune uidemus, ut æquo animo contumeliam pati non possent. Alcibiades enim ob eam causam bellum patriæ intulit: Achilles implacabili exarsit iracundia: Ajax sibi mortem consciuit. Tum eiusdem generis alios spectabimus, ut Lysandrum & Socratem, in quibus animi magnitudinem ex eo agnoscimus, quod tam aduersas quam secundis res moderate & constantiter uulerunt. Comparatis igitur inter se ijs duobus, considerandum est ecquid commune habeant, constantia, idemq;

in utraq; fortuna animus, & summa in ferenda contumelia impotentia. Quod si nil commune reperias, statue re poteris, duas esse magnanimitatis species.

## CAPVT XV.

Semper autem res uniuersa est, quæ definitione explicatur. neq; enim medicus, cum definit, quòdnam sit salutare oculis medicamentū, definitionem ad hūc aut illum oculum tantū accommodat: sed aut in genus uniuersum oculorum, aut in aliquā sanè speciem uult transferri. Porro autē singularia definire multo est facilius, quàm uniuersale: ob eamq; causam à singulis rebus ad uniuersas progrediendum. Etenim ambiguitas quæ est in reb. uniuersis minus cernitur, quàm quæ est in ijs rebus quæ specie non distinguuntur. Sicut autem in demōstrationibus conficiendis, necesse est ut insit in demonstratione necessaria concludendī ratio: ita in definitionibus imprimis uidendum, ut apertè ac perspicuè res doceatur. Id quod consequemur, si non statim ad genus uniuersum definiendum aggrediamur, sed seorsum antè definiamus singulas res, quæ ad unum quoddam genus pertinere uidentur. Veluti non totum genus similium primò definire oportet: sed prius qui sint similes colores, & quæ sint figuræ similes definiendum est: itemq; quid sit acuta uox prius explicandum, tum ad definiendum genus uniuersum ueniemus: sed ita semper, ut ne subsit ambiguitas, cauendum. Iam autem, si est inter disputandū uitiosum uti metaphoris, id profectò uitiosum etiam erit, in definiendo aut perpetuas adhibere metaphoras, aut uerbo aliquo aliunde translato uti. Nam si hic sint metaphoræ, translationes usurpare in differendo necesse erit.

LIBER II.  
CAPVT XVI.

377

Est autem & alia diuisionum & partitionum siue incisionum utilitas, ad causas multarum quaestionum intelligendas, si has in promptu habeamus. Est autem haec tractandarum per diuisiones quaestionum ratio. Primum uidendum est quae sint generis alicuius uniuersi, quod propositum sit, consequentia: atque esto illud, uerbi causa, animal. Spectandum igitur quae sint quae omnibus animalibus conueniant: tum ubi ista absolueris, pergendum est ad partes, uidendumque est, ut quaeque latissime patet, proximeque ad generis communitatem accedit, quae sint huius consequentia: atque esto uolucris. quae igitur omni uolucris insint spectandum. Idemque in alijs deinceps partibus, ut quaeque primo generi est proxima, faciendum. Per specium enim est, postquam ita singula fueris persecutus, facile tibi esse causam reddere, cur generis uniuersi si consequentia singulis partibus conueniant: ueluti quam obrem homini, aut equo, conueniat animalis consequentia. Esto igitur animal a, animalis consequentia b, quaedam autem ex animalibus singulis c d e. cur ergo omni d & alijs conueniat b, causa est a. Nec dissimilis est in alijs eiusdem generis ratio. Atque illa quidem ratio, quam modo subieciimus, ad ea pertinet, in quibus communi generi impositum nomen est, quo appelletur. Caeterum non ad illa tantum ualet haec ratio, sed etiam si aliud quippiam commune multis reperiatur. Nam hic quoque primum quae sint illius communis generis consequentia, spectandum erit: deinde ad singulas partes, quae huius sunt antecedentia, pergendum. exempli causa, omnibus cornua habentibus ista conueniunt, omnes habere, & in

utraq; maxilla dentes non habere. sunt autem & ani-  
 malium quedam species, quibus cornigerum esse est con-  
 sequens: in quibus si queratur, quamobrem illa conse-  
 quentia insit, in promptu causa erit, nempe quia cor-  
 nuta sunt. Præter illos autem duos modos, est & alius  
 modus, causæ ex partitionibus eruendæ, in ijs quæ pro-  
 portione quadam sola idem sunt: quod genus sunt, se-  
 pium, os, spina, quibus non est communis aliqua natura,  
 quæ una appellatione ipsa complectatur: sunt tamen ho-  
 rum quedam communia consequentia, perinde ac si una  
 quadam natura continerentur. Quæstiones autem eæ-  
 dem aliæ dicuntur, eo quod unum quoddam medium ha-  
 bent, ueluti omnes quæstiones quarum causa est antipe-  
 ristasis. Sed in ijs quedam sunt, quæ cum eadem genere  
 sint, quibusdam tamen inter se distinguuntur differen-  
 tijs, quæ partim ex subiectis diuersis, partim ex rationi-  
 bus uarijs sumuntur. uerbi causa, tres hæ quæstiones,  
 Quam ob causam fit echo, Cur in speculis rerum formæ  
 apparent, Quamobrem fit iris in cælo: tres inquam hæ  
 quæstiones genere conueniunt, siquidem omnium causa  
 est reflexio, sed specie inter se distinguuntur. Aliæ autem  
 ex eo dicuntur eadem, quod unius medium, in medio ab-  
 terius continetur. ut hoc, quamobrem circa finem men-  
 sis, maior concitatioq; est Nilus: quia sunt extremo men-  
 se imbres frequentiores. Rursus, cur obeunte mense, uis  
 maior est imbrium? quia tunc lumen lunæ magis ac ma-  
 gis minuitur. Sunt igitur hæ duæ quæstiones, hoc modo  
 quo diximus inter se affectæ.

## CAPVT XVII.

De causis autem & effectis ambiget hoc loco quisa  
 piam.

piam, nunquid possint uicissim adhiberi effecta ad causas concludendis, cum semper sequatur, si effectus est, causam esse? nam si defluere arboribus folia, aut defectionem lunæ ponas, mox sequitur, esse horum effectuum causam. Atque esto, uerbi gratia, causa cur decidant frondes, lata habere folia: defectionis autem, terræ interpositus. Etenim si ex ijs effectis non sequantur hæc causæ, necesse erit ut sint præterea aliæ eorum causæ, si quidem simul cum ijs causis sint effectus. simulac enim posuisti terræ interuentum, sequitur defectio: & posita arbore cui sint lata folia, statim efficitur, defrondescere posse. At uerò si res ita habet, nobis igitur admittendum erit, uicissim ex alijs alia demonstrari posse. Sit enim defrondescere a, arbor latioribus constans folijs b, uitis c. si ergo in omni b est a, quod est, omnem arborem latioribus uestitam folijs, caduca habere folia: itemque in omni c dicatur b, omnis enim uitis laxioribus tecta est folijs: ad extremum igitur concludetur, omne c esse a, quod est, omni uiti frondes decidere. Atque in hac quidem ratiocinatione uerbum medium b, causa est. At contra etiam concludere possumus, uitem habere lata folia, per medium defrondescere. Esto arbor cui sunt ampliora folia d, defrondescere e, uitis f. omni igitur f conuenit e, hoc est, omnis uitis defrondescit: in omni autem e dicitur d, id est, omne quod defrondescit latiora habet folia: unde efficitur, omni uiti latiora esse folia: sumptumque est pro causa huius rei, defrondescere. Quod si non possint ista uicissim sibi esse causæ, ut certè non possunt (semper enim prior causa est effectui, & ut deficiat luna, causa est terræ interpositus: nec contra defectio lunæ causa esse potest, ut

inter solem & lunam terra interponatur) erit igitur quæ ex causa constabit, accurata & cur res sit demonstratio: quæ autem ex effectu ducetur, tantum quod res ita sit confirmabit. Ex hoc enim effectu interponi quidem terram cognoscimus, sed quam ob causam intericiatur nescimus. Quod autem defectio non sit causa cur interueniat terra, sed contra interiectus terræ ipsius defectio, hinc perspicitur, quod in definitione defectio- nis accipitur terræ interpositus: unde planum est, fieri manifestam defectio- nem per interuentum terræ, nec contra huius naturam per illud explanari. Iam uero, quid uetat eiusdem effecti multas esse causas? Profecto si idem effectus multis primò attribui possit, id non uidetur esse incommodum. Dicatur enim a in omni b primò, itemq; in omni c primò etiam insit a: dicantur autem b & c, de d & e. Hic ergo cur a in omni d & e insit, causæ sunt b & c: illud quidem b cur ipsi d conueniat, hoc autè c cur in ipso e dicatur. Itaq; posita causa, efficitur necessariò ut res sit: at cum res est, non sequitur uniuersam causam esse, tametsi pars aliqua causæ necessariò consequatur. An si genus uniuersum complectatur quæstio, semper ex uniuersa causa sequetur uniuersus effectus, & contra? Exempli causa, defrondescere, quanquam sit plantarum multis generibus commune, si singula uelis persequi, tamen est certum quoddam unum genus, in quo id primò omnium cernitur, quod est uel planta, uel certi cuiusdam generis planta. Quare in ijs etiam medium & effectum æqualia esse, atque adeò uicissim retrò commeari necesse erit, ueluti si causa est cur decidant arboribus frondes, quoniam concresecat humor: necesse est, ut si po-

nas defluere arboribus folia, statim humidi concretione  
 ponis: & contra, si est humoris talis concretio, necesse  
 est defrondescere arbores. Sequitur nunc alia questio,  
 utrum sit semper eiusdem effectus eadem causa, an alia  
 atq; alia esse possit? an, si ex ijs ducta sit argumenti con-  
 clusio quæ propter se rei conueniunt, non autem ex signis,  
 aut accidentibus, fieri non poterit ut sit unius rei plusquã  
 una causa? mediũ enim est alterius extremi definitio: si  
 secus res concludatur, fieri poterit. Ac possunt quidem  
 maius extremum & minus per accidentia quædam tra-  
 ctari, sed tamẽ non erunt ad sciendum accommodatæ illæ  
 quæstiones. Ac si accidentia omnia omittantur, erit sem-  
 per eiusdem generis medium cum extremis: nempe si ho-  
 monyma sint extrema, erit homonymum medium: si ge-  
 nere quodam uno contineantur, & medium simile erit.  
 Exẽpli causa, qualia sunt huius quæstionis uerba, quam-  
 obrem quibusdam inest proportio commutata: tale est  
 medium. est enim alia in lineis causa, alia in numeris, &  
 eadem tamen: nam hoc ipso quod hæ lineæ sunt, illi nu-  
 meri, est alia atq; alia causa: qua ratione autem, est certi  
 cuiusdã generis accessio, eadem est in omnibus causa. Ea-  
 dem ratio est in omnibus id genus. Item, cur similes sint  
 inter se colores, & cur figuræ figuris similes, semper est  
 alia atq; alia causa: quia simile, uerbum ambiguum est,  
 cum ad ista transfertur. Ac similes quidẽ figuræ hac ra-  
 tione fortasse dicuntur, quod certa quædam sit inter la-  
 tera proportio, & pares sint anguli: colores autem, quia  
 uno sensu omnes percipiuntur, aut simile aliquid. Porrò  
 autem in ijs quæ proportione sunt eadem, medium etiam  
 idem erit proportione. Propterea autem eiusdem semper  
 generis

generis est medium cum extremis, quoniam mutuo se consequitur, causa, effectus, & res cui per causam attribuitur effectus. Ac si quidem singulatim res subiecta accipiantur, latius patebit effectum. ut exteriores angulos pares esse quatuor rectis, latius patet quam triangulum, aut quadrangulum. At si genus uniuersum earum formarum spectes, quibus conuenit habere exteriores angulos pares quatuor rectis, cum eo reciprocabitur, eiq; par erit. Nec dissimilis est in medio ratio. Medium autem, maioris extremi definitio est: quocirca dicuntur omnes scientiæ ex definitione oriri. uerbi gratia, defrondescere est quisdem uitis consequens, sed multo latius patet: itemq; ficus, sed longè ficum excedit. At si cum omnibus huius generis arboribus conferas, non latius patet, sed æquale est. Si igitur primum medium ad probandum sumus, erit definitio huius uerbi, defrondescere: ac primum quidem adhibetur hoc medium ad concludendum uniuersum genus, deinde uerò ad singulas partes accommodabitur. atq; esto medium, quoniam contrahitur concrescitq; succus, aut tale aliquid. Quid uerò aliud est defrondescere, quam succum ea in parte contrahi, ubi foliorum pediculus cum extremis ramulis, qui quasi frondium semina sunt, coniunctus est? Quòd si quis hanc causam & effectus consequutionem uelit sibi descriptionibus quibusdam & exemplis declarari, sic habeto. Dicatur a in omni b, in sit autem b omni d, sed ita ut latius pateat. Erit igitur b, generale quoddam uerbum, facta ad omnia quæ sub d continentur collatione. Nam illud generale appello, quod non reciprocatur: uniuersale autem primum illud uoco, quod cum singulis partibus comparatum.

tum, non uicissim retrò com meat. cum toto autem gene-  
 re collatum, reciprocatur, nec latius patet. Ergo quod  
 in omnibus d dicatur a, causa est b. Quare latius patebit  
 a, quam b. nam si non ita sit, quæ causa est cur mutuo sibi  
 causa esse non possunt? Iam autem, si rursus omni-  
 bus e conueniat a, aliam quandam causam habebunt i-  
 psa e, præter b. nam si secus res habet, cur uerum est,  
 omni e inesse a, nec uicissim fit ut omne a sit e? quam-  
 obrem enim non erit causa cur omnibus e conueniat a, si  
 cuti aliqua est cur omnibus d insit? Habebunt igitur i-  
 psa e, aliam quandam rationem in qua conuenient: sed  
 quæ nam illa sit, considerandum: atq; esto c. fieri igitur  
 potest, ut eiusdem rei plures sint causa: sed ita tamen,  
 ut nunquam plures sint eius effecti, quod in rebus specie  
 isdem cernitur. uerbi gratia, uitæ in longum tempus  
 protrahendæ, in quadrupedibus causa est quod felle ca-  
 reant, in uolatilibus quod ualde sicca sint, aut simile ali-  
 quid. Postrema quæstio est, quando non statim ad pri-  
 mam medioc; carentia pronunciata dissoluitur res pro-  
 posita, sed multa mediâ alia ex alijs, multisq; causis per-  
 sequi oportet. Vtrum magis causa est, medium quod ge-  
 nerale est, & ad genus uniuersum accommodatum, an  
 quod ad res singulas, in quibus aliquid quæritur, magis  
 accedit? Profectò non dubium est, quin illud medium  
 magis causa sit, quod ad minus extremum, in quo quæri-  
 tur an aliquid insit, proximè accedit. Semper enim hæc  
 prima causa est, cur sub uniuerso genere illud contineat-  
 ur. ueluti, ut omni d conueniat a, causa est c. Sic igitur  
 persequi causas oportet, ut dicamus c causam esse cur a  
 conueniat d: tum cur c insit a, causam esse b; postremò,

CUR

cur ipsi b conueniat a, ipsum b sibi causam esse. Ac de ratiocinatione quidem, & demonstratione, & quid sint, & quomodo conficiendæ, hæcenus dictum est: ex quo quid qualisq; sit scientia demonstratiua intelligitur, utpote quæ nil ab illis distinguatur.

## CAPVT XVIII.

Superest ut doceamus, qua ratione principiorum asequamur cognitionem, & quis ille sit habitus, per quem ipsa intelliguntur. Sed prius quàm hoc aggrediamur, quid utramq; in partem probabile sit, subiiciemus. Ac primum, quòd scire nemo possit per demonstrationem, quin antè cognita & percepta habeat prima atq; immediata principia, supra ostendimus. Hic igitur ambiget forte quispiam, utrum sit eadem principiorum quæ aliarum rerum cognitio, necne: & utrum harum & illorum cognitio scientia appellanda sit. an uerò harum quidem, scientia: illorum autem aliud quoddam cognitionis genus. Et utrum non in sit nobis iam inde ab ortu principiorum habitus, sed usu acquiratur: an uerò nobiscum quidem nascatur, sed lateat tamen, nec se statim exserat. Ac nobis quidem ingenitum esse, nec intelligi, absurdum est: alioqui fatèdum erit, eum qui certius aliquid cognoscat, quàm si per demonstratiōem sciret, in summa tamè ignorantia uersari. At uerò, si nō est insita natura principiorum noticia, sed usu & progressu temporis acquiritur, quonam pacto assequi ac discere ipsa principia poterimus, nulla antecedente cognitione? Nam illud fieri non posse, in explicanda demonstratione supra diximus. Perspicuum igitur est, neq; simul nobiscum nasci principiorum cognitionem: neq; cum antè planè omnium re-

rum imperiti essemus, nullumq; habitum qui ad ista cognoscenda pertineret haberemus, postea usu & temporis processu acquiri. Quapropter necesse est, ut ingenita quædam naturæ vis huius cognitionis nobis præbeat occasionem: quæ tamen facultas non tam accuratè ac subtiliter singula perspicere possit, quam certa hæc, minimeq; fallax principiorum cognitio. Atq; hæc facultas in omnibus inesse animantibus uidetur. Omnibus enim animalibus tribuit natura aliquam ad discernendas diiudicandasq; res facultatem, quam sensum appellant. Cumq; hæc omnia animalia conueniant, quòd sensum habeant: in eo discrimen est inter ipsa, quòd ea quæ sensibus obiecta sunt, in quorundam animis impressa atq; infixæ manent, alijs statim excidunt. Quorum autem animis rerum obiectarum species non imprimitur, ea aut nullam planè, aut certè earum rerum quæ animo non retinentur, non habent cognitionem, nisi quo tempore sentiunt. Quæ uerò sensuum oblatas impulsiones retinent, ea postquam sentire desierunt, habent etiam nulla infixam animo unam quandam rei speciem. Cumq; huius generis multa sint animantia, hic rursus est quædam inter illa differentia, eo quòd quædam sunt quæ coniunctam habent cum illarum rerum memoria rationem. Alia sunt, quæ huius planè sunt expertia. Oritur ergo (ut diximus) ex sensu memoria: tum ex memoria, aliquoties repetita, nascitur experientia. nil enim est experientia una, quàm multæ (ut sic dicam) memoriæ. Postremò ex experientia, quæ tum est cum est infixæ animo de toto genere pronuntiatio, aut unius cuiusdam rei notio, quæ sit ipsa quidem præter res singulas, sed in illis

tamen omnibus una eademq; manens cohereat : ex ipsa  
 inquam experientia, proficiuntur omnis artis ac scien-  
 tia principia. Artis quidem, si ad eas res pertineant quæ  
 oriuntur & occidunt : scientiæ autem, si ad ea quæ ea-  
 dem semper sine ulla mutatione permanent. Neq; igi-  
 tur certi cuiusdam generis habitus sunt nobis natura in-  
 fiti, quibus principia intelligamus : neq; ex alijs habitibus  
 prioribus ac notioribus oriuntur, sed sensibus modò  
 tribuenda est huius cognitionis origo. Quemadmodum  
 enim inclinata iam acie, fusoq; propemodum exercitū,  
 si resistere unus incipiat, mox alius gradum sistit, deinde  
 alius atq; alius : donec ad principium agminis id perue-  
 niat, ita (ut sunt animi nostri) simile aliquid in ijs usuere  
 nire potest. Sed quod modò dictum est, nec satis aperte  
 explicatum, nunc ab initio explanemus. Ac primum,  
 cum se aliquod indiuiduum sensibus offert, tum primum  
 animo comprehenditur uniuersum genus. Etenim sin-  
 gulare quidem est quod sentitur, sed sensus ipse intimaq;  
 cogitatio ad genus uniuersum pertinet. ueluti cum ho-  
 minem aliquem uideo, sensus ad hominem concipiend-  
 dum, non ad Calliam hominem percipiendum pertinet.  
 Tum uerò animus aliquandiu in hac atq; illa communi  
 notione conquiescit, idq; eò usq; persequitur, dum ad sim-  
 plicissimam aliquam latissimeq; patetem notionem per-  
 ueniat. ueluti huius atq; illius generis animantia tanti-  
 sper considerat, dum ad communem animalis notionem  
 perueniat : ac deinde pari ratione ex hoc genere ad alia  
 progrediatur. Ex ijs planum est, prima initia inductione  
 fieri nobis manifesta. quid enim aliud est profecta hoc  
 modo à sensibus noticia, quam inductio ? Quoniam au-

tem omnium qui ratione cernuntur habituum, quibus uerum aliquid dicere possumus, alij sunt in quibus perpetua inest ueritas, alij in quibus ut falsum dicatur interdum euenit: huius generis sunt, rerum agendarum & faciendarum ratio, & opinio. Ex genere autem eorum quae semper uera sunt, est scientia & intelligentia. Et quia nil est certius accuratiusq; scientia, praeter intelligentiam, semperq; notiora sunt principia demonstratione, sine qua nulla potest esse scientia: ex ijs profecto necessario efficitur, principiorum non esse scientiam. Atqui nil est certius accuratiusq; scientia, praeter intelligentiam. Itaq; in cognoscendis principijs intelligentiam positam esse, perspicue hac ratione ostenditur. Sed etiam hac ratione id confirmari potest: Principium demonstrationis non est demonstratio, neq; igitur principium scientiae erit scientia. Quare si praeter intelligentiam nil est in quo sit perpetua ueritas, perinde atque in scientia: erit profecto intelligentia ueluti quoddam principium omnis scientiae. Atq; ita id quod ualde consentaneum est, fiet, ut principium scientiae ipsis attribuaturs principijs: scientia autem, simili modo, omnibus his rebus quae ex principijs ortae sunt.

F I N I S.

B 2 ARI-

ARISTOTELIS  
TOPICORVM LIBRI VIII.  
Ioachimo Perionio interprete, per Ni-  
colaum Grouchium correcti &  
emendati.

LIBRI I. CAPVT I.



Hoc nobis loco propositum est, uiam atq;  
rationē inuenire, qua & de omni quæ-  
stione proposita, probabili argumen-  
tatione poterimus differere: & nihil  
repugnans, si quid in disputationibus  
defendamus, asseremus. Ac primū quidem quid sit ra-  
tiorcinatio dicendum est, quæq; eius genera: ut ratiocina-  
tio dialectica, quoniam hoc sermone eam inuestigamus,  
quid sit intelligatur. Est igitur Ratiocinatio, oratio, in  
qua quibusdam positis, aliud quidpiam, quā quæ posi-  
ta sunt, ex ijs ipsis quæ posita sunt, efficitur necessariū.  
Demonstratio autem est, cum ex ueris & perspicuis con-  
clusio est: aut certē eiusmodi, quæ à quibusdam perspi-  
cuis & ueris causam cognitionis sumunt. Dialectica ue-  
rō ratiocinatio est, quæ ex probabilibus concluditur. Ve-  
ra quidem sunt & perspicua ea, quæ non ab alijs, sed à  
se ipsa fidem habent. Neq; enim initiorum ac principio-  
rum, quæ in singulis sunt scientijs, querenda ratio est,  
eaq; omnia per se ipsa perspicua esse debent. Probabilia  
autem sunt quæ probantur aut omnibus, aut plurimis,  
aut certē sapientibus: atq; ijs uel omnibus, uel plurimis,  
uel ijs quorum spectata est & perspecta sapientia. Fal-  
lax

lax autem & certandi studio comparata ratiocinatio est, quæ ex ijs progreditur, quæ probabilia uidentur, nec sunt: aut quæ ex probabilibus, uel quæ probabilia uidentur, constans conclusio, necessaria esse uidetur, nec est. non enim omne quod probabile uidetur, etiam probabile est: quandoquidem nihil eorum quæ habentur probabilia, extrinsecus & quasi specie prima, tale existit omnino. Id quod in ijs conclusionum fallacium solet contingere. Celeriter enim ac sæpe ijs etiam qui parus cernere possunt, his in rebus falsa natura se offert & ostendit. Prior igitur ratiocinationum earum quas fallaces & studio certandi comparatas esse diximus, etiam ratiocinatio uocetur. Altera fallax ratiocinatio, non omnino ratiocinatio dicatur: quoniam concludere uidetur, neque concludit. Sunt etiam præter eas ratiocinationes quas exposuimus, fallaces conclusiones, quæ ex proprijs in ijs nonnullarum artium efficiuntur, & constant: quod fit in geometria, alijsque quæ huic finitimæ sunt. Nam inter genus hoc et superiora aliquid interest: neque enim ex ueris & primis, neque ex probabilibus progreditur is qui pseudographo utitur. Non enim in definitionem incurrit: quoniam nec sumit quæ probantur omnibus, nec quæ plurimis, nec quæ sapientibus: atque his nec ea quæ omnibus, nec quæ pluribus, nec quæ probatis: sed ex proprijs scientiæ sumptionibus non ueris, quod uult efficit. Nam quia semicirculos describit, non quemadmodum describendi sunt, aut lineas ducit, non quomodo sunt ducendæ, eò falsam conclusionem efficit. Ac ratiocinationum quidem genera hæc sunt, quæ a nobis pingui quadam minerva exposita sunt. Nam & de

ijs quæ iam diximus, & de ijs de quibus deinceps dictu-  
ri sumus, hoc semel admonere uolo, nil horum me uelle  
subtiliter & accuratè docere, sed tantùm rudem ueluti  
formam subiicere rerum singularum. Ego enim ita sen-  
tio, ad hanc artem quam hoc loco docere instituimus, sa-  
tis esse, rudem quandam ac simplicem rerum singula-  
rum habere cognitionem.

## CAPVT II.

Sequitur ut deinceps, ad quot quasq; res instituti no-  
stri ratio conducatur, differamus. Tria autem sunt, quo-  
rum primum exercitatio est, alterum congressus, ter-  
tium philosophiæ scientia. Atq; ad exercitationem quia-  
dem magnum eam adferre adiuuentum, hinc perspici  
licet, quòd si uia & ratione instructi ueniemus ad di-  
sputandum, facilius de re proposita differere poterimus.  
Ad congressus autem & colloquia, quòd multorum e-  
numeratis expensisq; sententijs, non ex alienis & longè  
petitis, sed proprijs aptisq; locis sermonem depromemus,  
quem cum ipsis conferamus. Ita si quid minus præclare  
nobis uidebuntur dicere, id facile refellemus. Ad philo-  
sophiæ autem cognitionem, quòd facultate in utranq; par-  
tem de re quaq; disputandi instructi, facilius in quaq; re  
quid uerum sit, quid falsum, perspiciemus. Atq; etiam ad  
prima initia omnium artium cognoscenda, in hac arte uis  
maxima est. Nam quoniam principijs, quæ propria artis  
eius sunt de qua agitur, adhibitis, de ijs ipsis nihil dici po-  
test, nec cõcludi, (sunt enim prima) certè ijs quæ in qua-  
que probabilia sunt utamur necesse est, si quid de his ex-  
ponere uelimus, quòd dialecticæ proprium est uel maxia-  
mè. Cũ enim hæc ratio sit quædam indagatrix, ad omnia  
omnium

omnium rerum quæ uia & ratione progrediuntur principia, uiam aperit. Sed hæc tum demum perfecta in nobis erit ratio, cum id accidet nobis, quod ijs qui arte rhetorica, medicina, cæterisque facultatibus sunt præditi: id est, cum ex ijs quæ commodè ad rem propositam adhiberi possunt, efficiemus quæ uolumus. Neque enim uel orator omnibus modis persuadere solet, uel medicus curationem adhibere: sed si nihil prætermittat eorum quæ adhibere possit, tum denique & peritum eum & artificem iudicamus.

## CAPVT III.

Primum igitur ex quibus hæc cõstet ratio, uideamus. Quod si exposuerimus, quot quibusque de rebus omnis instituaturs disputatio, ac ex quibus conficiatur, & quæ admodum ea omnia nobis suppetent, facile quod uolumus consequemur. Sunt autem numero paria, & ea ex quibus argumentationes constant, & ea in quibus ratiocinationes uersantur. quippe cum probationes ex propositionibus cõficiantur, & ratiocinationes de questionibus sine. Omnis autem propositio, omnisque questio aut genus declarat, aut proprium, aut accidens. Nam differentia, quia generale quippiam est, in eodem, in quo genus, numero reponenda est. Quoniamque proprium aliud est, quod rei naturam explanat, aliud quod nõ explanat, diuisum sit proprium et distributum in partes duas: appelleturque unum, id quod rei uim & naturam declarat, Definitio: alterum communi nomine quod habuit, uocetur Proprium. Ex quo perspicuum est, quatuor omnia fieri, ut diuisimus, uel proprium, uel definitionem, uel genus, uel accidens. Neque uero dictum uelim, hæc omnia per se aut propositionem efficere, aut questionem: sed

hoc dico, ex his omnibus & quæstiones cõstare, & propositiones. Differt autem ratione quadam propositio à quæstione. nam si quærat<sup>r</sup>ur hoc modo: An sit animal grad<sup>i</sup>ens bipes, definitio hominis? aut, sit ne animal hominis genus? propositio est. sin hoc modo, sit ne animal grad<sup>i</sup>ens bipes, definitio hominis, necne? quæstio est, quod idem in cæteris contingit. Pari igitur numero inter se respondent & propositiones & quæstiones: præsertim cum ex omni propositione, si rationem dicendi mutes, quæstionem facere possis.

## CAPVT IIIII.

Nunc dicendum est, quid sit definitio, quid genus, quid proprium, quid accidens. Definitio, est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit. Adhibetur autem aut oratio pro nomine, aut pro oratione oratio. possunt enim quædam quæ oratione exprimuntur, definitione aperiri. Qui autem quoquo modo nomen pro nomine reddunt, ij profectò rei definitionem non explicat: quædoquidem omnis definitio oratio est. attamen hoc referendum est ad definitionem: ut, Honestum est, quod decet. Itemq; hoc, utrum idem sit sensus & scientia, an aliud, definitioni attributum est. in definitionibus enim idemne sit, an alterum, multus usus est. Ad definitionemq; pertinent ea omnia, quæ eadem uia & ratione tractantur, qua definitio. Atq; hæc omnia talia esse, ex hoc intelligi potest, quòd si possumus quid idem sit, quid aliud, differere, magna nobis de definitionibus disputandi superpetet copia. Nam si non idem esse ostendemus, definitionem infirmabimus: quanquam non id retrò commeat, non enim satis est ad construendam definitionem, idem esse

esse docere: ad euertendam autem satis est, non esse idem ostendere. Proprium autem est, quod quid sit res non explicat, in soloq; inest, & uicissim de re dicitur: ueluti hominis proprium est, natum esse ad percipiendam grammaticam. Si enim homo sit, uim habet ad percipiendam grammaticam: & si quid sit quod uim ad percipiendam grammaticam habeat, homo. Neq; enim quisquam id proprium esse dicat, quod in aliam rem transferri potest: ut dormire hominis proprium non est, etiam si ad quoddam tempus in solum hominem cadat. sed si quid tale propriū dicatur, non omnino, sed ad quoddam tempus, aut ad aliquid collatum, proprium appellabitur. Nam à dextra esse, proprium est interdum: & bipedem esse, proprium est, quod cum aliquo confertur, ut hominis proprium est ad equum & canem. Atq; nihil eorum quæ in alio etiam inesse possunt, uicissim dici, hinc perspicui licet, quod non est necesse, si quid aliud dormiat, id esse hominem. Genus autem id est, quod de pluribus, specie autem differentibus dicitur, in quæstione qua quid sit res queritur. In quæstione autem qua quid quicque sit queritur, ea dicuntur omnia quæ accommodatè & aptè respondentur, cum rogatur quid sit id de quo agitur. Vt si quis rogetur quid sit homo, aptè respondebit animal. Generi etiam illud attributum est, sit ne aliquid in eodem genere in quo aliud, an in alio. hoc enim eadem ratione tractatur, qua genus. Nam si animal genus hominis esse demonstrauerimus, itemq; bouis: certè ostenderimus, quod in eodem sunt genere. & si alterius genus esse docuerimus, alterius non esse, ea non ad idem genus docuerimus pertinere. Accidens est, quod nihil horum

est, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit: & quod cadere potest in rem unam aliquam, & in eandem non cadere, uelut sedere, & conuenire eidem & non conuenire potest. itemq; id quod album est: quoniam nihil prohibet eundem aliàs album esse, aliàs non album. Harum autem accidentis definitionum uerior est & aptior secunda. Siquidem priore proposita, si quis eam sit intellecturus, is ante quid definitio sit, quid genus, quid proprium, sciat necesse est: at posterior satis ipsa per se plena & perfecta est, ut quid sit accidens per se intelligatur. Accidenti attributa sunt rerum omnium inter se comparationes, quæ ab accidente ducuntur: ut, utrum expetendum magis, quod honestum est, an quod utile? & utra uita suauior, eãne quæ uirtute, an quæ uoluptate dirigitur? & si quid aliud eodem modo dicitur. In ijs enim omnibus, utri id de quo agitur magis conueniat, quæritur, ex quo perspicuum est, accidens ad quoddam tempus, & cum aliquo collatum, proprii nomen obtinere posse: ueluti sedere, quod est accidens, si quis solus sedeat, tum ad tempus proprium erit: & si solus quia sedeat, etiam erit proprium ad eos qui non sedent. Ita nihil prohibet accidens ad quoddam tempus, & cum aliquo collocatum, uim proprii ac nomen obtinere, cum interim non sit futurum omnino proprium.

## CAPVT V.

Illud autem ignorare non debemus, ea omnia quæ ad proprium, quæ ad genus, quæ ad accidens referuntur, attribui etiam definitionibus posse. Nam si demonstrauerimus, non soli ei conuenire quod definitur, ut in proprio: aut non esse in definitione genus id quod datum

tum est: aut non inesse aliquid eorum quæ in definitione continentur: quod etiam in accidente dici potest: certe definitionem euertimus. Ita iuxta illam, quam paulo antè posuimus, rationem quodammodo sub definitionem cadent omnia. Nec uerò ob eam causam in his omnibus uia & ratio una generalis quærenda est. Non enim hoc inuentu facile est: & si inuentum sit, tamen obscurum erit omnino, nec magnum adiumentum ad id quod quærimus adferet: at si propria eorum sigillatim uia tradatur, facilius ex ijs quæ singulorum propria sunt, de re proposita erit explicatio. Itaq; summa illa (idq; rudi, ut paulo antè dixi, minerua) facienda partitio est. Tum sua cuiq; assignanda sunt attributa, quæ tum generis, tum definitionis attributa dicentur. Ferè autem quæ exposita sunt, ea sunt quæ singulorum generum attributa sunt.

## CAPVT VI.

Primum autem omnium de eodem differendum est, quo modo dicatur. Tripertitò autem, ut rudius hanc rem subiiciam, distributum est. Aut enim numero, aut specie, aut genere idem soliti sumus dicere. At numero quidem eadem sunt, quorum & nomina plura & res una est: ut uestimentum & uestis. Speciei autem eiusdem sunt ea quæ multa sunt, neq; specie differunt: ut duo homines, ut duo equi. Ea enim eiusdem speciei dicuntur, quæ eidem speciei subiecta sunt. Itemq; eiusdem generis sunt ea, quæ eidem generi subiiciuntur: ut homo, & equus. Aqua autem quæ ab eodem fonte manat, eadem dici alio modo atq; superiora uidebitur: sed tamen in eodem genere numeranda est, in quo ea quæ unius speciei quoquo

quoquo modo habetur, præsertim cum cognatione quadam & similitudine hæc inter se coniuncta sunt omnia, Siquidem aquæ omnes, quod similitudinem quandam inter se habeant, eiusdem speciei sunt: & aquæ ab eodem fonte fluentes, quæ eadem dicuntur, non alia ratione differunt ab alijs, nisi quod excellentior sit & maior harum similitudo. Itaque non ab ijs hoc genus seiungimus, quæ eadem quoquo modo specie continentur. Constat autem inter omnes, id quod est unum numero, idem appellari uerissime. Idq; solet in multas partes tribuiz quarum prima est, & maxime propria ea, qua aliqua eodem nomine uel definitione dicuntur, ut uestimentum & tunica, ut animal gradiens bipes & homo. Secundo loco, cum per proprietatem idem aliquid exprimitur; cuius generis est hoc totum quod uim habet ad cognitionem percipiendam, & homo: & quod sublime natura fertur & ignis, eadem sunt proprietate. Tertio loco, cum id ab accidentibus nascitur, ut quod sedet, quodq; musica præditum est, idem est quod Socrates. unum enim numero hæc declarare omnia, ex ijs qui nominum mutationem faciunt, intelligi potest. Sæpe enim si quem euocari iubemus nominatim, neq; is intelligit cui iubemus, alio tum nomine utimur, quasi facilius ex re aduenticia sit intellecturus, ideoq; uel sedentem, uel disputantem ad nos accersiri iubemus. Ex quo perspicuum est, idem existimare nos accidente declarari, quod nomine. Idem igitur tribus modis, ut expositum est, dicitur.

## CAPVT VII.

Omnem autem disputationem de ijs quæ supra dicta sunt haberi, ex hisq; constare, primum inductione perspicui

perspicui licet. Si quis enim unamquamque propositionem  
 & questionem perspiciat & consideret, is certe uel ex  
 definitione, uel ex proprio, uel ex genere, uel ex acciden-  
 te eam constare animaduertet. deinde id ratiocinatione  
 hac concludi potest. Quicquid enim de aliquo dicitur,  
 id necesse est reciprocari, uel non reciprocari. Si reci-  
 procatur, definitio erit, uel proprium. Nam si naturam  
 rei explicet, definitio: si non explicet, proprium erit  
 præsertim cum proprium id esse definierimus, quod ui-  
 cissim diceretur, neque rei uim naturamque explicaret. Si  
 minus ipsam & res reciprocentur, aut in ijs est quæ in  
 definitionem inclusa de subiecto dicuntur, aut non. Si  
 in ijs quæ in definitione comprehensa de subiecto di-  
 cuntur, aut genus, aut differentia sit necesse est: quan-  
 doquidem è genere ac differentijs omnis definitio est.  
 Si non est in ijs quæ in definitione continentur, profe-  
 ctò accidens sit necesse est: siquidem accidens id esse de-  
 finiuius, quod nec definitio est, nec genus, nec pro-  
 prium, rei autem accidit. Deinceps categoriæ exponen-  
 dæ sunt, ad quas eæ quatuor rerum quas diximus distin-  
 ctiones differentiæque referuntur. Sunt autem numero  
 decem: substantia, quantitas, qualitas, ea quæ cum ali-  
 quo conferuntur, ubi, quando, situm esse, habere, face-  
 re, pati. Semper enim ad unam harum decem, accidens,  
 genus, proprium, & definitio pertinent: ut necesse sit om-  
 nes quæ ex his constabunt propositiones & quæstio-  
 nes, aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem,  
 aut aliquam aliam categoriam indicare. Id autem quod  
 significat quid alterum sit, interdum substantiam signi-  
 ficare, interdum qualitatem, interdum aliam catego-  
 riam,

riam, ex hoc perspicui potest, quod cum proposito homine aliquis dicit, id quod propositum sit, esse hominem aut animal, is & quid est dicit, & substantiam explicat: cumq; proposito & constituto colore albo, dicit id de quo agitur, colorem album esse, naturam & substantiam declarat, explicatq; qualitatem. Itemq; si proposita magnitudine unius cubiti, id confirmet, de quo agitur, magnitudinem esse unius cubiti, substantiam dicit, & quantitatem indicat. Quod idem in ceteris contingit. Siue enim idem de se dicatur, siue genus de eodem, naturam substantiamq; declarat. Sin de alio, non naturam iam, sed uel qualitatem, uel quantitatem, uel aliquam aliam categoriam indicat. Quare hæc tot sunt, de quibus, & ex quibus omnis instituitur disputatio: Sequitur ut, quemadmodum propositiones eligamus, quibusq; rebus hæc nobis facultas suppeditabitur, doceamus.

## CAPVT VIII.

Primum igitur exponendum est, quid sit Propositio dialectica, quid quæstio dialectica. Neq; enim propositio quæstioq; omnis dialectica putanda est, præsertim cum nemo, qui quidem mentis suæ sit, accipiat ut aliquid probet, quod probetur nemini: neq; pro quæstione ponat, quod perspicuum sit omnibus, aut plurius: quando quidem hæc nullam dubitationem habent: illa autem nemo unquam admiserit. Est autem Propositio, interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem, uel omnium, uel complurium, uel sapientum: ac sapientum, aut omnium, aut permultorum, aut eorum quorum maxime perspecta est & spectata

Etata sapientia. Nam id facile admitti solet, quod  
 sapientibus probatur, dummodo maximæ partis sen-  
 tentijs minimè repugnet. Pertinent etiam ad propo-  
 sitiones huius generis ea omnia, & quæ ad probabi-  
 lium similitudinem accedunt, & disparata eorum quæ  
 probabilibus aduersantur, omnesq; sententiæ quæ ijs  
 artibus quæ inuentæ sunt, congruunt & consentiunt.  
 Nam si hoc probabile est, eandem in contrarijs artem  
 uersari; etiam illud, eidem sensui subiecta esse contra-  
 ria, probabile uideatur. Et si unam numero gram-  
 maticam esse, tiliarum etiam artem unam esse proba-  
 bile erit: sin plures grammaticæ, plures etiam artes es-  
 se tiliarum. Hæc enim similia & cognata sunt om-  
 nia. Itemq; disparata eorum quæ probabilibus con-  
 traria sunt, probabilia uidebuntur. Si enim hoc pro-  
 babile sit, Afficiendos esse beneficijs amicos: illud e-  
 tiam probabile erit, De amicis non esse malè meren-  
 dum. Atqui contrarium est, malè merendum esse de a-  
 micis; disparatum uerò, non esse malè merendum. Si-  
 militer, si de amicis bene merendum sit, de hostibus  
 non est bene merendum; quod est contradicens eius,  
 quod probabili repugnabat. Contrarium enim est,  
 Bene merendum esse de hostibus. Eadem est ra-  
 tio cæterorum. Ex similitudine etiam probabile exi-  
 stet, contrarium de contrario. Si enim de amicis be-  
 ne merendum est, de inimicis etiam malè. quorum il-  
 lud, Bene de amicis merendum est, contrarium est  
 huius, De inimicis malè merendum est. Vtrum au-  
 tum id uerè dicatur, nène: deinceps, cum de contrarijs  
 differemus, docebimus. Hoc autem perspicuum est,  
 sententia

sententias omnes quæ artibus consentiunt, propositionibus ijs quæ dialecticæ sint, attribui oportere. Illa enim quisque admittere solet, quæ probantur ijs qui in quaq; arte uersati sunt: ueluti in re medica, quæ medico: in re geometrica, quæ geometræ. Quod de alijs iudicandum est eodem modo.

CAPVT IX.

Quæstio autem dialectica est, quæstio aut ad expectandum & fugiendum, aut ad ueritatem cognitionemq; pertinens: idq; uel per se, uel quia adiumentum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur: de qua aut neutram in partem, aut contra plerique ac sapientes sentiunt, aut sapientes contra ac plerique, aut utrique ipsi secum discordant. Sunt enim quæstiones quædam ad persequendum quid & declinandum: cuius generis hæc est, Vtrum uoluptas bonum est, necne? Aliæ sunt solum cognitionis & scientiæ: ut si quærat, Sit necne sit mundus sempiternus? Quædam ipsæ per se ad neutrum horum ualent, habent tamen suam quandam ad illa utilitatem. Multa enim sunt, quæ per se ad cognoscendum nos non mouent, nisi aliorum causa, ut per ea alia discamus. Sunt etiam quæstiones, de quibus ratiocinationes contrariæ sunt. Vtrum enim sic, an ne secus sit, quæstio est, propterea quod in utranque partem rationes probabiles suppetant. Sunt & de quibus, quia magna & ardua sunt, statuere nil possumus, rati difficilem esse causæ explanationem: quo ex genere hæc est, Vtrum mundus æternus est, necne? id enim incidere potest in disputationem. Ac Propositio quidē & Quæstio exposita sunt. Propositum autem, sententia est admirabilis, contraq;

contra  
Philos  
posse  
nia, H  
modu  
pinio  
Aut d  
ration  
quod  
placet  
que  
ueru  
nitit  
quide  
posu  
mod  
posu  
quod  
mult  
seipsi  
sit, se  
omnes  
cantu  
Neq  
gulis  
coru  
nemu  
re de  
tionem  
reant

contraq; opinionem omnium, alicuius eorum quorum in  
 Philosophia illustris est & peruagata fama: uelut, Non  
 posse contradici, ut placet Antistheni: uel, Moueri om-  
 nia, Heracliti sententia; uel, Vnum esse omnia, quemad-  
 modum ait Melissus. Nam curare quæ quisq; contra o-  
 pinionem & sententiam omnium asserat, amentia est.  
 Aut de ijs certè rebus, quæ cum sint contra opinionem,  
 ratione tamen niti uidentur: quale illud est, Non omne  
 quod est, aut natum esse, aut sempiternum, ut sophistis  
 placet. Bum enim qui musicus sit, esse grammaticum, ne-  
 que factum est, neq; sempiternum. Id enim etsi nemini  
 uerum esse uideatur, quia tamen probabili illa ratione  
 nititur, alicui probabile uideri poterit. Ac propositum  
 quidem, etiam quæstio est, nõ omnis autem quæstio pro-  
 positum: quando quidem nonnullæ quæstiones sunt eius-  
 modi, de quibus neutram in partem sunt sententia. Pro-  
 positum autem esse quæstionem, hinc perspici potest:  
 quòd si uera sunt, quæ paulo antè dixi, necesse est, aut  
 multos de proposito à sapientibus, aut quoque modo à  
 seipsis utrosque illos dissentire: quippe cum propositum  
 sit, sententia contra aliorum opinionem. Porro autem  
 omnes ferè Dialecticæ quæstiones hodie proposita uo-  
 cantur, nihil tamen refert quocumque nomine utamur.  
 Neque enim hæc ita distinximus, quasi sua nomina sin-  
 gulis rebus dare uelimus, sed ut ne ignoraremus quæ sit  
 eorum distinctio. Nec uerò omne propositum, om-  
 nemue quæstionem nobis ad disputandum propone-  
 re debemus: sed de qua quærat aliquis eorum qui ra-  
 tionem desiderent, non pœna digni sint, aut sensu ca-  
 reant. Nam & qui quærun, Sint, necne sint dij colen-

di, & amandi parentes, supplicio coercendi sunt: & qui, sit ne alba nix necne, sensu carent. Nec de ijs etiam quæstionibus & propositis disputare debemus, quorum in promptu est & facilis explicatio, aut nimium remota & difficilis: quoniam illa nullam dubitationem afferant, hæc maiorem quam ut eam ferre possit exercendi consuetudo.

## CAPVT X.

His autem expositis, deinceps quot sint genera argumentationum dialecticarum, dicendum est. Est autem una, quæ inductio: altera, quæ ratiocinatio nominatur. Ac ratiocinatio quid sit, iam diximus. Inductio autem est, ex rebus singulis ad uniuersis progressio: ut, si gubernator is demum sit optimus, qui peritus et doctus, itemque auriga: in quaque etiam re qui sit peritus & exercitatus, omnino sit optimus & præstantissimus. Inductio quidem uerisimilior apertiorque est, sensuumque iudicio familiarior & notior, ac sæpius in populi ore uersatur. Ratiocinatio autem magis urget, ad eosque qui contra dicunt refellendos potentior est. Ac genera quidem in quibus uersantur, & ex quibus constant argumentationes, ea sunt quæ diximus.

## CAPVT XI.

Rationes autem quibus magnam ratiocinationum argumentorumque copiam comparabimus, sunt quatuor. quarum una est in propositionibus eligendis: altera in distinguendo quot modis quicque dicatur: tertia in differentijs inueniendis: quarta in similitudinis cognitione & scientia. Sunt autem quodammodo tria illa propositiones. Licet enim ex uno quoque eorum propositionem ducere:

ducere: ut expetendum esse, uel quod honestum est, uel quod iucundum est, uel quod utile. Et hoc inter sensum & scientiam interesse, quod si scientia amissa sit, rursum comparari potest: sensus semel erutus & amissus, non potest recipi. Et quam rationem habet id quod efficit bonam ualeitudinem, ad bonam ualeitudinem: eandem habere id quod firmam constitutionem facit, ad firmam constitutionem. Atqui prima propositio est ex ijs quæ multis modis dicuntur, secunda e' differentia, tertia ex similitudine. Propositiones igitur eligendæ sunt, quot modis in propositione explicanda diximus, ut uel omnium sententias seligamus, uel plurimorum, uel sapientum: atque eorum uel omnium, uel plurimorum, uel eorum in quibus ualet opinio sapientiæ, uel etiam quæ contrariæ sint probabilibus, uel quæ sunt artium singularum propriæ sententiæ: sed contrariæ probabilibus ita sunt accipiendæ, quemadmodum supra diximus, ut non ipsæ, sed contradicentes earum sumantur. Hoc etiam utile, in ijs eligendis non solum probabiles sumere, sed eas etiam quæ ad earum similitudinem accedunt simul proferre: ut eundem sensum in contrarijs uersari, quoniam etiam ars & scientia uersatur. itemq; nos cernere aliqua re in aspectum intromissa & recepta, non inde eiecta & emissa: quoniam eodem modo audimus, gustamus, & olfacimus. Quod idem fit in cæteris. Iam ea pro initio & propositione assumenda sunt, quæ in omnibus uel certè in plurimis rebus ita esse uidentur. Talia enim facile admittunt, qui nil habent in quo uera illa non esse ostendant. Seligendæ etiam ex his disputationibus propositiones, quæ ab alijs scriptæ sunt: sed descriptiones ita faciendæ sunt,

*Item Boetij de  
Prædicatione Erii.  
titulus Cap 12*

sunt, ut de quoque genere separatim perscribamus: ueluti de bono, aut de animantibus; ac de omni genere bonorum, initio factò à quæstione naturæ. Notandæ etiam sunt omnium sententiæ: ut placere Empedocli, quatuor esse corporum initia & elementa. dictum enim clari hominis facile admittitur. Propositiones autem & quæstiones (ut earum rudi minerua numerum complectar) tribus ferè generibus continentur. partim enim ad uitam & mores, partim ad naturæ obscuritatem, partim ad differendi rationem pertinent. Ad uitam & mores, quales hæc sunt: Sitne parentibus potius parendum, an legibus, si discrepent? Ad differendi rationem: Vtrum eadem ars in contrarijs uersetur? Ad naturæ obscuritatem: ut, Sitne mundus sempiternus? Eadem est ratio quæstionum. Porro autem quænam, & qualia sint tria genera, definitione explicare difficile est: tamen diligentia nobis adhibenda est, ut inductione frequenti, ex similitudine exemplorum, quæ de singulis generibus proposui, quod sit quodq; intelligamus. Ac instituto quidem philosophorum ad ueritatem, dialecticorum ad opinionem & uerisimilitudinem, hæc omnis de ijs dirigi debet disputatio. Sumendæ sunt autem quàm maximè uniuersæ omnes propositiones, & una in multas distribuenda est: ut eadem arte contraria contineri, deinde aduersa, tum ea quæ cum aliquo conferuntur. Eodemq; modo hæc in partes diuidendæ sunt, quoad diuidi possunt. ut, bonorum & malorum eandem esse artem, alborum & nigrorum, frigoris & caloris: idemq; in cæteris faciendum est. Ac de propositione quidem satis multa dicta sunt.

In illo autem, quot modis quidq; dicatur, non solum uidentia sunt quæ alio atq; alio modo dicuntur, sed dâda etiam opera est, ut rationes afferantur. ueluti non solum explicandum est, bonum alio modo dici iusticiam & fortitudinem, quàm id quod ad firmam affectionem corporis, & id quod ad bonam ualitudinem efficiendâ ualet. sed etiam illa, hoc ipso quod affectiones quædam sunt et qualitates: hæc, ob causam, quod uim habeant efficiendi aliquid, non quod ipsa sint qualitates. Quod in cæteris omnibus uidentium erit diligenter. An autem specie multis modis, uel uno modo aliqua dicantur, ex his perspicere potest. Primum ex contrario considerandû est, an multis modis dicatur, siue specie, siue etiam nomine discrepet. Sunt enim quædam, quæ statim nominibus alijs atq; alijs differant: ut ei quod acutum est in uoce, contrarium est graue; in magnitudine, obtusum. Perspicuum est igitur id multis modis dici, quod acuto contrarium est. Quod si hoc, etiam quod acutiû est, utriusq; enim ratione alterum erit contrarium: quoniam non idem acutum obtuso & graui cõtrarium futurum est, atqui utriq; acutum est contrarium. Rursum grauitati in uoce contrarius est acutus sonus, in magnitudine leuitas: ita grauitas multis modis dicitur, quandoquidem etiam eius contrarium. Itemq; quoniam pulchro in animali, turpe contrarium est, in domino autem, si quod illa peccatum habet: fit, ut pulchrum sit homonymum. In quibusdam, cum nomina non sunt uaria, tamen aperta speciei distinctio est: ut in candido & fusco contingit. uox enim & candida & fusca dicitur itemq; color candidus & fuscus. Non igitur nomine

discrepāt, cum interim perspicua speciei aut generis de-  
 claratur differentia. non enim eodem modo color fuscus,  
 & uox fusca appellatur. Atq; etiam ex sensu id perspicu-  
 licet. Quæ enim eiusdē sunt generis, eidem sensui subie-  
 cta sunt: de eo autem quod in uoce & in colore est candi-  
 dum, non eodem sensu iudicamus: sed hoc aspectu, illud  
 auribus. Itemq; eius quod acutum est & obtusum in sa-  
 poribus & magnitudinibus, nō in eodem sensu iudicium  
 est: sed huius in tactu, illius in gustu. neq; enim hæc nomi-  
 nibus discrepant, neq; ipsa per se, neq; contraria. quippe  
 cum obtusum in utroq; sit, & contrarium. Præterea ui-  
 dendum est, unine quid sit contrarium, alteri nihil sit o-  
 mnino. ut uoluptati quæ ex potione capitur, contrarius  
 dolor est is quem sitis affert: at huic quæ ex cognoscendo  
 & discendo capitur, diametron lateri incomparabilem  
 esse, nihil contrarium est. Ita uoluptas multis modis dici-  
 tur. itemq; φιλῶν ut animi est, contrarium habet odissæ  
 φιλῶν autem ut ad actionem corporis refertur, nihil ha-  
 bet contrarium: ob eam causam φιλῶν multis modis di-  
 citur. Hoc etiam considerādum est in ijs inter quæ media  
 interiecta sunt, utrum aliquorum sit medium, aliorum  
 nihil sit: aut sit ne utriusq;, nec tamen idem medium, ut  
 inter candidum & fuscum colorem pallidus est interie-  
 ctus, inter uocem candidam & fuscam nihil. nisi forte  
 raris interiecta est: placet enim quibusdam, raucam uo-  
 cem esse interiectā. Sunt itaq; candidum & fuscum mul-  
 tiplicia. Præterea hoc etiam uidendum est, sint ne ali-  
 quorum plura media, aliorum unum: ut inter candidum  
 & fuscum colorem plura sunt interiecta. Coloribus es-  
 simi multa sunt interiecta, uoci unum raucedo.

LIBER I.  
CAPVT XIII.

407

In disparatis etiam uidentur est, dicantur ne multis modis. Si enim unius multi sunt modi, etiā contrarij multi modi erūt: ut si non cernere multis modis dicatur, uno priuatum esse oculis, altero non fungi oculorum officio, cernere etiam multis modis dicatur necesse est. Vtrique enim significationi uerbi non cernere aliquid opponitur: ut non habere aspectum, & haberet & non fungi officio oculorum, ac fungi. In ijs autem contrarijs quæ priuantia dicuntur, idem hoc spectandum est. Nam si unum multis modis dicatur, etiam alterum: ut si sentire multis modis dicatur, quia modò ad animum, modò ad corpus pertineat, etiam multis modis dicetur carere sensu, cum modò ad animum, modò ad corpus transferatur. Ea autē priuantia esse hinc intelligi licet, quòd animantia nata sunt ad sentiendum animo & corpore. Iam uerò in coniugatis hæc spectanda sunt. Si iustè multis modis dicatur, eius etiam quod iustum est multa erunt genera. Ex utroq; enim eorum quæ iustè fiunt, genere, quod iustum est nominatur. ut si iustè appelletur modò ex sua sententia iudicare, modò reète: eodem modo etiam quod iustum est appellabitur. Similiterq; si quod ad ualitudinem pertinet multis modis dicatur, etiam accommodatè ad ualitudinem multis modis dicetur. Ut quoniam quod ad ualitudinem ualet, dicitur, & quod efficiens est ualitudinis, & quod conseruans est, & quod indicans: sic accommodatè ad ualitudinem uel efficiendam, uel tuendam, uel indicandam. Itemq; in cæteris, si alicuius multa sint genera, casuum etiam multa erunt: & si casuum multa, etiam illius. Atq; etiam uidentur est, sint ne

genera categoriarum quæ nomini congruunt, eadem in omnibus quibus ipsum attribuitur. Si enim non eadem sunt, certè id de quo agitur, ambiguum est. bonum in cibo id est, quod est efficiens uoluptatis: in medicina, quod efficiens est ualeudinis: in animo quale sit, aliquid significat, ut temperatū esse, uel fortem, uel iustum. Quod idem in homine contingit. Hoc etiam aliquoties in categoria Quando reperitur, ut quod in tempore sit bonum. Bonū enim dicitur, quod opportunè sit, & in tempore. Hoc etiam ad categoriam Quantitatis interdum pertinet, ut quod sit modicè, bona enim est mediocritas. Quapropter bonum multis modis dicitur. Itemq; candor in corpore color appellatur in uoce, quod facile et statim percipitur. Eodemq; modo id quod acutum est: neq; enim similiter in omnibus idem dicitur: ut uox acuta est ea quæ cita, ut placet ijs qui modos & concentus in numeris conseruantur: angulus autè acutus is est, qui minor est rector: & machæra, cuius est acutus angulus. Videndum est etiam, sint ne genera quæ eidè nomini conueniunt diuersa, atq; ita diuersa, ut unum ab altero non contineatur: ut grus, cum auem & machinam significat. Eorum enim uaria est nominis definitio & ratio. Nam illud species quædam auis est, hoc autem machinæ. Sin unum genus ab alio cõtineatur, non necesse est uarias esse rationes: ut corui & animal genus est, & auis. Cum igitur coruum auem esse dicimus, animal quoddem eum esse dicimus, ita de eo utrunq; genus dicitur. Itemq; cum coruum animal pennigerum bipes nūcupamus, auem eum esse declaramus. ita utrunq; genus in coruo, eorumq; ratio intelligitur. In ijs autem generibus, quorū unum non ab altero  
 conti

continetur, hoc non contingit. neq; enim cum machinam dicimus, auem dicimus: neq; machinam, cum auem. Nec uerò in eo solū de quo agitur, spectare debemus, an sint uaria genera, quorum neutrum alterum continebit: sed ex contrario etiā id perspicere debet. Nam si contrarium multis modis dicatur, profectò id etiā quod propositum est, dicatur multis modis necesse est. Vtile est etiam definitionem uerbi coniuncti diligenter ponderare & exquirere: ut candidi corporis, & cādidæ uocis. Sublato enim eo quod proprium est, eadem relinqui debet definitio. quod in homonymis non contingit: ueluti in ijs ipsis quæ a nobis modò prolata sunt. Superioris enim hæc erit definitio: Corpus candidum, corpus est quod tali est colore affectum. Posterioris hæc: Vox candida, est uox quæ facile intelligitur. Sublato igitur corpore & uoce, non idem in utroq; relinquitur. Atqui deberet, si quidem synonymum erat candidum, quod in utroque idem esse dicebatur. Et quoniam sæpe in definitionibus homonymum quod consequens est, ignoratur, propterea spectanda etiam definitio est, ut si quis efficientia ualeitudinis & indicantia, esse dicat ea quæ certo quodam modo ad ualeitudinem affecta sunt, non erit propterea desistendum: sed exquirendum, quid in utrisq; certus ille modus quem dixit significet. uerbi gratia, dicanturne efficientia, certo quodam modo ualeitudinem respicere, quia uis eorum tanta sit, ut efficere ualeitudinem possint: indicantia autem, quia talia sint, ut qualis sit ualeitudo indicare possint. Præterea illud etiam considerandum est, possint ne conferri ex maiore, uel ex similitudine: ut uox candida, & candida uestis: acutus sapor, & uox acuta. Hæc enim

nec eodem modo alba & acuta dicuntur, nec alterum altero magis tale. Ex quo fit, ut id quod acutum est, & quod candidum, sint homonyma: quippe cum synonyma omnia ualeant ad comparationem. nam aut similia dicuntur, aut aliud alio maius. Quoniam autem diuersorum generum, quorum neutrum ab altero continetur, diuersæ specie differentiæ sunt (ut animalis & scientiæ sunt diuersæ differentiæ) uidendum est, an ea quæ eidem nomini subiecta sunt, differentiæ sint diuersorum generum, quorum unum ab altero non contineatur: ut quod acutum est, uocis & magnitudinis. Vox enim à uoce differt, quod acuta sit; item magnitudo à magnitudine. Ita fit, ut acuti uocabulum sit in homonymis. Diuersorum enim generum, quorum unum ab altero non continetur, diuersæ sunt differentiæ. Iam illud etiam spectare debemus, eorumne quæ eidem nomini subiecta sunt, diuersæ sint differentiæ: ut coloris eius qui in corpore inest, & eius qui in figuris rhetoricis, uariæ sunt differentiæ: illius, quod ualet ad separandum aspectum, & quod ad comparandum: huius non eadem sunt. quo fit, ut color uarijs modis dicatur. Earundem enim rerum eadem sunt differentiæ. Postremo, quoniam species nullius differentia est (homo enim & bos non in numero differentiarum habentur, cum speciei nomen uimq; obtineant) uidendum est diligenter, eorumne quæ eidem nomini subiecta sunt, unum in specie, alterum in differentia numeretur. ueluti, candor qui accidit corpori, coloris est species: qui autem in uoce spectatur, differentia. Differt enim uox à uoce, quod sit candida. Ac in ijs quæ multis modis dicuntur, hæc consideranda sunt omnia.

LIBER I.  
CAPVT XIII.

4

Conuenientia

Differentias autem in ijs primū quæ ad unum ge-  
nus referuntur, perspicere & iudicare debemus, ueluti  
quid inter iusticiam & fortitudinem intersit, & inter  
prudentiam ac temperantiam. quoniam hæc ex eodem  
genere uirtutis nata sunt omnia. Præterea in ijs quæ di-  
uersis generibus continentur, sed ita, ut inter illa differen-  
tias inuestigemus, inter quæ non uidetur magna distan-  
tia: ut quid sensus à scientia differat. In ijs enim quæ mul-  
tum inter se discrepant, facile apparent eorum distin-  
ctiones & dissimilitudines. Similitudo uerò in ijs sic spe-  
ctanda est, quæ in diuersis generibus collocauntur: ut alte-  
rum ad alterum est, sic aliud ad aliud, hoc modo: Quam  
rationem habet scientia ad id quod scientiæ subiectum  
est, eandem sensus habet ad id quod sub sensum cadit. I-  
temq; ut alterum in altero est, sic aliud in alio, hoc mo-  
do: Quemadmodum aspectus in oculo est, sic mens in ani-  
mo: & sicut in mari tranquillitas, ita serenitas est in æ-  
re. quoniam utrunq; est quies uacuitasq; uentorum. In ijs  
autem rebus quarum magnæ sunt dissimilitudines & di-  
stinctiones, usus & exercitatio capienda est maxime. Sic  
enim facilius, quæ aliarum sunt similitudines perspicere  
poterimus. Atq; etiam illud spectandum est, in eane quæ  
ad idem genus pertinent, aliquid idem conueniat: ut in  
hominem, equum & canem. Si enim unum & idem in  
eos cadat, hoc ipso erunt similes. Meditatum autem &  
in promptu habere, quot quicq; modis dicatur, magnum  
ad perspicuitatem affert adiumentum. Facilius enim quid  
sit id de quo agitur, si explanatum sit, quot modis dica-  
tur, intelligitur. In eo etiam magna uis est, ut de re ipsa.

no 12

non de nomine tractetur argumētatio. nam si incertum sit, quot modis id de quo agitur dicatur, fieri poterit, ut & is qui respondet, & is qui interrogat, non eodem animi sensum referat, & intelligentiam. At si explicata sit ambiguitas, et is qui rem proponit ad disputandū, suum animi sensum de re ipsa exprimat, profectò ridiculus sit is qui rogat, nisi eodem omnē conferat conuertatq; orationem. Magnā etiam uim habet, & ut ne fallaci conclusionem ab alijs capiamur, & ut alios captioso conclusionis genere fallamus. Si enim quot modis dicatur id de quo agitur, sciamus, non decipiemur; intelligemusq; is ne qui rogat, ad eandē intelligentiā omnem conferat orationē, an non; et nos, si quando nobis obijciendum est, eum qui respondeat, si ignoret quot modis id de quo agitur dicatur, fallaci conclusionem poterimus decipere. Sed huius rei non semper est locus: sed cum eorum quæ ambigūe dicuntur, alia uera, alia falsa sunt. Nec uero hic locus aptus est, & proprius dialecticæ. Itaq; ijs omnibus qui ratione & uere differere uolunt, hoc omnino fugiendum est, ne eorum in nomine uersetur disputatio & controuersia, nisi fortè aliquis non possit aliter de re proposita disputare.

## CAPVT XV.

Differentiarum autem inuentio, & ad ratiocinationes conficiendas de eodem & alio utilis est, & ad cognoscendum quid quicq; sit. Conferre quidem ad ratiocinationes de eodem & alio, hinc perspicitur potest: quòd si rerum propositarum dissimilitudines, distinctionesq; inuenerimus, facile non esse idem docebimus; ad perspicendum autem quid quicque sit, quòd eam orationem quæ uim & naturam cuiusq; rei exprimat, ex proprijs cuiusq;

euiusq; rei differentijs intelligere solemus. Similium uero cognitio hanc nobis commoditatem asseret, ut argumentationes & per inductionem, & per rationationes quæ ex fictione dicuntur, tractemus: & definiendo uim naturamq; rerum explicemus. Argumentationes quidem per inductionem tractabimus, quia rerum singularum quæ similes sunt inductione, res uniuersis concludi existimamus. Neq; enim facile inducere possunt ij, qui ignorant rerum inter se similitudines. Ad eas autem rationationes quæ ex fictione tractantur, quòd probabile est, ut res habet in uno eorum quæ similia sunt, sic in reliquis habere: ita de uno aliquo, cum differere poterimus, illud antè ex conuentione ab aduersario accipimus, quemadmodum in eo res se habet, ita in eo quòd propositum sit habere. Cum autem illud docuerimus, etiam id de quo quæritur, quasi ex illa fictione, docuerimus. Nam cum id positum sit, quemadmodum in hoc sit, ita esse in eo de quo quæritur, necessaria conclusione confecta res à nobis fuit. Definiendi autem artem tenebimus, quòd si possimus quid in quaq; re idem sit perspicere, non ignorabimus ad quòd genus rem quam definire uolumus, referre debeamus. Genus enim id est semper, quòd ex ijs quæ cõmunia sunt, maxime indicat quid quidq; sit. Atq; etiam in ijs quæ multum discrepant, ad definitionem utilis similitudinis cognitio est. ut idem esse tranquillitatem in mari, & in aere serenitatem, quoniam utrunq; est quies: & quòd punctum in linea, id uinum in numero, quia utrunq; principium est. Quapropter si pro genere illud accipiamus, quòd illis est hoc modo commune, non uidebimur alienis uerbis definiendo

rem

rem explicasse. Quin etiam ij qui definiunt, ferè eundem modum in definiendo seruare solent. Nam & uinum, principium numeri, & punctum, lineæ principium esse definiunt. Ex quo perspicuum est, eos commune utriusq; genus dicere. Ac rationes quidem & quasi instrumenta, quibus ratiocinationes tractabuntur, diximus. Locos autem, ad quorum usum hæc ipsa accommodata sunt, deinceps trademus.

TOPICORVM LIBER  
Secundus.

CAPVT I.



Questiones autem partim uniuersæ sunt, partim singulæ. uniuersæ sunt hæc, Omnis uoluptas in bonis est, Nulla uoluptas in bonis est. Singulæ hæc, Est quædam uoluptas in bonis, Quædam uoluptas non est in bonis. Vtrumque autem genus quæstionum, uniuersis rationibus quæ & ad confirmandum & infirmandum ualent, continetur. Si enim docuerimus aliquid in totum genus cadere, etiam in partem aliquam cadere ostenderimus. Itemq; si in nullam rem cadere ostendimus, non in totum genus docebimus conuenire. Primum igitur de locis qui ad refellendum totum genus pertinent, dicendum est, quod simul ad generales, & eas quæ tanquam partes subiectæ sunt generi, quæstiones ualent: & quod quæstiones sapius afferri soleant ad disputandum quæ aiunt, quam quæ negant: ijs autem qui contra disputant, refutationis locis utendum. Sed difficilime ab accidente, quasi

quasi commutata dicendi ratione, appellationem propriam desumimus. Aliqua enim ex parte, non omnino in esse, in solis accidentibus reperitur. Nam & à proprio, & à definitione, & à genere commutato sermone appellationem accipi necesse est. ut si cui insitum sit, ut sit animal gradus bipes, uicissim id animal gradus bipes esse uere dicitur. Similis est generis ratio. Si cui enim conuenit esse animal, id animal est. Quod idem cōtingit in proprio. Si cui enim id tributū sit, ut aptum animum habeat ad percipiendam grammaticam, id grammaticæ capax recte appellabitur. Nihil enim horum potest aliqua ex parte conuenire, aut non conuenire; sed omnino uel conueniunt, uel non cōueniunt. At accidens, ut candorem & iusticiam, nihil prohibet quadam ex parte in esse. Quocirca non satis est, candorem & iusticiam docere inesse, si docere uelimus aliquem album esse, uel iustum. Habet enim dubitationē, propterea quod quadam ex parte albus est, uel iustus. Non igitur in accidentibus uicissim hæc retrò commeant necessariō. In quæstiones autem duo peccata incidunt, quæ exponenda sunt. peccatur enim aut mentiēdo, aut decedendo à uerbis quæ imposita sunt rebus. Nam & ab ijs peccatur, qui quod non cadit in aliquem, cadere confirmant: & ab ijs, qui res minus usitatis & tritis nominibus appellant. ut qui hominem platanum appellant, nominum impositorum fines transeunt. Primum uidendum est, an id quod alio modo dicitur, pro accidente explicarit: quod peccatum in genere uersatur maximè. ut si quis candori accidere dixerit, ut sit color. nō enim accidit candori ut sit color, cum eius sit genus color. Atq; id quidem fieri potest, ut

nominatim

nominatim quod genus est, accidens esse ponat: ueluti si  
 dicat, accidere iusticiæ ut sit uirtus. Sapißimè autem, e-  
 tiam si non exprimat, tamen facillè intelligitur genus pro  
 accidente dictum esse: ut si quis candorem colore persusa-  
 sum esse dixerit, aut incessum moueri. Nullo enim ex ge-  
 nere *παρωρύμωσ* trahitur de specie dicēdi ratio, omniaq;  
 genera *συνωρύμωσ* de formis dicuntur. Species enim &  
 nomen generis sibi uendicant, & definitionem. Qui igitur  
 candorem colore tinētum dixit, nec pro genere usus  
 est colore, quia *παρωρύμωσ* dixit: neque pro proprio aut  
 definitione, quia propriū & definitio ad nullā rem aliā  
 trāsferri possunt. At colore persusa sunt etiam alia per-  
 multa: ut lignum, lapis, homo, equus. Ex quo perspicuum  
 est, id expressum esse, tanquam accidens esset. Alius locus  
 est, ut singula persequēdo uideas, id ne quod dictum est,  
 in totū genus cadat, an in partem nullā. Quod in formis,  
 non in infinitis uidendū est. Sic enim uia et ratio erit cer-  
 tior, in paucioribusq; consistet tractatio. Initiū autem à  
 primis faciendum est, deinde usq; ad indiuidua progre-  
 diendum deinceps. Ut si in contrarijs uersari scientiā di-  
 xerit, uidendū, an in ijs quæ cum aliquo conferuntur, &  
 in ijs quæ aduersa appellantur, & in priuantibus, & in  
 negantibus, eadē spectetur scientia. Quod si ne tum quis-  
 dem id perspicere poterit, rursus hæc in partes usq; ad in-  
 diuidua tribuenda sunt: ut, in iustisne & iniustis rebus,  
 aut in duplo & simplo, aut in cæcitate & aspectu, aut  
 in eo quod est, aut in eo quod non est. Si enim in eorum  
 aliquo ostensum sit non esse eandē, sublata & infirmata  
 erit à nobis quæstio. Quod idem iudicandum est, si uni-  
 uerse negaret quæstio proposita. Hic autem locus & ad  
 confira

confirmandum & ad infirmandum ualet. Si enim diu-  
 sione facta, uel in omnibus intelligatur, uel in plerisque,  
 poscendum est ut aut uniuersum detur, aut certe occurrat  
 nobis non ita in quodam reperiri. Nam si neutrum  
 horum faciat, ineptus uidebitur qui non concedat. Alius  
 locus ducitur ex definitione accidentis, & rei cui id ac-  
 cidit, uel utriusque uel alterius. In quo id considerandum  
 est, num quid in definitionibus non uerum pro uero sum-  
 ptum sit. ueluti si quaeratur, Deusne iniuriam faciat: con-  
 stituendum est, quid sit iniuriam facere. Nam si sit, spon-  
 te nocere: profecto Deus non facit iniuriam, quoniam  
 Deus nocere non potest. Si etiam ponatur, An inuidus  
 sapiens, statuendum est, quis sit inuidus, & quid inuidia.  
 Cum enim inuidia, ægritudo sit ex rebus secundis alicuius  
 boni uiri, certe sapiens non inuidet: esset enim improbus.  
 Itēq; si ponatur, An qui indignatur inuidus sit, definiendo  
 aperiendum est, qui sit uterq;. sic enim, uerūne sit an  
 falsum quod dictum est, intelligetur. ueluti, si is inuidere  
 dicitur, qui bonorum dolet rebus secundis: & indignari  
 is, qui dolet improborum secundis rebus: perspicuum est,  
 non inuidere eum qui indignetur. In quo sæpe etiā adhibe-  
 ndæ sunt definitiones pro ijs nominibus, quæ in defini-  
 tionibus continentur: nec ab hoc desistendum, quoad  
 res intelligatur. sæpe enim tradita tota definitione, non  
 intelligimus quod quaeritur: at definitione adhibita pro  
 aliquo nomine eorum quæ in definitione sita sunt, intel-  
 ligimus. Præterea postquam ex quaestione tibi propo-  
 sitionem feceris, quaerendum est, sit ne quicquam quod op-  
 ponere contra possis. nam si quid inueneris quod con-  
 tra propositionem opponas, id erit aduersus quaestionem

D

argue

argumentum. Quamquam autem hic ferè locus idem ualeat, quod is quem iam exposuimus, uidendum esse, utrum in toto genere, an in nullo reperietur, quod pro accidente dictum esset: tamen modo quodam & ratione differunt. Iam uerò exponendum est, quæ appellanda sint, ut pleriq; solent, quæq; non sint appellanda: qui locus et ad confirmandum & refutandum ualet plurimum, ut res nominibus ijs quæ trita sunt uulgo & usitata appellandas esse: at uerò in constituendo quæ res tales uel non tales sint, nõ audiendam esse multitudinem, ueluti salubria ea quæ ualetudinis efficiencia sint, uocanda sunt illa quæ iam uulgi opinione: sed utrum id de quo agitur efficiens sit necne ualetudinis, de eo nõ iam uulgi, sed medicorum iudicium expectare debemus. Præterea si multis modis quid dicatur, propositum autem sit conuenire illud alicui, uel non conuenire, ad alterum significatum multiplicis conferendum est argumentum, si ad utrunq; non possit. Hoc autem faciendum est in ijs, quorum latet ambiguitas. Nam si incertum non sit quot modis dicatur, occurreret statim, non esse id explicatum quod quæreret ac dubitaret, sed alterum. Hic autem locus & ad probandum, & ad reprehendendum ualet. nam si confirmare uolumus, alterum accidere docebimus, si utrunq; non poterimus. Refellentes autem, si utrunq; non possumus, alterum certè non dici & reperiri, in re de qua agitur, ostendemus. Sed hoc interest, quòd is qui reprehendit & refutat, nihil debet ex ijs quæ concessa sunt, & ex conuentione accepta disputare, nec si in toto genere, nec si in nulla parte positum sit quid reperiri. Nam si cuius non accidere docebimus, in toto genere reperiri aliquid reprehendens

præbēdemus. Itemq; si in uno aliquo reperiri demonstrā  
 bimus, nulla ex parte reperiri cōfutabimus. At is qui pro  
 bat, antè debet ita quasi conuentione uti, si in parte ali  
 qua intelligatur, in toto etiam genere intelligi, si modò  
 pronunciatum uerisimile habeatur. Neq; enim satis est,  
 ad probandū aliquid in totum genus cadere, in aliquam  
 partem cadere, docere: ueluti, si hominis animus immor  
 talis sit, omnem etiam animum esse immortalē. Quapro  
 pter antè conuenire oportet, si quæuis anima sit immor  
 talis, omnem etiam immortalē esse. Quanquā hoc non  
 semper obseruandum est, sed tum deniq;, cum de toto ge  
 nere communem & uniuersam rationem non habebi  
 mus talem, qualis est ea, qua geometra demonstrat, trian  
 gulum tres angulos habere duobus rectis pares. Quòd si  
 non ignoret uerbi ambiguitatem is qui ponit quæstio  
 nem, cum explicatum erit quot eius sint genera & mo  
 di, tum id & confirmandum erit, & refellendum: ut si  
 id quod decet, utile significat & honestum, omnem dili  
 gentiam adhibere oportebit, ut utrunq; probemus, uel  
 refutemus in eo de quo agatur, ut esse honestū & utile,  
 aut neq; honestum neq; utile. Sin utrunq; non potest, alte  
 rum docendū erit, ita tamen ut præmoneamus esse quidē  
 unum uerum, sed alterum non esse uerum. Eadem ratio  
 est, si plures sint partes, in quas id quod propositū sit tri  
 buatur. Præterea exponenda ea sunt, quæ non homony  
 ma multis modis dicuntur, sed alio modo: ut artem unam  
 esse multarum rerum, aut quia & ipsius finis sit, & ea  
 rum rerum quæ ipse ad finem pertinent atque referun  
 tur: ueluti, medicina est ualitudinis, & rationis uictus  
 aut quia est rerum duarum, quarū utraq; finis est, ueluti

rerum contrariarum eadem esse artem. neq; enim ex eo quia alterum alterius dicitur, finem esse finis intelligere oportet. aut quia unius est per se & ui sua, alterius temere & casu: ut per se quidem triangulum scimus habere tres angulos pares duobus rectis, temere et casu id quod latera habet equalia. Nam quia accidit triangulo, qui constat lateribus equalibus, triangulum esse: ob id intelligimus, quod duobus rectis pares habet tres angulos inferiores. Si igitur eadem ars esse multarum rerum, nullo horum modorum potest, certe omnino esse non potest: aut si quodam modo potest, perspicuum est id fieri posse. In quo ad utilitatem cause nostrae referenda est diuisio. ut si confirmare quid uelimus, ea proferenda sunt omnia, in quibus id uerum est quod uolumus ostendere: eaq; tribuenda sunt in eas solum partes, quae ad probandum ualebunt. Sin autem refellamus, in ea quae ad refutationem ualent, caetera uero omittenda erunt. Sed hoc tum erit faciendum, cum incertum erit quot modis quicq; dicatur. Atq; hoc in illo uersari, aut non uersari, iisdem locis confirmandum erit: ut artem hanc, in hac re cerni, aut tanquam in fine, aut tanquam in ijs quae ad finem referuntur, aut in ijs quae forte temere accidunt: aut contra non cerni aliquid ullo modo eorum, quos modo diximus. Eadem etiam ratio est cupiditatis, eorumq; omnium quae sunt multarum rerum. Est enim cupiditas huius aut illius rei, uel quasi finis, ut ualitudinis: uel ut eorum quae ad finem pertinet, ueluti remedij: uel quasi forte temere eueniat, quo modo affectus est qui dulci uino delectatur, non quia uinum sit, sed quia dulce. dulcedinem enim per se expetit, uinum temere & casu: quando quidem si coacescat,

cescat, non id iam appetit. Ita fit, ut uinum forte temere  
 appetat. Huius autem loci usus est plurimus in his quae cum  
 aliquo conferuntur. quoniam huiusmodi omnia fere sunt,  
 quae eius generis sunt. Praeterea commutandum est uer-  
 bum, in id quod magis dilucidum esse uideatur. ut pro eo  
 quod accuratum & exquisitum est in opinione, aper-  
 tum & perspicuum dicendum est; & pro nimia cura  
 rerum agendarum, studium rerum agendarum. Si enim  
 apertius et planius fiat quod dictum est, tum denique pro-  
 positum facilius argumento tractari poterit. Valet autem  
 hic locus & ad confirmandum quid, et ad refellendum.  
 Ut autem contraria in eadem re cerni doceamus, genus  
 spectare debemus. ueluti si uolumus confirmare, in sensu  
 uersari integritatem & deprauationem. si sentire iudi-  
 care est, & iudicare licet recte & non recte, certe in  
 sensu integritas & prauitas uersetur necesse est. Qui lo-  
 cus ex genere ducitur. iudicare enim, genus est sentiendi;  
 quoniam qui sentit, quodammodo iudicat. Ex forma et-  
 tiam generis duci potest. Quae enim speciei accidunt, ea-  
 dem esse in genere intelliguntur omnia; ut, si scientia sit  
 bona & mala, recta etiam sit et praua affectio necesse  
 est; siquidem affectio genus est scientiae. Ac prior quidem  
 locus uiciosus est, si ad confirmandum adhibeatur: alter  
 uerus & commodus. Neque enim necesse est, quaecumque ge-  
 neri accidant, eadem speciei accidere: quandoquidem ani-  
 mal est pennigerum & quadrupes, homo non item. Om-  
 nia autem quae cadunt in speciem, eadem necesse est ca-  
 dere in genus. Si enim homo probus sit, animal etiam pro-  
 bum. In refellendo contra, prior locus uerus est, alter ui-  
 ciosus. nam & quae generi non accidunt, speciei accidere

non possunt: & quæ in speciem non cadunt, ea non necesse est in genus non conuenire.

## CAPVT II.

Quoniam autem necesse est, in quibus genus dicitur, in ijs etiam speciem aliquam dici: & quæcunq; genus habent, aut quæ à genere nomen duxerūt, eadem aliquam speciem habere, aut nomen ab aliqua specie ducere. ueluti, si de aliquo scientia dicatur, certè de eodem uel grammatica dicetur, uel musica, uel aliqua scientia: & si quis arte sit instructus & præditus, aut nomen ab arte habeat, certè grammatica uel musica, aut aliqua alia arte instructus sit necesse est: aut nomen ab arte aliqua ducet, ueluti grammaticus uel musicus appellabitur. Si quid igitur proponatur, de quo genus aliquo horum modo dicatur, ueluti animi moueri: considerandū est, moueaturna animus aliquo genere motionis, ut crescāne, an immineatur, an intereat, an oriatur, an alio genere motus agitetur. Si enim nullo genere motus agitetur, certè non mouetur. Atq; hic locus & ad confirmandum ualet, & ad reprehendendum. Nam si aliquo genere motus cieatur, mouetur: & si nullum genus in eum cadat, certè non mouetur. Cui autem copia non suppetet argumentorum ad propositum confirmandū aut infirmandum, is à definitionibus præsidium petere debet, aut quæ rei propositæ propriæ sint, aut quæ esse uideantur. quòd si ab una non possit, à pluribus petat. Nam ijs qui rem definiendo explicarint, facilius erit argumentum ducere: quippe cum facilius sit in definitionem argumentatio. Videndum etiam est, cui rei res proposita adiūcta sit: aut quid necessario, res proposita si sit, unà secum esse uelit. Ac is quidem qui

confir-

confirmare uolet, cui rei res proposita adiuncta sit; uidebit: quoniam si rem illam doceat cadere, rem etiam propositam docebit. Qui autē refellendi partes tenebit, quæ res rei propositæ sit adiuncta, considerabit. Si enim id quod rei propositæ sit consequens, non esse ostendemus, rem etiam propositam non esse docebimus. Spectandum est etiam, an tempus alicubi discrepet. ut si quis id dixerit quod alitur, augescere necessario. Et si enim animalia semper aluntur, tamen non semper augescunt. Itemque si quis scire dixerit, memoria tenere. Nam hoc ad præteritum tempus pertinet: illud et ad instans, & ad futurum. Nam & scire dicimur præsentia & futura, ut solis definitione fore: meminisse nisi præterita non possumus. Iam locus captiosus & fallax est, eo loci impellere alterum, ubi magna argumentorum copia nobis suppetet. Quod interdum necessarium est, interdum necessarium uidetur: interdum nec uidetur, nec necessarium est. Necessario autem id faciendum est tum, cum is qui contra disputat, negat aliquid eorum quæ ad rem propositam pertinent, & alter de illo disserit: accidit autem eiusmodi illud esse, ad quod probandum amplissimus locus suppetat. Quod idem facere licebit, cum inductione utemur ad aliquid quod est ceteris re proposita coniunctum, quod nos euertere conabimur. Eo enim sublato & infirmato, res etiam de qua agitur, infirmabitur. Necessarium autem id uidetur, cum id ad propositum pertinere uidebitur: ad id autem ad quod sumitur, non pertinebit argumentum, siue neget is qui respondet, siue facta inductione probabili ex proposito ad aliquid quod infirmare conatur. Reliquum autem tum insidit, cum nec est, nec uidetur necessarium eo transferre

disputationem, quò ille traducit: accidit autem citra uul-  
 lam rationem, eum qui respondet redargui. Hoc autem  
 extremum genus, quoniam omnino à differendi ratione  
 alienum remotumq; est, declinare debemus. Quocirca  
 debet is etiam qui respondet, non grauàtè ei qui hoc mo-  
 do disputat respondere, eaq; dare, quæ ad propositum  
 non pertinent: ita tamen, ut interim significet sibi qui-  
 dem illa non probari, ea tamen se admittere, propterea  
 quòd ferè in maiore animi distractione uersari solent ij  
 qui interrogant, si ijs talibus omnibus positis nil ad ex-  
 tremum se confecisse uideant. Iam uerò quoniam omnes  
 qui quiduis dixerint, quodammodo multa complexi sunt  
 (unamquamque enim rem multa necessariò consequun-  
 tur: ut is qui hominem esse dixit, & animal esse dixit, &  
 animatum, & bipedem, & mentis ac disciplinæ compo-  
 tem) sit, ut infirmata & reprehensa una quauis re earum  
 quæ sunt consequentes, id etiam quod initio dictum est  
 reprehendatur. Sed uidendum est, ne ad rem difficilio-  
 rem delabamur. Interdum enim facilius est id quod rem  
 propositam consequitur, interdum rem ipsam proposi-  
 tam euertere. In ijs autem rebus quibus alterum inest  
 necessariò, aut non inest, ueluti in homine uel morbus  
 inest, uel ualetudo, si de altero possumus disputare in u-  
 tranq; partem, de altero etiam poterimus. Quod ad us-  
 tranq; partem trahi potest. Si enim alterum accidere do-  
 ceamus, alterum non accidere docebimus; & si alterum  
 non conuenire demonstremus, reliquum docebimus con-  
 uenire. Perspicuum est igitur, ad probandum & refel-  
 lendum ualere hunc locum. Atq; etiam argumentum di-  
 scendum est à notatione uerbi: quæ multò aptius uideatur

nim uerbi explicare, quàm id ipsum ad quod significans  
 dum impositum est. ueluti *ὄψου* non fortem, ut tri-  
 tum est, sed eum qui bene animo sit affectus: & *ὄβριον*,  
 eum qui bona expectat. itemq; *ὄδαιμον* eum esse, cui  
 ius animus sit bonus: quemadmodum Xenocrates *ὄδαι-  
 μον* ait esse, eum cui animus bonus datus sit. eum enim  
 deum esse omnibus. Nam cum res aliæ necessariò eueniât,  
 aliæ plerunq; aliæ fortè temerè: si quis eam quæ neces-  
 sariò euenit, plerunq; fieri ponat: aut eam quæ plerunq;  
 fit, eiusue contrariam quæ plerunq; ita fit, necessariò fie-  
 ri, is semper locum suppediabit argumento. Nam si id  
 quod necesse est fieri, plerunque fieri ponat, profectò  
 non in toto genere inesse dixerit, quod toti conuenit: ita  
 aberrauit siue id quod plerunq; accidit, necessariò fieri  
 dixerit, quoniam de toto genere dixit, quod toti non ac-  
 cidit. Quod idem fit, si id dixit quod rei contrarium est,  
 quæ plerunq; euenit, euenire necessariò. Semper enim  
 in paucioribus dicitur, quod rei quæ plerunq; fit, con-  
 trarium est. ueluti si ferè mali sint homines, boni ra-  
 rius, certè uehementius errauit, si quis bonos dixerit esse  
 necessariò. Eodemq; modo si id quod temerè fit, necessa-  
 riò fieri, aut plerunq; dixerit. Neq; enim id quod teme-  
 rè utranq; in partem cadit, necessariò fieri potest, neq;  
 id quod plerunq;. Fieri autem potest, ut etiam si non di-  
 xerit, neq; exposuerit, utrùmne plerunq; fieri, an ex ne-  
 cessitate uelit quod propositum est: si fiat autem ple-  
 runq;, tamen disputet alter, quasi ille ex necessitate fieri  
 asseruerit. ut si malos ex hæredes esse dixerit, neq; expo-  
 suerit, oportet disputare quasi ex necessitate id ille dixe-  
 rit. Illud etiam uidendum est, an eandem rem sibi acci-

dere quasi aliam posuerit, quod alterum eidem sit no-  
men impositum. Quemadmodum Prodicus diuisit uo-  
luptatem in gaudium, delectationem, & letitiam. eius-  
dem enim nominis uoluptatis hæc sunt omnia. Si quis  
ergo gaudio letitiam accidere dicat, is idem sibi accidisse  
se confirmabit.

## CAPVT III.

Quoniam autem sex modis inter se contraria iungun-  
tur, & quatuor solum modis iuncta repugnantiam effi-  
ciunt: sumenda sunt contraria ut commodum erit, & ei  
qui confirmandi, & ei qui refellendi partes tuebitur. Ac  
sex modis ea componi inter se hinc perspicitur potest, quod  
aut utrunq; contrarium utriq; comparatur, idq; bifaria.  
ut de amicis bene mereri, & de hostibus male mereri:  
aut contra, de amicis male mereri, & de hostibus bene.  
Aut utrunq; uni, quod etiam duobus fit modis. ut de ami-  
cis bene mereri, & de amicis male mereri: uel de inimi-  
cis bene mereri, & de inimicis male mereri. Aut unum  
utriq;, quod etiam fit dupliciter. ut de amicis bene me-  
reri, & de inimicis bene mereri: uel de amicis male me-  
reri, & de inimicis male mereri. Ac duæ quidem pri-  
mæ comparationes non sunt pugnantæ: quoniam de a-  
micis bene mereri non est illi contrarium, male de ho-  
stibus mereri: quippe cum sint expetenda, & ad eos-  
dem mores pertineant. nec illud, de amicis male mereri,  
huic repugnat, bene mereri de inimicis. sunt enim hæc  
fugienda, & moribus eiusdem continentur utraq;: nec  
res quæ fugienda est, ei quæ fugienda est aduersatur, ni-  
si unum sit nimium, alterum parum: quoniam quod ni-  
mium est, id in rebus fugiendis ducitur, itemq; parum.

At

At reliqua quatuor contraria sunt inter se, nam & de amicis bene mereri, illi contrarium est, de amicis male mereri: quandoquidem à contrarijs moribus proficiuntur, atq; illud sequendum est, hoc fugiendum. Eadem est ratio cæterorum. In coniunctionibus enim singulis quiddam est expetendum, & quiddam repellendum: & illud ad bonos mores pertinet, hoc ad malos. Ex quo perspicuum est, eidem plura data esse contraria. huic enim, de amicis bene mereri, illud contrarium est, de inimicis bene mereri: & illud, de amicis male mereri. Itemq; ei qui illa omnia intuebitur, duo uidebuntur contraria. Sumenda igitur sunt ea contraria, quæ prodesse poterunt causæ nostræ. Iam si quid sit accidenti contrarium, considerandum est, an ei accidat cui accidens conuenire dixerit. Si enim hoc conuenit, illud non conueniet: quoniam fieri non potest, ut simul eidem contraria conueniant. Aut an tale aliquid dixerit, quod si sit, necesse sit contraria simul eidem inesse: ut si ideas in nobis esse dixerit. Nam & moueri eas & stare concludetur, sub sensum cadere, ac ratione & intelligentia contineri. nam & quiescere eas & immobiles esse, & sub intelligentiam cadere, placet ijs qui eas ponunt. Quæ si in nobis sita sint, profectò non poterunt esse immobiles: quum præsertim si ipsi moueamur, necesse sit ea omnia quæ in nobis sunt, unà moueri. Atq; etiam sensu eas percipi, si modò in nobis sunt, ex hoc intelligi potest, quòd sensu oculorum formam uniuscuiusque rei cognoscimus. Rursus si positum est accidens id cui quid est contrarium, uidendum est, idemne sit contrarij & accidentis subiectum. Eadem enim res uim habet ad recipienda

contraria: ueluti si de odio dici iram dixerit, profecto  
 odium in ea parte animi in qua irarum existit ardor,  
 insit necesse est: est enim sedes iræ. Considerandum igitur,  
 sit ne contrarium in ea parte animi in qua irarum  
 existit ardor, qualis amicitia est. nam si non insit, in  
 eaq; parte animi quæ cupiditatis sedes est, insit amici-  
 tia, certè non est consequens iræ odium. Eadem ratio  
 est, si eam partem animi in qua uoluptates insunt, igno-  
 rare dixerit. Sedes enim erit scientiæ, siquidem etiam i-  
 gnorationis sit: quæ pars non uidebitur sedes esse scienti-  
 æ. Atq; ex hoc loco, quemadmodum docui, ei qui refel-  
 lendi partes obtinebit, depromenda erunt argumenta.  
 eum autem qui confirmare uolet, nihil adiuuabit hic lo-  
 cus, quatenus accidens conuenit: quatenus uerò potest  
 conuenire, adiuuabit. Nam si non posse contrarium re-  
 cipere doceamus, nec conuenire accidens, nec conueni-  
 re posse docebimus. At uerò non si contrarium conueni-  
 re, aut uim habere ad recipiendum contrarium doce-  
 mus: idcirco etiam accidens conuenire demonstraueri-  
 mus, sed posse conuenire tantummodo confirmatum e-  
 rit. Quoniamq; quatuor sunt contrariorum genera, spe-  
 ctanda erunt disparata ex eo argumento, quo uicissim  
 retrò se sequuntur, & ei qui probabit & ei qui refel-  
 let. Per inductionem uerò argumentatio qualis sit, intel-  
 ligendum hoc modo. Si homo est animal, quod non est  
 animal, id non est homo. Itemq; in cæteris hoc enim lo-  
 co commutato ordine tractatur argumentatio. Cum e-  
 nim hominem sequatur & comitetur animal, tamè non  
 si quid non sit homo, id continuo sequitur non esse ani-  
 mal: sed contrà, si quid non sit animal, sequitur non esse  
 hominem.

homin  
 quod  
 sit uici  
 consec  
 dum  
 est, et  
 tur, re  
 tatione  
 aduer  
 bit, es  
 sit co  
 tur co  
 trunq  
 ductio  
 Et ab  
 tium  
 tendu  
 ualeb  
 quon  
 contra  
 consequ  
 quitur  
 bus non  
 tio. E  
 nem d  
 so con  
 tur ar  
 contra  
 bit: pr  
 ex alter

hominem. In omnibus ergo id pronuntiandum est, ut si quod honestum est, id iucundum sit: etiam si quid non sit iucundum, id non sit honestum. Quod si hoc non est consequens, ne illud quidem erit. Itemque si quod iucundum non est, id non sit honestum: certe quod honestum est, etiam iucundum sit necesse est. Perspicuum est igitur, reciprocari in aientibus & negantibus argumentationem, si retrò tractetur. In ijs autem contrarijs quæ aduersa appellantur, hoc uidendum est & ei qui probabit, & ei qui reprehendet, an ex contrario contrarium sit consequens, siue directo, siue conuerso ordine tractetur consecutio. Harum autem consecutionum genus utrunque quale sit, & quomodo aduersis conueniat, inductione sumendum. Directè autem argumentatio tractabitur hoc modo. Fortitudinem uirtus, ignauiam uitium sequitur: & fortitudinem sequitur id quod expetendum est, ignauiam id quod fugiendum. In his ergo ualebit directò à consequentibus ductum argumentum: quoniam id quod expetendum est, ei quod fugiendum contrarium est. Quod idem fit in cæteris. Contrà autem consequentia sunt, ut firmam corporis affectionem sequitur bona ualetudo: infirmam uerò affectionem morbus non sequitur, sed contrà morbum infirma constitutio. Ex quo perspicuum est, contrà in his argumentationem à consequentibus ualere. Rarò autem illa è conuerso consecutio in aduersis incidit, ac ferè directò tractatur argumentatio. Quod si nec directò contrarium ex contrario erit consequens, nec uicissim retrò commutabit: profectò in ijs de quibus agitur, nunquam alterum ex altero erit consequens. Sin in aduersis sequatur, etiam

in propositis alterū alteri consequetur necessariō. Quod  
 item in priuantibus perinde atq; in aduersis consideran-  
 dum est, nisi quod in his non uicissim retrō com-  
 meatur argumentum ex consequentibus, sed directō necessariō.  
 Quemadmodum aspectum sensus sequitur, sic cecita-  
 tem sensus priuatio. Opponuntur enim sensus & priua-  
 tio sensus, ut priuantia: quoniam eorum illud habitus est;  
 hoc eius rei priuatio. Atq; etiam de ijs quæ cum aliquo  
 conferuntur, eodem modo quo de priuantibus iudican-  
 dum est. In ijs enim etiam ualet à consequentibus tractum  
 directō argumentum. ut si triplum multiplex sit, etiam  
 subtriplum submultiplex erit. Confertur enim triplum  
 cum subtriplo, & multiplū cum submultiplici. Rursum,  
 si scientia opinio est, etiam quod sub scientiam cadit, erit  
 opinabile. Et si aspectus sensus sit, id etiam quod aspe-  
 ctabile est, sub sensum cadat necesse est. Hic autem occur-  
 ritur, non duci necessariam à consequentibus, quemadmo-  
 dum dixi. Non enim si quod sensum mouet, scientia con-  
 tinetur, idcirco sensus est scientia. Nec uerè certè quidem  
 occurritur: multi enim negant, ea quæ sensus mouentia  
 sunt, cadere sub scientiam. Nec minus contra hoc quod  
 dixi ualet hic locus: nempe id quod sub sensum cadit, non  
 posse scientia comprehendere: quoniam ne sensus quidem  
 sit scientia. Rursum, à coniugatis & casibus ducendum  
 est argumentum, siue confirmemus quid, siue refellamus.  
 Coniugata autem sunt hæc, iusta & iustus, cum iusticia:  
 & fortia & fortis, cum fortitudine. Itemq; efficientia  
 & conseruantia coniugata eorum sunt, quorum sunt &  
 conseruantia & efficientia: ut efficientia ualeudinem  
 ualetur-

ualitudinis, & conseruantia firmam corporis constitutio-  
 tionem firmæ corporis constitutionis. Eodemq; modo  
 de cæteris iudicandum est. Atq; hæc quidem Coniugata  
 appellari solent. Casus autem sunt, ut iustè, fortiter, sa-  
 lubriter, & aptè ad firmam corporis affectionè, quæq;  
 eodem modo dicuntur. Sed etiam ea quæ ex casibus di-  
 cuntur, in coniugatis esse uidentur: ut iustè cum iusticia,  
 & fortiter cum fortitudine, coniugata sunt. Coniugata  
 autem dicuntur, quæ sunt ex uerbis generis eiusdem; ut  
 iusticia, iustus, iusta, iustè. Perspicuum est igitur, si quid  
 probatum sit eorum quæ eiusdem sunt generis & con-  
 iugationis, esse in bonis, & laudabilibus, cætera proba-  
 ta esse omnia. ueluti, si iusticia sit in rebus laude dignis,  
 etiam iustus in ijs sit, & res iusta, & quod iustè fit,  
 necesse est: concludeturq; quod iustè fit, etiam laudabi-  
 liter fieri, ex eodem casu, quoniam à laudabili re or-  
 tum est: quemadmodum illud iustè à iusticia. Non so-  
 lum autem in eo quod in quæstione est, spectanda sunt  
 coniugata, sed etiam in contrario: ut quod bonum sit,  
 non necessario esse iucundum. Neque enim quod ma-  
 lum est, necessario molestum est: aut si hoc, etiam illud.  
 Et si iusticia scientia sit, iniusticia ignoratio erit. & si  
 quod iustè fit, id fiat scienter & peritè: id etiam quod  
 iniustè, inscitè & imperitè fiat necesse est. Aut si hæc  
 non placent, ne illa quidem; quemadmodum in eo quod  
 modo commemoravi, perspicui potest. multo enim po-  
 tius uidebitur quod iniustè fit, id peritè quàm imperia-  
 tè fieri. Atque hic locus expositus est tum, cum de con-  
 trarijs quæ aduersa dicuntur, disputaremus. Nihil e-  
 nim nunc aliud uolumus, nisi contrarium ex contrario  
 esse

esse consequens. Præterea ab ortu & interitu rerum, et ex causis efficientibus & corrumpentibus, magna copia suppetit ad disputandum, siue confirmare uelimus, siue refellere. Quarum enim rerum ortus & origo est in bonis, eæ etiam in bonis sunt: & si hæ in bonis sint, origines etiam earum erunt. Si uero origo sit in malis, eæ etiam in malis numerabuntur. A rerum interitu contra ducitur argumentum è consequentibus. Si enim interitus rerum sit in bonis, res ipsæ erunt in malis. Et si interitus & euersio rerum sit in malis, res ipsæ ducuntur in bonis. Eadem est etiam ratio causarum efficientium & euertentium. Quorum enim effectorum cause sunt in bonis, effecta etiam in bonis erunt. Quarum autem rerum cause euertentes sunt in bonis, eæ sunt numeranda in malis.

## CAPVT IIII.

Proximus locus est à simili: in quo uidendum est, an res similes eodem se modo habeant: ut si scientia una sit multarum rerum, etiam opinio. Et si aspectum habere, sit uidere, etiam auditum habere, sit audire. Quod idem contingit in cæteris omnibus, & quæ sunt, & quæ uidentur. Valet autem in utranque partem hic locus. Si enim in aliqua re simili ualeat, in cæteris etiam ualeat necesse est. Et si in aliqua re simili non ualeat, nec in cæteris ualebit. Considerandum etiam est, an in uno, & in pluribus eodem modo res habet: quoniam interdum discrepat & dissimilis est affectio. ut si scire sit cogitare: multa scire, erit multa cogitare: quod non est uerum. Multa enim scientia comprehendi possunt, multa simul cogitari nõ item. Quod si non hoc, nec scire erit cogitare.

re.

re. Sumuntur etiam ex maiore & minore argumenta. Suntq; ex maiore & minore quatuor loci. Vnus, si maior res ex maiore sit consequens, hoc modo: Si uoluptas bonum sit, maior uoluptas maius sit bonum. Sin iniuriã facere malum est, maiorem iniuriam facere maius malum erit. Atq; in utranq; partem hic locus trahi potest. Si enim rei subiectæ elationem & summisionem accidentis sequatur elatio & summisio, quemadmodum dixi, necesse erit in re proposita accidens inesse: sin minus sequatur, non inerit. Hic autem locus per inductionem intelligendus est. Alter locus est, cum una res duabus comparatur. Si cui uerisimilius est conuenire non conueniat, ne illi quidem cui minus: & si cui minus probabile est conuenire conueniat, ei etiam cui uerisimilius. Tertius est, cum duæ res cum una conferuntur, si quæ magis conuenire uidetur non conueniat, nec quæ minus. & si quæ minus uidetur conuenire conueniat, ea etiam quæ magis conuenire uidebitur conueniet. Extremus locus est huiusmodi, cum duæ res duabus comparantur. Si quæ alteri magis uidetur conuenire non conueniat, ne reliqua quidem reliquæ conueniet: & si ea quæ minus conuenire alteri uidetur conueniat, reliqua etiam reliquæ conueniet. Sequitur locus, ex ijs quæ paria sunt, aut paria uidentur. atq; is triplex, quemadmodum exposui de tribus locis postremis, quos ex maiore elici dixi. Si enim una aliqua res duabus eodem modo conueniat, aut conuenire uideatur, neq; alteri conueniat, ne alteri quidem conueniet. Quod si uni, etiam alteri. Alter locus tractatur hoc modo: Si duæ res eidem pari ratione conueniant, & altera non conueniat, ne altera quidem conueniet.

B

ueniet.

ueniet. Quòd si altera, etiam reliqua. Tertius hoc modo: Si duæ res duabus eodem modo conueniant, uniq; altera non conueniat, reliqua etiam reliquæ non conueniet: quòd si una alteri conueniet, reliqua etiam reliquæ conueniat necesse est. Atq; ex maiore & minore & paribus tot argumenta duci eliciq; possunt. Alius locus sequitur ex adiectione, hoc modo: Si una res ad alteram adiecta, eam faciat bonam aut albam, cum prius bona & alba non esset, quæ adiecta est, bona erit & alba, quale etiam totum reddidit. Præterea si ad aliquid quod inest, quippiam addatur, quod illud magis tale efficiat, quàm antè erat, idem tale erit. Eadem est ratio cæterorum. Quamquam hic locus non ualet in omnibus, sed in ijs tantummodò quæ relationem aliquam suscipere possunt. Atq; idem non uicissim retrò comitat in refellendo. non enim si id quod additur, non facit id cui adiescitur est bonum, propterea id non bonum esse necesse est. Quod enim bonum est, si ad id quod malum sit addatur, totum nõ efficit bonum necessariò, nec rem nigrancandor albam facit, nec dulcedo rem amarã dulcencã necessariò, si addantur, efficit. Iam uerò si quid maius aut minus dicitur, omnino etiam conuenit. Nam quòd bonum non est, nec album, id nec maius bonum, neque minus dicitur, neque albius, neque minus album: quippe cum id quod malum est, nulla re maius bonum sit, aut minus bonum, sed maius malum, aut minus dicitur. Nec uerò hic locus in refellendo uicissim retrò comitat. multa enim eorum quæ illud magis respuunt, omnino dicuntur. Homo enim, etsi magis aut minus, quàm alius homo, non dicitur, non tamè propterea homo esse desinit. Eodemq;

modo uidentur est quid quadam ex parte, quid aliquando & alicubi esse dicatur. Si quid enim quadam ex parte possit esse, aut aliquando, aut aliquo in loco, id certe omnino esse potest. Quod enim omnino fieri non potest, id nec aliqua ex parte, nec interdum, nec alicubi fieri potest. Quanquam huic loco occurritur, quod quadam ex parte homines natura boni sunt: ut liberales, ut temperati, cum interim boni non sint omnino naturat siquidem nemo prudens natura dicitur. Itemque fieri potest, ut aliquid eorum quae interire possunt, quodam tempore non intereat & occidat, cum fieri non possit omnino quin occidat. Eodemque modo alicubi hanc uel illam uictus rationem seruare, ut in locis pestilentibus & insalubribus prodest, omnino non prodest. Aliquo etiam in loco fieri potest, ut unus modo sit, & tamen non unus modo esse illic possit omnino. Itaque alicubi etiam immolare patrem laudi ductum est, ut apud Tribalos: omnino autem non datur laudi & gloriae, nisi forte hoc non aliquo in loco fieri declarat, sed apud aliquos, quoniam nihil refert ubi sint: ubique enim apud Tribalos id gloriae ducitur. Rursum medicamentorum usus interdum, ueluti cum sis in morbo, adiuuat, nec adiuuat omnino. Nisi forte nec hoc quidem aliquando fieri significat, sed certum quoddam affectionis genus, neque enim refert, id quocumque tempore fiat, dummodo ita sit affectus. Id autem demum omnino & absolute esse dicitur, quod citra ullam adiectionem dicitur, honestum, uerbi gratia, aut turpe: ut patrem immolare, non dicas honestum esse, sed apud nonnullos honestum esse, non igitur omnino honestum est. At deos colere, pulchrum

dices, etiamsi nihil adiungas. est enim pulchrum omni-  
no. Quare quod sine adiunctione uidetur esse pulchrum,  
aut turpe, aut aliquid aliud eiusdem generis, tale esse id  
dicetur omnino.

TOPICORVM LI-  
ber Tertius.

CAPVT I.



Eligius est comparationis locus, in quo  
uidendum est, duobus propositis, utrum sit  
optabilius aut melius. Ac primum expo-  
nendum illud est nobis, hoc loco non esse  
propositum de ijs differere quæ ualde dis-  
similia sint, quorumq; magnæ sint differentie & distin-  
ctiones, (neq; enim est quisquam, cui in dubium ueniat,  
sit ne beatitudo quàm diuitiæ magis expetenda) sed de  
ijs quæ cognata sunt & uicina, & ijs quibus proposi-  
tis dubitamus, utri priores partes tribuamus, propterea  
quod quid alterum alteri præstet, minimè uideamus. Ex  
quo perspicuum erit, exposita harum rerum præstantia  
una aut pluribus, animi assensurum & approbaturum,  
id esse magis expetendum quod excellet. Ac diuturniora  
quidem anteponenda sunt breuioribus: & quæ pruden-  
tes anteponant, aut uiri boni, aut leges rectæ, aut quæ an-  
teponant ij qui in aliqua re excellent, hoc ipso quod ta-  
les sunt: aut quæ ij qui unoquoq; genere scientes sunt, aut  
quæ plures, aut etiam omnes: ut in medicina & fabrica,  
quæ plures medici anteponant, aut omnes: aut quæ om-  
nino plures, uel omnes, uel omnia, quale est ipsum boni.  
expetunt

expetunt enim bonum omnia. Ex ijs autem argum-  
 tum ducetur, prout commodum uidebitur ad eam rem  
 de qua agitur. Suntq; omnino anteponenda ea quæ è  
 meliore arte proficiuntur: ut quoniam philosophia me-  
 lior est ars quàm architectura, omnino ea quæ à philo-  
 sophia efficiuntur, ijs quæ ab architectura anteponan-  
 tur. Quæ autem à cuiusq; arte efficiuntur, ea quisq; alie-  
 nis anteponit. Deinde anteponenda sunt ea quæ ui sua in  
 genere sunt, ijs quæ non sunt: ut iusticia uiro iusto. iusti-  
 cia enim in genere est bonorum, uir iustus non est: & il-  
 la ui sua bonum est, hic non item. nihil enim est id ipsum  
 quod genus, quod non sit in genere: ut homo albus non  
 coloris nomen obtinet. Quod idem in cæteris contingit.  
 Anteponuntur etiam quæ propter se expetuntur, ijs quæ  
 propter aliud: ut ualetudo exercitationi. quoniam illa  
 propter se expetenda, hæc propter aliud. Et quæ pro-  
 pter se expetuntur, ijs quæ fortè, temerè & casu: ut ami-  
 corum iusticia, hostium iusticiæ: quod illa per se expe-  
 tenda est, hæc casu, & fortuito, ut ne nobis noceant.  
 Hic autem locus eandem ferè uim habet, quam superior,  
 ab eoq; nisi modo non differt. nam amicos per se iustos  
 esse optamus, etiam si nihil inde ad nos redeat, & apud  
 Indos habitent: at hostes sic propter aliud iustos esse o-  
 ptamus, ut nihil nobis obsint. Et ex quibus per se bona  
 propagantur, ijs ex quibus casu & temerè, ut uirtus for-  
 tunæ. illa enim per se efficiens est causa bonorum, hæc  
 fortuito. Et si quid aliud tale est. Eodem modo de con-  
 trarijs iudicandum est. Ea enim: quæ per se causæ sunt  
 malorum, postponuntur ijs quæ casu & fortuito: ut ui-  
 tium fugiendum est potius, quàm fortuna. illud enim

per se malum est, hæc casu. Et quæ omnino bona sunt, ijs anteponuntur quæ alicui bona sunt: ut ualere quàm scari magis optandum est, quoniam illud omnino bonum est, hoc alicui qui sectione egeat. Et innata ac insita bona assumptis & aduenticijs, ut iustitia uiro iusto: quoniam illa insita est & innata, illud aduenticiuum. Et quæ in re meliore insunt, & quæ iustiozem habent uenerationem, ijs quæ in deteriore: ut bona Dei hominum bonis, & animi corporis bonis sunt anteponenda. et quæ propria sunt melioris rei, ijs quæ deterioris: ut Dei quàm hominis. Cum enim bonis, quæ illis inter se sunt communia, non differant inter se, proprijs alter alteri præstat. Et quæ in melioribus, aut antiquioribus, aut in ijs quæ in maiore sunt precio & honore, ea sunt anteponenda ijs quæ in deterioribus: ut ualetudo uiribus corporis, & pulchritudini corporis. Valetudinis enim sedes est in humore, siccitate, calore & frigore: ijsq; omnibus, ex quibus primum animal constat, coheret: hæc uerò in posterioribus quibusdam. nam & uis corporis in neruis atque ossibus sita est, & pulchritudo corporis est apta quædam compositio membrorum. Fines, ijs quæ ad finem pertinent atq; conducunt. Ex duobus, quod ad finem propius accedit. Quæ ad uitæ finem pertinent, ijs quæ ad alium aliquem: ut quæ ad beatam uitam pertinent, ijs quæ ad prudentiam, quod enim ad beatitudinem pertinet, anteponendum est. Quæ fieri possunt, ijs quæ non possunt. E' duobus efficientibus, cuius finis melior, id etiam præstantius. Ex efficientibus & finibus proportionem concludendum est, hoc modo: Cum pluribus partibus finis fini præstat, quàm finis ille suæ causæ efficienti: ut si beatitudo

itudo ualeitudinem pluribus partibus superet, quam ua-  
 letudo salubria, efficitur, ut efficientia beatæ uitæ uin-  
 cant ualeitudinem. Quanto enim beatitudo ualeitudinem  
 præstat, tanto salubria præstant efficientia beatitudi-  
 nis. Atqui minore interuallo salubria ualeitudo anteibat:  
 pluribus igitur partibus salubribus præstant beatitudi-  
 nis efficientia, quam ualeitudo salubribus. Ex quo per-  
 spicuum est, efficientia beatæ uitæ sanitati, quia ei præ-  
 stent, esse anteponenda. Iam quæ per se in maiore sunt  
 honore & precio, & laudabiliora sunt, anteponenda  
 sunt: ut amicitia diuitijs, iustitia ualeitudini, & uiribus  
 corporis. Illa enim numerantur propter se, in ijs bonis  
 quæ sunt honorabilia & laudabilia: hæc non propter  
 se, sed propter aliud. Nemo enim opes propter se amat,  
 sed propter aliud. Amicitiam autem propter se colimus,  
 etiamsi nihil inde fructus speremus nos esse perceptu-  
 ros. Iam si duo quædam sint ualde inter se similia, nec  
 quid alterum alteri præstet & excellat, perspicere pos-  
 simus: id ex consequentibus intelligi licet, hoc modo. Ex  
 quo enim maiora bona sequuntur, id anteponendum al-  
 teri est: quod si mala consequantur, ex quo minora ma-  
 la oriuntur, id est eligendum. Nam si utrumque eligen-  
 dum, nihil prohibet aliquid molestiæ consequi. Ex con-  
 sequentibus autem duo argumenta sumuntur, quoni-  
 am & aliquid antecedit rei, & præcurrit, & aliquid  
 rem sequitur: ueluti discenti antecedit ignoratio, &  
 eum consequitur scientia. Eerè autem melius est quod  
 rem sequitur. Argumentum uerò à consequentibus sus-  
 mendum est, ut commodum fuerit. Plura bona paucio-  
 ribus anteponenda sunt aut omnino: aut cum alia quæ

pauciora sunt, in alijs, quæ plura, continentur. Huic autem loco occurritur, si unum alterius gratia petatur. Neque enim uni utrunq; anteponitur. ueluti curari & ualetudo non pluris sunt quam ualetudo, quandoquidē curari optamus ualetudinis gratia. Nihil etiam prohibet, ea quæ nō sint in bonis, bonis anteponi. ut beatitudinem coniunctam cum aliqua re quæ non numeratur in bonis, iusticiæ ac fortitudini. Et eadem cōiuncta cum uoluptate, magis expetenda sunt, quam sine uoluptate; et eadem ipsa cum indolentia copulata, quam cum dolore. In quo etiam quicq; tēpore maiorem uim habet, id in eo magis optandum est: ut in senectute sine ulla molestia & cura uiuere, quam in adolescentia. plus enim potest in senectute. Eademq; ratione in senectute magis expetenda prudentia est. Itaq; nemo adolētes imperatores deligit, quod prudentes eos non esse existimet. contraq; fit in fortitudine, cuius in iuuentute necessarium munus & officium est. Eadem est etiam temperantiæ ratio. adolētes enim magis quam senes cupiditatibus seruiunt. Quæ per omne tēpus ætatis plus possunt, ijs quæ maxima parte, utiliora sunt. ut iusticia & temperantia fortitudine; quia illis semper, hac interdū utimur. Quæq; seipsis contenta sunt, meliora, quam quæ egent alijs. quod in iusticia & fortitudine cernere licet. Nam si iusti essent, nihil loci esset fortitudini; at si fortes essent, iusticiam requirerent. Comparatio etiam ex interitu, abiectiōe, origine, acceptione, contrarijsq; sumi potest, hoc modo: Quorum bonorum interitus magis declinandi sunt, ea meliora. Quod idem in abiectiōibus & contrarijs cōtingit, cuius enim prætermisio & expulsio, aut contrarium, magis

magis fugiendum est, id etiam optabilius. Contra fit in ortu & acceptione. Quarum enim rerum origines & assumptiones optabiliores sunt, ea alijs anteponuntur. Alius locus: Quod ad bonum propius accedit, id & optabilius & melius est: quodq; ad bonum similitudine propius accedit, id melius, ut iusticia iusto. Quae meliori similia sunt, ea meliora: quemadmodum Aiace[m] Vlyssi anteponunt, quod Achilli similior esset. Occurritur huic loco, quod nihil prohibeat Aiace[m], non qua parte Achilles optimus fuerit, ei similiorem fuisse: et tamen alterum virum bonum fuisse, et si dissimilem. In quo uidebatur est, an etiam in ijs quae magis ridicula sunt, cernatur similitudo: quemadmodum simia similitudine ad hominem propius accedit, cum equus non sit similis. Neq; enim praestantior est simia, etsi similior homini quam equus. Rursum e[st] duobus si unum meliori, alterum deteriori similis sit, melius erit quod similis est praestantiori. Atq; etiam huic loco occurritur, nihil enim prohibet, unum meliori paululum similem esse, alteru[m] ualde deteriori, ut si Ajax paululum admodum similis sit Achilli, & Vlysses ualde Nestori. Et si id quod meliori similis sit, mala eius imitetur: quod autem ad deterius similitudine propius accedat, bonam in partem simile sit, ut equus a sino, & simia homini. Quae magis insignia sunt, minus insignibus anteponuntur: & laboriosa, procliuiibus: chariora enim nobis sunt ea quae difficulter parantur. Et propria communitibus. Quaeq; molestiae minus habent, quae enim nullam molestiam afferunt, ijs quae afferunt anteponuntur. Quae alijs praestantiora sunt omnino, etiam quae in eo genere praestantissima sunt, ijs quae in altero genere sunt praestanti-

tissima anteponuntur. ueluti si nobilior equo homo sit,  
 nobilissimus homo etiam sit generosissimo equo præstan-  
 tior. Et si res præstantissimæ & clarissimæ nobilissimis  
 alterius generis præstant, etiam omnino illis rebus excel-  
 lunt. ut si clarissimus homo generosissimo equo præstet,  
 etiã homo equo præstat omnino. Quæq; cum amicis com-  
 municare licet, ijs quæ non licet. Quæ in amicos præsta-  
 re cupimus, ijs quæ in quemuis. ut officia seruare et bene-  
 mereri magis optamus, quàm uideri bene mereri, & of-  
 ficia seruare. Quoniã beneficia malumus in amicos con-  
 ferre, quàm uideri in quemuis contrã. Non necessaria  
 necessarijs meliora sunt, eaq; interdũ magis expetuntur.  
 Bene enim uiuere præstat quàm uiuere: cum bene uiue-  
 re sit non necessarium, et uiuere in necessarijs. Fit autem  
 interdum ut quæ meliora sunt, non etiam magis expetan-  
 tur. non enim si quid melius, propterea id necesse sit etiã  
 magis esse expetendum. Philosophorum enim uita cum  
 eo genere uitæ quod in pecunijs quærendis consistit, sit  
 melior: attamen ei cui res ad uiuendum necessariae non  
 suppetunt, non magis expetenda est. Non necessaria au-  
 tem sunt, cum suppetunt res necessariae, & alia præte-  
 rea quædam honestæ parãtur. Ac ferè quidem certè ne-  
 cessaria magis expetenda sunt, non necessaria meliora.  
 Quæ ab alio non suppetitari possunt & accipi, ijs quæ  
 possunt: quomodo iusticia ad fortitudinem affecta est.  
 Quæ sine alijs expetenda sunt, ijs quæ nisi cõiuncta cum  
 alijs non expetuntur: ut uires corporis sine prudentia non  
 sunt expetendæ, sine uiribus etiam prudentia expetenda  
 est. E' duobus si unum dissimulemus aut negemus in no-  
 bis esse, ut alterũ in nobis esse uideatur, id antepone dum  
 est.

est, quo præditi esse uideri uelimus: ut laboriosos nos esse negamus, ut ingenio ualere uideamur. Quorum bonorum defectio minus in ijs uituperanda est, qui molestè ferunt ea à se abesse: & quorum defectio in ijs qui non acerbè ferunt ea à se abesse, magis reprehendenda est. Borum quæ in eodem genere sunt, quod propria illius generis uirtute & laude ualet, alteri quod eo caret anteponendū est. Ex ijs in quibus inest, id in quo maior est. Quæ bonum eum in quo sint efficiunt, ijs quæ non efficiunt: uel calidius id est quod calefacit, eo quod non calefacit. Ex ijs quæ efficiunt, ea quæ magis efficiunt: aut quæ id quod melius est, & magis præcipuum bonum, efficiunt: ut quæ animum bonum efficiunt, ijs quæ corpus. Ex casibus etiã & usu, actionibus & operibus, comparationis locus sumitur, & quæ ab illis orta sunt concluduntur. alterum enim alteri consequens est: ut si id quod iustè fit, ei quod fortiter, anteponeñdum sit, iusticia fortitudini anteponeñtur. Et si iusticia fortitudini anteponeñda sit: etiam id quod iustè fit, ei quod fortiter. Quod idem fit in cæteris. Si quo bono, unū maius bonum sit, minus alterum, maius magis expetendum est: uel si maiore aliquo maius sit alterum. Quinetiam e duobus quæ alicui præponeñda sunt, id quod magis expetendum sit, potius eligendū erit, quàm id quod minus. Quorum præstantia & laus, præstantiæ laudiq; aliorum anteponitur, ea etiam anteponeñda sunt: ut amicitia diuitijs, amicitia enim excellentia & gloria, opum excellentiæ & exuperantiæ anteponeñda est. Quæ ipsum sibi quisq; parare & querere malit quàm alterum, ea anteponeñda: ut amici opibus. Ex adiunctio-  
ne hoc modo: Si eidem rei aliquid adiungatur, totumq; melius

C 3

melius efficiat, id magis expetendum est. In quo cauendum est, ne ad ea progrediamur, in quibus altero eorum quæ coniunguntur, utatur id quod utrisq; commune est, uel aliqua alia ei adiumenta asserat, reliquo non utatur, neq; ei sit adiumento. quales sunt, cum fabrica, serra & falx coniuncta: quarum serra si coniuncta sit, optanda magis est, cum magis expetenda non sit omnino. Rursum, si quid ad minus additum, maius totum efficiat, magis expetendum est. Quod idem ex detractioe effici potest. Quicquid enim est eiusmodi, quo detracto, id quod reliquum est minus efficitur, id omne anteponendum. Quæq; propter se expetenda sunt, ijs quæ ad existimationem hominum & opinionem accommodantur: ut ualetudo pulchritudini anteponenda est. Illud autem ad iudicium hominum & opinionem dirigitur, quod si nesciant, nullus in eo parando labor impendatur. Quæ etiam propter se expetuntur, & ad hominum commendationem, ijs quæ alterius solum gratia. Quæq; ui sua per se & propter se in maiore precio & honore sunt, eadem meliora sunt, & magis expetenda. Ea autem per se in maiore honore sunt & precio, quæ detracta omni opinione utilitatis, tam men magis propter se peteremus.

## CAPVT II.

Diuisio etiam rerum expetendarum, & quarum causa expetantur, magnam suppeditabit copiam disputandi: ut utilitatis, uel honestatis, uel uoluptatis gratia res omnes expetendas. Quibus enim ad omnia, uel ad plura utimur, ea ijs anteponenda sunt quibus ad tot res non utimur. Quod si in utrisq; eadem reperiuntur, in utris magis reperiuntur uidendum est: utrum iucundiora sint, an honestiora.

honestiora, an utiliora. Quæ melioris rei causa comparata sunt, eadem magis expetenda: ut quæ uirtutis, quam quæ uoluptatis gratia. Eadem ratio est rerum fugiendarum. Fugienda enim sunt magis quæ res expetendas impediunt: ueluti morbus magis declinandus & uitandus est, quam deformitas, quod magis nos à uoluptate & uirtute morbus detorquet. Ex eo etiam argumenta sumuntur, si rem propositam & expetendam & fugiendam esse doceamus. Minus enim expetenda est res eiusmodi, quam expetere æquè ac fugere liceat, quam altera quæ tantummodò sit expetenda. Ac comparationes quidem rerum inter se tractandæ sunt, quemadmodum à me præscriptum est. Qui iidem loci ualent etiam ad faciendam sine comparatione fidem, quid sit expetendum, quidq; fugiendum. Detrahenda enim modò excellentia & præstantia est, qua alterum alteri præstat. Si enim quæ in maiore honore sunt & precio, eadem magis expetenda sunt, certè quæ in honore sunt, & ducuntur gloriæ, eadè sunt expetenda. & si quæ utiliora sunt, ea magis expetendat utilia etiã expetuntur. Quod idem fit in cæteris quæ comparantur. Sunt autem quædam, ex quorum inter se comparatione statim utrumq; expetendum esse, aut alterum intelligimus. ueluti cum unum natura bonum, alterum minimè dicimus. perspicuum est enim, id quod natura tale sit, esse expetendum. Sumendi sunt autem à maiore & minore loci, qui quam latissimè pateant. sic enim ad plura concludenda ualebunt. Possunt autem quidam ex his locis quos exposuimus, generaliores effici, si parua nomen fiat mutatio: ueluti, quod natura tale uel tale est, eo est magis tale, quod non est tale uel tale natura. Ex duo

bus si unum efficit, alterū non efficit tale uel tale: id quod  
 ipsum habet, aut in quo inest, magis tale est, quod inter-  
 dum facit, quā quod nō facit. Sin utrunq; uim efficien-  
 di habeat, id quod plus efficit, & magis tale uel tale est.  
 Et si ex duobus, unum magis superet tertium quippiam,  
 quā alterum. Si ē duobus unum magis tale uel tale sit,  
 quā quod tale est: alterū magis quā quod non est e-  
 iusmodi: profectō primū in eo genere uincat necesse est.  
 Ex coniunctione idem efficitur. Si quid ad eandem rem  
 addatur, totumq; magis tale uel tale efficiat. Et si quid  
 ○ ad rem additum quae minus sit eiusmodi, totam magis ta-  
 lem reddat. Itemq; detractione. nam si quid detrabatur  
 ab aliquo, ex eoq; quod reliquum est minus tale uel tale  
 existat, id in eo genere praestat. Quae mixta coniunctaq;  
 sunt minus cum contrarijs, ea magis talia uel talia. ueluti  
 id albius est, quod minus admixtū habet nigrorem. Prae-  
 ter illos autem locos, qui supra enumerati sunt, hic alius  
 est locus. Quod sibi magis rei de qua agitur uerā asciscit  
 definitionem. ueluti si candoris haec sit definitio, Color as-  
 spectum oculorum diuidens: is albius color erit, qui ma-  
 gis dispersit aspectum. Quod si quaestio nō generalis, sed  
 quae subiecta sit generi tanquam pars ponatur, primum  
 loci qui expositi sunt, ad confirmandum uel reprehēden-  
 dum omnes ualent plurimum. Si quid enim omnino &  
 totum confirmemus aut refellamus, etiā partem ostendi-  
 mus: propterea quod si quid in toto genere reperitur,  
 etiam in parte: & si in nulla parte, in aliqua intelligi nō  
 potest. Aptissimi autem sunt loci, latissimeq; patent, ij qui  
 ex contrarijs coniugatisq; sumuntur. Aequē enim proba-  
 bile est effari, si omnis uoluptas sit in bonis, etiam dolo-  
 rem

rem omnem in malis esse : ac si qua uoluptas sit bonum, aliquem etiam dolorem esse in malis. Et si quis sensus non sit uis & facultas, sequitur, ut sensus priuatio non sit imbecillitas. Et si, quod opinabile est, scientiæ subiectum sit fit, ut quædam opinio sit scientia. Rursum, si qua res iniusta sit in bonis, aliqua etiam res iusta sit in malis necesse est : & si quid eorum quæ iniuste fiunt, malum est, aliquid etiam eorum quæ iuste fiunt, erit bonum : & si quid eorum quæ iucunda sunt, in rebus fugiendis sit, alia qua etiam uoluptas fugienda. Eodemque modo, si quid eorum quæ iucunda sunt, utile sit, aliqua etiam uoluptas erit in bonis. Quod idem in ijs quæ uim interimendi habent, & in ortu & interitu contingit. Si quid enim quod uis habeat interimendæ uoluptatis & scientiæ, in bonis est, sit etiam necesse est aliqua uoluptas & scientia in malis. Itemque, si aliquis interitus scientiæ sit in bonis, aut ortus in malis : erit in malis aliqua scientia, ut si obliuio flagitiorum alicuius, in bonis, aut recordatio in malis numeretur, certè & cognitio flagitiorum alicuius in malis ducitur. Quod idem in cæteris contingit, propterea quod eadem ratio uerisimilitudinis ualet in omnibus. Idem ex maiore, minore & pari efficitur, hoc modo: Si quid eorum quæ ex alio genere sunt, magis tale uel tale sit, illorū autem nihil sit : efficitur, ut id quod propositum est, non sit eiusmodi: ut si qua scientia bonum sit potius quam uoluptas, nec ulla sit in bonis scientia, ne uoluptas quidem in ijs numerabitur. Similiter ex pari & minore licebit confirmare & refellere, nisi quod ex pari utrunque efficietur: ex minore cōstituere solum, non etiam destruere. Si enim pari ratione uis aliqua in bonis sit & scientia,

fit autem uis aliqua in bonis, etiam scientia erit. Sin nulla uis & facultas, ne ulla quidem scientia. Si autem minore ratione uis aliqua bonum sit, quam scientia, sitq; uis aliqua bonum, etiam scientia: sin nulla uis in bonis ducatur, non necesse est nullam etiam scientiam duci in bonis. Ex quo perspicuum est, locum ex minore solum uim habere ad probandum. Non solum autem ex comparatione eorum quæ sunt diuersorum generum, argumentum duci potest: sed ex eodem etiam genere, si quis sumat quod sit in eo genere maximè tale. ut si qua ponatur esse in bonis scientia, probatumq; sit non esse in bonis prudentiam, nulla alia numerabitur: quippe cum ne ea quidem quæ maximè uideatur. Ex fictione idem efficitur, si id antè conueniat: pari ratione, si cui cõueniat, etiam omnibus cõuenire, aut non conuenire: ut si hominis animus sit immortalis, etiam cæterorum. Quòd si non hic, ne cæterorum quidem esse. Si igitur in quæstione positum sit alicui conuenire, non conuenire alicui docere debemus. Sic enim illud consequens erit ex fictione nulli conuenire. Quòd si cui non conuenire ponatur, probandum est alicui conuenire. sic enim illud consequens erit, conuenire omnibus. Illud autem perspicuum est, eum qui ex huiusmodi fictione argumentum ducit, ad generalem reuocare quæstionem, quæ in parte proposita est. eum enim uult, qui partem concedat, totum etiam concedere: quandoquidem si uni, pari ratione æquum putat conuenire omnibus. Ac infinitæ quidem quæstiones uno modo euertere refelliq; possunt: ut si uoluntatem bonum esse dixerit, aut non esse bonum, neq; aliud quicquam exposuerit. Nam si uoluptatem aliquã in bonis esse dixerit, nullam esse

esse

esse omnino probandum est, si rem propositā uelut euertere. Item si uoluptatem aliquam non bonam esse enunciarit, omnino demonstrandum est omnē esse: aliter enim non potest reprehēdi. Nam si uoluptatem aliquam non esse bonum, aut esse doceamus, nōdum proposita res reprehensa est. Ex quo perspicuum est, rem infirmari uno modo posse, cōfirmari duobus. Siue enim omnino doceamus omnem in bonis uoluptatem duci, siue aliquam, res confecta erit. Itemq; si opus sit ostendere, aliquam uoluptatem non esse in bonis, si nullam esse doceamus, aut aliquam non esse, utrū effecerimus, aliquā in bonis non esse uoluptatem docuerimus. Definita autem quæstione, duo ad refellendum loci suppetere: ut si quis ponat in bonis uoluptatem aliquam esse, aliquam non esse: siue omnis in bonis esse doceatur, siue nulla esse, res proposita infirmata erit. Quod si unam tantummodò in bonis uoluptatem posuerit, tribus modis id poterit refelli. Si enim omnem esse, uel nullam, uel plures docuerimus, rem propositam euerterimus. Si uerò quæstio definita expositaq; sit pluribus, ueluti prudentiam solam ex uirtutibus esse scientiam, ad id reprehendendum quatuor modis instructi erimus. Nam si doceamus omnem uirtutē scientiam esse, aut nullam, aut etiam aliam, ueluti iusticiam, aut ipsam prudentiam non esse scientiam, euersum erit id de quo agitur. In quo utile erit, quid cuiq; rerum singularū quæ continentur sub specie de qua quæritur accidat, aut non accidat, uidere: quemadmodū de generalibus quæstionibus tradēdi. Genera etiam uidentia sunt diligenter, eaq; in partes, ut dixi, usq; ad indiuidua, tribuēda. Siue enim in toto genere uideatur inesse, siue in nulla parte, postquā in singulis

lis rebus aliquot, ita rem habere docueris, petendum est, ut omnino totumq; concedat: aut certe occurrat, in quo non ita reperiat. Postremo, quibus in rebus diuidi in specie diuersa, aut numero potest accidens, facta eius diuisione, nunquid conueniat uidendum est: ut tempus non moueri, aut non esse motum, si probare uelimus, quot sint genera motus docendum est. Si enim nullum eorum conueniat tempori: tempus certe non mouetur, nec motus est. Itemq; animum non esse numerum, licebit docere diuisione adhibita, omnem numerum aut parem esse, aut impari. nam si animus neq; par, neq; impar sit, profecto esse numerus nullo modo potest. Ac ex his quidem locis argumenta ducenda sunt, & depromenda ad confirmandum uel refellendum accidens.

TOPICORVM LIBER  
Quartus.

CAPVT I.

**D**inceps ea quae ad genus & proprium pertinent, uideamus. In ijs autem elementa definiendi traditur: illa autem ipsa raro in disputationem incidunt. Si igitur ponatur genus alicuius eorum quae sunt, primum uidentur est, an de aliquo eorum quae illi cognata sunt, & uicina, minimè dicatur: ut sit in accidentibus. ut si uoluptatis genus bonum statuatur, an aliqua uoluptas non sit in bonis, uidendum erit. Nam si ita fiat, certe uoluptatis bonum non est genus: quippe cum genus in formis omnibus quae sub ipsum subiecta sunt, intelligatur. Deinde considerandum est, an in quaestione qua quid sit res exquiratur, minimè dicatur, sed ut accidens: ut id quod album

est de niue, aut de animo id quod pulsu suo & interiore  
 agitatur. neq; enim idem nix est quod albu aliquid. itaq;  
 non est id quod album est, niuis genus: nec animi, id quod  
 à se mouetur. accidit enim ei ut moueatur, quemadmodu  
 saepe animali ut ambulet. Præterea quod à se mouetur,  
 non quid est, sed facere aut pati indicat. Itemq; id quod  
 album est, non naturam niuis significat, sed qualitatem.  
 Ita neutru eorum in naturæ quæstione dicitur. Maxime  
 uero an definitio accidentis in id genus quod datum est  
 conueniat, spectare debemus. Nā ut in eo exemplo quod  
 modo protuli, permaneam, fieri potest ut aliquid seipsum  
 & moueat, & non moueat. Itemq; ut album sit aliquid,  
 & non album. ex quo efficitur, neutrum eorum genus  
 esse, sed accidens: quando quidem accidens diximus esse,  
 id quod & conuenire alicui potest, & non conuenire.  
 Iam illud etiam uidendum est, an non in eadem diuisione  
 genus & species numerata sint: unumq; eoru ad substantiam,  
 alterum ad qualitatem: aut illud ad ea quæ cum ali  
 quo conferuntur, hoc ad qualitatem pertineat. ueluti nix  
 & cygnus ad substantiam: id autem quod album est, non  
 ad substantiam, sed ad qualitatem pertinet. Ita id quod  
 album est, nec niuis genus est, nec cygni. Rursus, quoniam  
 scientia in ijs est quæ cum aliquo conferuntur, bonum  
 autem & honestum in qualitate: fit, ut honestum aut bo  
 num non sit genus scientiæ, præsertim cum eorum quæ  
 cum aliquo conferuntur, genera etiam ipsa in eodem ge  
 nere esse debeant. id quod in duplo cernere licet. Nam  
 cum multipulum dupli sit genus, ipsum etiam in ijs est quæ  
 cum aliquo conferuntur: atque ut summatim dicam, ei  
 dem diuisioni, cui species, genus subijci debet, siue enim

species substantia sit, etiam genus: siue qualitas sit species, etiam genus qualitas sit necesse est. ut si candor ad qualitatem referatur, color etiam refertur. Quod etiam sit in cæteris. Præterea uideñdum est, an necesse sit, aut positum genus eo participare quod in genere positum est: definitio autem participandi est, eius quod communicatur recipere definitionem. Ex quo perspicuum est, species generum participes esse, genera formarum non esse: quando quidem generis cum specie communicatur definitio, specie cum genere nõ item. Illud ergo uideñdum est, genusne id de quo agitur, particeps sit, an possit esse speciei particeps. ut si quis eius quod est, aut unius aliquod genus tradat: ita enim fiet, ut particeps sit formarum genus. quoniam in rebus omnibus quæ sunt, id quod est & unum intelliguntur: ergo etiã eorum definitio. Illud etiam, an species data & proposita in aliqua re uere dicatur, genus nõ dicitur: ueluti si id quod est, aut quod sciri potest, opinabilis ponatur genus. de his enim rebus quæ nullæ sunt, opinabile dicitur: quoniam multa eorum quæ nulla sunt, in opinione confidunt. Id autem quod est, aut quod scientia comprehenditur, de ijs quæ nulla sunt, ut perspicuum est, non dicuntur. Ex quo fit, ut neq; id quod est, neq; id quod scientia comprehenditur, sit genus opinabilis: præsertim cum in quibus species dicitur, genus quoque dici debeat. Præterea illud etiam considerandum est, an nullius formæ id quod positum est in genere, particeps esse possit. fieri enim non potest, ut generis sit particeps, id quod nullius formarum est: nisi forte aliquid eorum sit quæ in diuisione prima formarum collocantur, quæ omnia genere tantummodo participant. Si igitur motus ponatur uoluptatis

GENUS

genus esse, an neq; interitus, neq; commutatio, neq; ullus motus alius eorum qui eodem genere continentur, uoluptas sit, uidendum est. Perspicuum est enim, nullius formæ recipere posse cõmunionem; ita ne generis quidem. quando quidem id necesse est, quod generis est particeps, alicuius etiam particeps esse formarum. Ita fit, ut motionis species uoluptas esse non possit, neq; indiuiduorum, neq; eorum quæ subiecta sunt sub specie motionis: quando quidem generis specieq; cum indiuiduis definitio comunicatur. ut certus homo, & hominis particeps est, & animalis. Præterea illud etiam uidendum est, an id quod positum est in genere, in pluribus quàm genus intelligatur. ut opinabile in pluribus quàm id quod est, dicitur. etenim id quod est, & quod non est, in opinione consistit. Ita opinabile eius quod est, species esse nullo modo potest, semper enim ad plura genus quàm species pertinet. Itemq; illud, an genus in totidem rebus quot forma dicatur. ut si eorum quæ res omnes consequuntur, unum genus, alterum species statuatur: qualia sunt id quod est, & unum. omnibus enim in rebus id quod est & unum intelliguntur. Neutrum igitur alterius esse genus potest, quando quidem in rebus paribus æqualibusq; dicuntur. Quod etiam fiet, si quod primum est & principium, alterum alterius esse statuatur. nam & initium primum est: & quod primum est, id initium. Ita si utrunq; idem ualeat, certè neutrum alterius genus futurum est. In quibus omnibus illud initium & quasi elementum nobis propositum esse debet. Genus ad plura quàm speciem differentiamq; pertinere. Pauciora enim quàm genus, etiam continet differentia. Animaduertendum etiam est, an id

quod pro genere adhibitum est, non est genus alicuius eorum quæ specie non differunt, an etiam non possit uideri. Is quidem qui rem cõfirmabit, sit ne cuiuspiam uidebit. est enim omnibus ijs quæ specie non differunt, idem datum genus. Quod si unius docuerit esse, profecto omnium esse ostēderit: si unius non esse docuerit, certe nullius docuerit. ut si quis indiuiduas lineas ponat, dicatque earum genus esse id quod secari non potest. linearum enim earum quæ diuidi possunt, non est genus id quod datum est, cum specie non differant: quando quidem rectæ lineæ omnes specie non differunt.

## CAPVT II.

Illud etiam, an sit aliud aliquod genus eius speciei quæ data est, quod nec genus propositum contineat, neque sub illud subiectum sit: ut si quis iusticiæ genus esse scientiam ponat. quoniam enim genus est etiam uirtus, neutrumque genus alterum continet, scientia genus esse iusticiæ nullo modo potest. Cum enim species una duobus generibus subiecta est, tum alterum altero continetur. Quamquam de nonnullis quæstio est. nonnullis enim et uirtus & scientia prudentia uidetur esse: nec alterum genus altero contineri: non tamen omnium consensu prudentia scientia est. Quod si quis id quod dixi uerum esse concedet, at certe alterum alterius genus esse, aut sub eodem genere utrunque subijci, quod eidem genus sit necesse est. quod & in uirtute & in scientia contingit. utrunque enim eidem generi subiectum est, quippe cum eorum utrumque habitus sit & affectio. Illud igitur uidendum est, an neutrum generi proposito conueniat: quoniam si nec alterum altero continetur, nec utrunque eodem, certe id quod propositum est, esse

esse genus nullo pacto potest. Spectandum etiam genus est propositi generis, & semper id genus quod supra est, omniane illa de specie dicantur, & in quaestione naturæ intelligantur. De specie enim, in quaestione naturæ genera quæ supra sunt dici debent omnia. Quòd sicubi hæc non constet ratio, profectò id quod propositum est, non est genus. Iam illud etiam considerandum est, an speciei cum genere, aut cum aliquo genere eorum quæ supra sunt, communicetur definitio. Quod enim genus supra est, nullius eorum quæ infra sunt definitione participat. Ac ei quidem qui partes infirmandi obtinet, ita, ut dixi, hic tractandus locus est. Si autem qui probabit rem, si speciei genus propositum convenire constiterit, in dubiū autem veniat an ut genus conveniat: satis erit aliquod eorum generū quæ supra sunt, dici de specie in quaestione qua quid quicq; sit exquiritur, docere. Etenim si unū aliquod in illa quaestione dicatur, certè omnia & quæ hoc priora antiquioraq; sunt, et quæ posteriora, siquidē de specie dicantur, in naturæ quaestione dicentur. ex qua efficitur, id genus quod datum sit, in eadē quaestione dici. Quòd si unū in naturæ quaestione dicatur, cætera etiam omnia, si quidem dicantur, in eadem dictū iri quaestione, inductione concludendū est. Sin, an omnino genus propositum speciei conveniat, in controuersia uersetur: non satis est docere, unum aliquod genus eorū quæ supra sunt, in naturæ quaestione dici de specie: uelut, si quis ingressui genus dederit delationem, non satis est ingressum esse delationem docere, ad probandum ingressum esse delationem, quando quidem alia sunt etiam motionum genera: sed antè docendum est, ingressum nullius eorum quæ

in eadem diuisione, qua delatio, collocantur, nisi delatio-  
nis retinere definitionē. Quod enim particeps est defini-  
tionis generis, id alicuius etiam formarum, qua prima  
partitione continentur, definitione participet necesse est.  
Quod si ingressus nec accretionis, nec imminutionis, ne-  
que aliarum motionum sibi definitionem uendicet: pro-  
fecto delationis uendicet necesse est. ita ingressus delatio  
genus erit. Præterea in quibus species posita ut genus di-  
citur, considerandum est, an etiam genus quod datum est,  
in questione naturæ de ijs de quibus etiā forma, dicatur:  
itemq̄, an quæ supra genus sunt omnia. Nam si quo loco  
hoc non conueniat, certè id quod datum est, generis no-  
men non obtinebit. Etenim si genus esset, omnia & quæ  
suprà sunt, & ipsum illud in naturæ questione diceren-  
tur, quemadmodū etiam species in ea questione dicitur.  
Comodum igitur erit ei qui refellendi partes obtinebit,  
non dici genus in questione qua quid sit quaeretur, de ijs  
omnibus de quibus etiam forma dicatur: at ei, qui confir-  
mabit in ea dici questione. Ita enim efficietur, & genus  
& formam de eodem in questione naturæ dici: ex quo  
consequens erit, idem duobus generibus esse subiectum.  
Alterū igitur altero contineatur necesse est. Quod si de-  
monstratū sit, id genus quod constituere uolumus, nō esse  
subiectum sub specie: profecto species sub eo subiecta eo-  
rit. Ita ostensum erit, generis id nomen obtinere. Viden-  
dum etiam est, an speciei propositæ, ijsq̄, quibuscum spe-  
cies communicatur, generum conueniat definitio, neces-  
se est enim in specie, ijsq̄, omnibus quæ specie participāt,  
generum dici definitiones. Quod si quo loco non conue-  
niat, certè quod datum est, generis nomen non obtinet.

Illud

Illud etiam num differentiam pro genere adhibuit: ut, si  
 immortale genus Dei dixerit, est enim animantium diffe-  
 rentia immortale: quandoquidem animantium alij sunt  
 mortales, alij immortales. ex quo perspicuū est, in errore  
 illum esse uersatum, quoniā nullius rei genus differentia  
 est. Quod uerū esse ex hoc intelligi potest, quia differentiā  
 quid res sit, non indicat, sed potius quale quid sit, quem-  
 admodum gradus & bipes. Illud etiā, an differentiam  
 in genere quasi specie posuerit: ut si quis impar species  
 numeri dixerit. differentia enim numeri est impar, non  
 species: nec differentia generis est particeps, præsertim  
 cum quicquid generis est particeps, id uel species sit, uel  
 indiuiduum: & differentia, nec speciei, nec indiuidui no-  
 men obtineat omnino. Ita fit, ut generis nō sit particeps  
 differentia. Non igitur impar species est, sed differentia,  
 quandoquidem non est particeps generis definitionis.  
 Præterea illud etiam considerandum est, an genus in for-  
 marum numerum retulerit: ut contiguitatem idem esse  
 quod continuationem: aut permutationem idem quod tem-  
 perationem, aut ut Plato definit, delationem, loci mutatio-  
 nem. neque enim necesse est contiguitatem continuationem  
 esse: sed contrā, continuationem contiguitatem esse necesse  
 est. quippe cum non omne quod coaptatur, continetur  
 sed quod continuatur, aptatur. quod idem fit in cæteris,  
 neque enim confusio omnis temperatio est, quoniam sicco-  
 rum permixtio non est temperatio: nec mutatio loci om-  
 nis, delatio. Ingressus enim delatio non uidetur esse, pro-  
 pterea quod in his tantūmodo quæ ui, non sponte & uo-  
 luntate sua locum mutant, dicitur. id quod in rebus inani-  
 mis contingit. Ex quo intelligitur, speciem, quam genus,

in pluribus dici, in ijs quæ data sunt, cum contrà necesse sit fieri. Videndum etiam illud est, an sub formarum aliqua differentiam collocarit: ueluti, si immortale idem esse quod Deum dixerit. Ex eo enim consequens erit, id quod inferius est specie in paribus, aut pluribus dici specie semper enim in paribus rebus, aut in pluribus, quàm species, differentia dicitur. Etiam illud, an genus sub differentia quasi speciem reposuerit: ut colorem sub eo quod uim habet ad aspectum oculorum comparandum, uel numerum sub impari. Itemque illud, an genus dixerit differentiam. Fieri enim potest, ut aliquis hoc propositum afferat, & inducat, temperationis differentiam esse confusionem, aut delationis, loci immutationem. Atque hæc omnia ex iisdem locis, quoniam inter eos communitio est & societas quædam, intelligenda sunt. nam et genus in pluribus dici debet quàm differentia, & differentia non esse particeps, quòd si ita, ut in superioribus exemplis, genus detur, neutrum eorum quæ exposuimus accidere potest. Sic enim & in paucioribus dicitur genus, & participabit differentia. Præterea illud intelligendum est, si differentia nulla carum quæ generi subiectæ sunt, de specie quæ data sit, dicatur, ne genus quidem dictum iri. nam quoniã de animo nec impar, nec par dicitur, eo fit, ut ne numerus quidem. Iam uerò si species sit prior naturæ ordine, & genus unã secum tollat & euerat, nam id contrà fieri debet: quod idem fit, si species genus expressum & propositum, aut differentiam, potest relinquere: ut animus motum, aut opinio uerũ et falsum, neque enim alterum eorum genus potest esse, aut differentia: quoniam quandiu species est, eam & genus & differentia sequuntur.

Atq; etiam illud uidendum est, an id ipsum quod positum est genus esse alicuius, particeps sit definitionis contrarij generis, aut esse possit. sic enim eadē res simul contrariorum poterit esse particeps, propterea quod species nunquam genus prætermittit: & contrarij est, aut potest esse particeps. Illud etiā, an cum specie aliquid communicetur, quod ijs quæ subiecta generi sunt, conuenire non possit, omnino: ut si animus uitæ est particeps, nec ullus numerus possit uiuere, certè animus esse numeri species nullo modo potest. Illud etiam uidendum est, an species multis uarijsq; modis cum genere collata dicatur. In quo ex locis eorū quæ multis modis dicuntur, quos exposuimus, argumēta nobis suppetēt. Sūt enim genus & species synonyma. Cumq; omnium generū multæ sint formæ ac species, considerandum est, an possit alia species esse illius generis quod datū est. nā si non sit alia species, profecto id quod propositum est, in numero generū non est habendum omnino. Illud etiam, an quod per translationē dicitur, pro genere sit positū, ueluti si quis temperantiam, concordiam concentūq; dixerit. Nam cum genera omnia propriè de formis dicantur, concentus de temperantia non propriè, sed per translationē dicitur. quando quidem concentus omnis in sonis cernitur. Iam uerò an aliquid speciei contrarium sit, uidendum est. qui sanè locus multis modis tractari potest. Primum, si in eodem genere etiam contraria reperiuntur, cum interim nihil sit generi contrarium. In eodem enim genere contraria inesse debent, si nihil generi sit contrarium. Quod si quid contrarium sit generi, an contrarium in contrario sit,

sit, uidendum est. Contrarium enim, si quidem sit gene-  
 ri aliquid contrarium, in contrario necesse est esse, quae  
 omnia ex inductione intelligi licet. Praeterea illud etiã,  
 an in nullo omnino genere id insit quod speciei contra-  
 rium est, sed genus ipsum sit, quale est bonum. Nam si il-  
 lud in genere non reperiatur, nec contrarium quidem e-  
 ius in genere reperietur, sed ipsum in generum numero  
 habebitur. Quod in bono maloq; cõtingit: quorum neu-  
 trum ad genus refertur ullum, sed utrunq; eorum genus  
 est. Illud etiam, an contrarium et genus sit alicui, & spe-  
 cies: & quibus aliquid est interiectum, & quibus nihil  
 est. Nam si quid interiectum sit generibus, etiam formis  
 est: & si formis, etiam generibus uicissim. Quod in uir-  
 tute & uitio, iusticia & iniusticia perspicitur licet: quorum  
 utrisq; aliquid interiectum est. Huic loco occurritur, in-  
 ter ualeitudinem & morbum nihil medium esse, inter  
 malum & bonum aliquid esse. Tum uidendum est, an  
 inter species & genera aliquid interiectũ sit, nec eodem  
 modo, sed ita ut inter alia negatio interiecta sit, inter a-  
 lia res aliqua subiecta: si quidem eodem modo utrisque  
 probabile est data esse. Id quod uidere licet in uirtute &  
 in uitio, & in iusticia & iniusticia, quibus aliqua inter-  
 iecta est negatio. Porro quando non erit generi contra-  
 rium, non solum illud uidendum est, an contrarium in  
 eodem genere reperiatur, sed etiam illud quod medium  
 est. quando quidem in quo extrema, etiam medium colo-  
 catur, quod in candore & nigrore contingit. Nam et  
 eorum & colorũ omnium qui medij sunt & interiecti,  
 color genus est. Cui tamen loco occurritur. Parum enim  
 & nimium cum in eodem genere reperiantur (sunt e-  
 nim

nim in malis) tamen mediocritas quæ ips interiecta est,  
 non in malis est, sed in bonis. Illud etiam, an genus ali-  
 cui, species nulli sit contraria. Nam si genus alicui con-  
 trarium est, etiam forma est: ueluti uirtus & uirtium, ius-  
 ticia & iniusticia. Quod idem in cæteris omnibus per-  
 spici licet. Hoc tamen loco nobis occurritur. ualitud e-  
 nim uniuersa, morbo contraria est: certus autem mor-  
 bus cum morbi sit species, nulli contrarium est. ut febris,  
 ut oculorum dolor, & singuli alij. Ac ei quidem qui re-  
 fellendi partes tuebitur, tot modis hæc uideâ sunt. quo-  
 niam si ea ipsa quæ exposuimus minus reperiantur, cer-  
 tè quod datum est & propositum, non est genus. Ei au-  
 tem qui confirmabit, tribus ex locis ad disputandum sup-  
 petet copia. Primus est, si quod contrarium est speciei, id  
 in eo genere situm sit quod positum est, cum interim con-  
 trarium generis minimè reperiat. Si enim cõtrarium  
 ad aliquod genus pertineat, profectò propositum etiam  
 ad illud genus pertinebit. Alter locus est, si id quod in-  
 teriectum est & medium, ad genus propositum referat-  
 tur. ad quod enim genus media, etiam extrema referun-  
 tur. Tertio loco, si quid contrarium est generi, an etiam  
 contrarium sit in contrario, uidendum est. si enim sit,  
 profectò propositum etiam genus sit in proposito ne-  
 cesse est.

## CAPVT IIII.

At uerò & ei qui infirmabit, & ei qui confirmabit,  
 à casibus & coniugatis uidendum erit, an eodem modo  
 sint consequentia quæ proponuntur. Nam si semel in u-  
 no, etiam in omnibus intelligetur, aut non intelligetur:  
 ueluti si iusticia scientia quedam est, etiam id quod iuste  
 fit,

fit, scienter fiat, et iustus sciens sit necesse est. Quod si nihil eorum sit, ne aliorum quidem esse aliquid potest. A simili hoc modo: Quod iucundum est, eandem habet rationem ad uoluptatem, quam id quod utile est ad bonum: si quidem utrunque utriusque efficiens est. ita fit, ut si uoluptas sit in bonis, etiam id quod iucundum est, sit in his que utilia sunt. Perspicuum est enim boni esse efficiens, quandoquidem uoluptas est in bonis. Hoc etiam modo locus ab origine et ortu interitusque ducitur. ut si edificare sit agere, edificasse etiam erit egisse. et si discere est recordari, certe didicisse recordatum esse erit. et si dissolui, interire est: profectum et dissolutum esse, interisse erit, et dissolutio aut diremptio, interitus. Eadem est ratio eorum que uim habent ad gignendum et interimendum. Itemque uis et usus, omninoque in quauis similitudine, et is qui refellet argumentationem, et qui confirmabit, eodem modo perspicere debet, quomodo in loco ab ortu et interitu exposuimus. Si enim id quod uim habet ad interimendum, uim etiam habet ad dirimendum, etiam interire erit dirimere et si id quod uim habet ad gignendum, pertineat ad efficiendum, certe et gigni idem quod fieri erit, et ortus idem quod effectio. quod de ui et usu eodem modo iudicandum est. Nam si uis affectio sit, etiam posse affici erit, et si alicuius rei usus et functio actio sit, profectum et fungi idem quod agere, et functum esse idem quod egisse ualebit. Quod si priuatio erit id quod speciei contrarium est, dupliciter licebit refellere. Primum quidem, si in genere quod propositum est, id contrarium reperiatur. Aut enim in nullo omnino genere eodem, aut certe non in extremo priuatio est: ueluti si aspectus in extremo genere

sensu

sensu in sit, certe sensus cæcitas esse non potest. Deinde si  
 & generi & speciei contraria sit priuatio, neq; sit con-  
 trarium in contrario, ne id quidem genus quod propo-  
 situm est, in proposito intelligetur. Atq; is quidem qui re-  
 fellit, argumenta sumet, quemadmodum exposui: qui au-  
 tem confirmabit, unum tantummodo depromet, hoc mo-  
 do: Si cōtrarium in contrario, etiam propositū genus in  
 proposito reperiatur necesse est: ut si cæcitas, quæ dā sen-  
 sus uacuitas sit: etiam aspectus sensus sit necesse est. Ab  
 aientibus autem et negantibus cōmutato ordine, quem-  
 admodum in accidentibus exposiui, argumenta dis-  
 cenda sunt, hoc modo: Si quod iucundum est, bonum est  
 quod est non bonum, id non iucundum est. Si enim non ita  
 sit, erit aliquid iucundū, quod non est bonū. Fieri autem  
 nō potest, ut si bonum genus sit eius quod iucundum est, sit  
 aliquid non bonum iucundū: præsertim cum in quib; ge-  
 nus non dicitur, ne ulla quidē species in ijs dici queat. Hoc  
 quidē modo ei qui confirmabit ducendum argumentum  
 est: Si quod non bonum est, id non iucundum est, quod iu-  
 cundū est, in bonis est: ita genus est bonū eius quod iucun-  
 dum est. Quod si in ijs sit species, quæ cum aliquo conse-  
 runtur, an etiam genus in ijs sit, uidēdum est. Si enim spe-  
 cies in eorū habeatur numero, quæ cum aliquo cōferuntur,  
 etiam genus habeatur necesse est. quod in duplo &  
 multiplo cernere licet: quorum utrūq; in ijs est, quæ cum  
 aliquo cōferuntur. At uerò non si genus ad ea pertineat,  
 speciei etiam pertinere necesse est. Nā et scientia in ijs est,  
 & grāmatica non item. An ne id quidem quod supra di-  
 ximus, uerū uideri potest? nā cū uirtus in bonis sit, & in  
 rebus honestis, uirtusq; in ijs quæ cū aliquo cōferuntur,  
 tamen

tamen nec bonum nec honestum in ijs quæ cum aliquo conferuntur, sed in qualibus. Præterea uidendum est, an species non ad idem referatur per se, et generis rationem ut si duplum simpli dicitur duplum, etiã quod multipulum est ad simplum referri debet: sin minus, certè multipulum esse genus dupli nullo modo potest. Itemq; illud, an minime ad idem referatur, & generis, & omnium generum superiorum ratione. si enim duplum sit simpli multipulum, erit etiam duplum exuperans simpli, omninoq; omnium generum quæ supra sunt, ratione ad simplum referetur. Quamquam huic loco occurritur: propterea quod non necesse sit, ipsum per se & generis nomine cum eadem re conferri. Nam cum scientia ad rem quæ scientia comprehenditur, referatur, tamen habitus & affectio non ad rem quæ sub scientiam cadit, sed ad animum pertinet ac refertur. Illud etiam, an genus & species iisdem casibus explicentur: ut an alicui tribuatur, an uerò alicuius sit, aut aliõne modo dicatur. Eadem enim est ratio speciei & generis. Id quod fit in duplo, ijsq; omnibus quæ supra sunt. Alicuius enim rei & duplum & multipulum, duplum multipulumq; dicitur: quod eodem modo de scientia iudicandum est. Alicuius enim scientia, & ipsa scientia, & genera, ut affectio, ut habitus esse dicuntur. Occurrit tamen interdum, non ita rem habere, propterea quod differens & contrarium alicui contrario dicitur: cum interim diuersum quod illorum genus est, non alicui diuersum, sed ab aliquo dicitur. Diuersum enim quid ab aliquo nominatur. Rursum illud uidendum est, an ea quæ cum aliquo conferuntur, iisdem casibus explicentur, minimeq; recipiuntur eodem modo: ut fit in duplo

duplo & multiplo, quorum utrumq; alicuius & ipsum,  
 & cum uicissim reciprocatur, dicitur. nam & simplum  
 & subduplum, alicuius rei simplum, & submultipulum  
 appellatur: quod idem in scientia & opinione contin-  
 git, quæ alicuius esse dicuntur. Itemq; reciprocantur. Nam  
 quod sub opinionem cadit & scientiam, eodem modo in  
 ablatiuo, cum scientia & opinione reciprocatur: ex quo  
 fit, ut si in aliquo non uicissim respondeat alterum alte-  
 ri, non sit futurum genus. Illud etiam uidendum est, an  
 in hoc ipso genere quod tractamus, genus & species pa-  
 ribus casibus explicentur, quoniam iisdem paribusq; cas-  
 sibus utrumq; dici debet: quod fit in dono & largitione.  
 nam & donum, alicuius donum, & alicui dono datum  
 esse dicitur: & largitio, alicuius largitio, & alicui facta  
 largitio dicitur: quorum largitio genus doni est. est enim  
 donum, largitio quæ reddi non debet. Quamquam non-  
 nulla sunt in hoc genere, quæ paribus casibus non effe-  
 rantur. Duplum enim alicuius duplum est. quod autem  
 uincit, & maius est, & aliqua re maius est, & aliqua  
 magnitudine maius est. Quicquid enim præstat, id excel-  
 lentia aliqua præstat, & alicui rei præstat. Ita non sunt  
 genera dupli, quæ proposita sunt: quandoquidem pari-  
 bus casibus ea & species nõ exprimuntur: aut certè non  
 omnino uerum est, speciem & genus paribus casibus effe-  
 ri. Atq; etiam illud uidendum est, ut contrarij contrarium  
 genus sit, ut dupli multipulum, & simpli submultipulum  
 contrarium enim contrario genus esse debet. Quod si  
 quis scientiam ponat esse sensum, id etiam quod sub scien-  
 tiam cadit, sub sensum cadere oportebit. non ita est. neq;  
 enim omne quod scientia cõprehenditur, mouet sensum:

eum præsertim quædam eorum quæ intelligentia & rati-  
 one continentur, subiecta sint scientiæ. ita nõ est genus  
 eius quod scientiæ cõprehenditur, id quod sub sensum ca-  
 dit: quod si ita nõ est, ne sensus quidem sciẽtiæ genus est.  
 Quoniã autem eorum quæ cum aliquo cõferuntur, par-  
 tim necesse est, in ijs sita esse quibuscum conferuntur, ut  
 affectio, ut habitus, ut apta cõpositio membrorum, quæ  
 in nullo alio possunt inesse, quam in ijs ad quæ referun-  
 tur: partim nõ est necesse in ijs sita esse ad quæ pertinet:  
 potest tamen, ut ita sit, euenire: (ut, si animus est qui sci-  
 entia contineatur, nihil prohibet animum sui continere  
 scientiam, & tamen non est necesse: cum præsertim fieri  
 possit, ut hæc ipsa in alio sita sit) partim nõ possunt in ijs  
 inesse omnino ad quæ referuntur, ut contrarium in cõtra-  
 rario esse nõ potest, neq; scientia in eõ quod subiectum  
 est scientiæ, nisi cum animus aut homo ea sũnt quæ sub  
 scientiã cadunt: illud uidendum est, an aliquis ad aliquod  
 genus eiusmodi quippiam retulerit, quod nõ est eius ge-  
 neris: ut si quis memoriã, retentionem scientiæ dixerit.  
 Omnis enim retentio in eõ sita est quod retinet. Ita fit,  
 ut scientiæ retentio in scientia sita sit: memoria igitur in  
 scientia sita erit, quandoquidẽ scientiæ retentio est, quod  
 fieri non potest. Omnis enim memoria in animo sita est.  
 Hic autem locus ad accidẽs referri potest: nihil enim in-  
 ter est, utrum memoriæ genus sedem & retentionem di-  
 camus, an ei hoc accidisse: quoniã si quouis modo memo-  
 ria retentio sit scientiæ, eadẽ ei attribuetur ratio.

## CAPVT V.

Illud etiam intelligendum est, si quis habitum pro ac-  
 ctione dixerit, aut actionẽ pro habitu, eorum neutrum  
 esse eu-

esse genus: ut si quis sensum, motum corporis dixerit, est enim sensus habitus, motus autem actio. Quod idem fiet, si memoriam habitum continendæ opinionis appellaue- rit. nulla enim memoria habitus est, sed potius actio. Er- rant etiam ij, qui habitum statuunt esse uim quæ consea- quens est ex habitu: ut clementiam, iræ cōtinentiam: & fortitudinem atq; iusticiam, metus lucriq; continentiam. Nam & fortis clemensq; uacuis à perturbatione dicitur: & continens, is qui est in perturbatione, neq; ab eā uincitur. Ac uis quidem ex utroq; talis fortasse consequitur, ut si sit in perturbatione, nō ab ea uincatur, sed eam uincat. sed tamen fortem aut clemētem esse, non est hoc se modo continere, sed nihil omnino ab ijs perturbatio- nibus agitari. Interdum etiam, quod ex re qualibet con- sequens est, id pro genere dicunt: ut dolorem, iræ genus: & fidei, opinionem. utrunq; enim eorum cum ex formis propositis quodam modo consequatur, neutrum tamen in numerum generum uenit. qui enim irascitur, dolet illē quidem, sed ita ut dolorem antē esse quā iram intelli- gamus: quandoquidem non ira doloris, sed dolor iræ causa est: ex quo efficitur, ut ira non sit dolor omnino. Ex quibus etiam intelligi potest, fidem non esse in opi- nione. Fieri enim potest, ut is etiam qui non fidem ha- beat, eandem habeat opinionem. quod fieri non posset, si quidem fides esset opinionis species. Non enim fieri po- test, ut idem etiam permaneant aliquid, si ex specie om- nino aut genere in genus transferatur: quemadmodum fieri non potest, ut aliquid sit idem animal, & aliās homo sit, aliās non sit. Quod si quis contendat, necesse esse eum qui opinetur etiam credere: idem paria esse &

æque patere opinionem ac fidem fatebitur. Ita non erit genus, quoniam genus ad plura debet pertinere. Illud etiam uidentur est, an in aliquo eodem utrunque inesse possit. In quo enim genus inest, etiam species. ut in quo canor existit, etiam color: & in quo grammatica, etiam scientia solet existere. Si quis igitur uerecundiam metum esse dicat, aut iram dolorem, non efficietur ut in eodem genus speciesque intelligantur. Est enim uerecundia in ea parte animi sita, quæ rationis est particeps: metus autem in ea, in qua irarum existit ardor: & dolor in ea, in qua cupiditates uersantur, quoniam in ea etiam uoluptatis est sedes: ira uero, in qua ira uersatur. Ex quo efficietur, non esse genera ea quæ proposita sunt, quandoquidem non in eo ipso insunt in quo species & formæ. Itemque si amicitia in ea sit parte in qua uoluptates habitant, non erit uoluntas aliqua, præsertim cum uoluntas omnis in ea parte sita sit quæ rationis est particeps. Valet etiam hic locus ad subiecta & accidentia. in quo enim accidens situm est, etiam id cui cõuenit situm est. ita fit, ut si in eodem non existant, non sit accidens. Illud etiam, an quædam ex parte cum specie genus quod datum est communicetur. Non enim quadam ex parte genus communicatur, quippe cum homo non sit quadam ex parte animal, nec grammatica aliqua ex parte scientia. quod idem in cæteris contingit. Illud ergo considerandum est, an quædam cum genere quadam ex parte cõmunicentur: ueluti si animal cadere sub sensum, aut aspectabile quoddam esse dictum est. animal enim & sub sensum, & sub aspectum quadam ex parte cadit: quandoquidem corpore sensum & aspectum mouet, animo autem non mouet. ex quo

quo se  
quod  
ad pa  
tum.  
corp  
illud  
peran  
quid p  
quis,  
deu  
nari  
pote  
sum  
eorum  
bonus  
modi  
mina  
peten  
est. It  
mus: e  
posse.  
fit gen  
eorum  
aliqu  
aliqu  
aut ex  
test ali  
nis, &  
ne pro  
que du

quo sequitur, non esse genera animalis aspectabile, & quod sensum mouet. Falluntq; nos interdum ij qui totum ad partem transferunt, ueluti animal ad corpus animalium. atqui pars in toto nullo modo dicitur: non est igitur corpus genus animalis, quandoquidem pars eius est. Atq; illud etiam spectandum est, num quid eorum quæ uituperanda & fugienda sunt, ad uim, aut ad id quod aliud quid potest, relatum sit: ut si sophistam eum statuerit aliquis, qui potest parare pecunias sapientia, quæ in eo uidetur existere; aut calumniatorem, eum qui potest calumniari, & ex amicis inimicos facere; aut furem, eum quæ potest clam aliena furari. nemo enim eorum quos exposuimus, eiusmodi appellatur, ex eo quod possit aliquid eorum efficere. Quandoquidem & Deus potest, & uir bonus, quæ mala sunt efficere, cum interim non sint eius modi. Omnes enim improbi ex animo & uoluntate nominantur. Præterea omnis uis et facultas in numero expetendorum habentur. etenim malorum uis expetenda est. Itaq; deum & uiros bonos ipsi praditos esse dicimus: eos enim fatemur res malas & flagitiosas agere posse. Ita fit, ut uis nullius rei, quæ quidem uituperanda sit, genus possit esse. Sin secus, certè efficietur, ut aliquid eorum quæ uituperanda sunt, sit expetendū. Sic enim uis aliqua uituperanda erit. Itemq; illud uidendum est, an aliquid eorū quæ propter se & per se honorabilia sunt, aut expetenda, ad uim & facultatem, aut ad id quod potest aliquid, aut quod efficiens est, relatum sit. uis enim omnis, & quicquid aliquid potest, aut efficiens est, id omne propter aliud expetendum est. aut, an aliquid eorum quæ duplex habent genus, aut plura, ad alterū retulerit,

Sunt enim quædam, quæ ad unum genus referri non possunt: quo in genere sunt impostor, & calumniator. neque enim is calumniator aut impostor habendus est, qui uult, nec potest: neque is qui potest, neque uult: sed is demum, in quo utrumque horum inest. ex quo efficitur, ea quæ posita sunt, non in uno genere, sed in utroque esse collocanda. Iam uero contra interdum genus pro differentia, & differentiam pro genere dicunt. ut stuporem, magnitudinem admirationis: & fidem, stabilitatem opinionis. neque enim magnitudo, neque firmitas & stabilitas, generis, sed differentia nomine appellari debent. quoniam & stupor admiratio est nimia, & fides firma opinio. ex quo perspicuum est, & admirationem genus esse, & opinionem: magnitudinem uero nimiam, & firmitatem, esse differentiam. Præterea si quis exuperantiam & firmitatem pro genere explicauerit, efficietur ut res inanimæ & fides habeant & consternentur. Nam quoniam inest uniuscuiusque rei firmitas, & magnitudo, aut exuperantia in eo cuius est firmitas & exuperantia: certe si stupor exuperantia est admirationis, stupor inerit in admiratione: ita obstupescet admiratio, itaque fides erit in opinione: si quidem firmitas opinionis est. ex quo efficietur, opinio non credere. Cōsequens etiā erit, ut is qui isto pacto de genere sentiet, firmitate firmam exuperantiamque nimiam esse fateatur: quando quidem fides aliqua firma est. Si igitur fides firmitas sit, certe firmitas firma futura est. Itemque quoniam stupor aliquis nimius est, si stupor exuperantia sit, erit nimia exuperantia. quorum neutrum uerum est, quemadmodum nec scientia, id est quod sub scientiam cauit, neque motus id quod mouetur. Errant etiam interea  
dum

dum ij, qui affectionem eius faciunt speciem cuius est af-  
 fectio, quales sunt ij qui immortalitatem uitam sempi-  
 ternam esse definiunt. est enim affectio quædam, aut cer-  
 te comes uitæ immortalitatis. quod uerum esse fiet perspi-  
 cuum, si quis ex mortali immortalem effici concesserit.  
 Nemo enim cum hominem aliam uitam degere, sed ali-  
 quid ei conuenire, aut affectionem accidere faciebitur.  
 Ita fit, ut immortalitatis uita non sit genus. Quo etiam  
 in errore uersantur ij qui affectionem eius rei cuius est  
 affectio, genus esse ponunt: ut uentum esse aerem mo-  
 tum & agitatum. Est enim potius uentus, aeris impulsio:  
 quando quidem idem aer & cum agitatur, & cum stat,  
 permanet. ex quo efficitur, uentum non esse omnino ae-  
 rem. Effet enim uentus, etiam si aer non impelleretur: si-  
 quidem idem aer qui uentus erat, permanet. Similis est  
 ratio cæterorum eius generis. Quod si etiã in hac re uen-  
 tum esse aerem impulsum & agitatum cõcedere debea-  
 mus, at certe non omni ex parte id approbandum est:  
 non ijs quidem in rebus, in quibus hoc tale genus non ue-  
 re dicitur: sed in ijs, in quibus uere intelligitur genus id  
 quod propositum est. Sunt enim quædam in quibus non  
 uere dicitur: ex quo genere sunt nix & cœnum. Aiunt  
 enim niuem esse aquam congelatam atq; concretam: cœ-  
 num uerò terram humore temperatam: at qui neq; cœ-  
 num terra est, neq; nix aqua. Neutrum igitur genus esse  
 eorum quæ proposita sunt, ullo modo potest: quippe cum  
 semper genus de formis uere dici debeat. Item, ne uinum  
 quidem aqua est putris, ut ait Empedocles: Aqua putris  
 in ligno. Iam uerò si omnino nullius sit genus id quod da-  
 tum est, perspicuum est, ne eius quidem quod positum

est esse. quod hinc intelligi potest, quia nihil specie differunt ea omnia, quibus cum genus id quod datum est communicatur. Cuius generis sunt alba, quæ specie inter se non differunt. Species autem omnis generis differunt. Non igitur id quod album est, ullius generis esse potest. Illud etiam uidentum est, id' ne pro genere aut differentia dixerit, quod ex rebus omnibus consequens est. Sunt enim multa, quæ res omnes consequuntur; ueluti id quod est, & unum in ijs sunt quæ rem omnem sequuntur, itaq; si id quod est genus esse posuerit, certè omnium rerum genus futurum est, quandoquidem in ijs dicitur: genus autem de nullo, nisi de formis dicitur. Ita unū eius quod est, species esset, ex quo efficeretur, in ijs omnibus in quibus genus, etiam speciem dici. quandoquidē & id quod est, & unum de rebus omnibus dicitur, cum species pauciora quàm genus continere debeat. Quod si id quod omnibus ex rebus sequatur differentiam appellauerit, profectò paria aut plura, quàm genus, differentia continebit. Nam si genus etiam in ijs est quæ consequentia sunt ex omnibus, ex æquo: sin minus ex omnibus genus sequatur, plura eo contineat differentia necesse est. Iam si in subiecta specie genus id quod datum est, ut id quod album est in niue insit, perspicuum est id non esse genus. solum enim genus de subiecta specie dicitur. Atq; illud etiam uidentum est, an genus & species sint synonyma. Genus enim de formis omnibus nominis definitionisq; communis societate dicitur. Qui etiam error nascetur, quando generi & speciei aliquid erit contrarium, meliusq; contrariorum ad genus deterius referetur. ita enim fiet, ut id quod reliquum est, insit in alio. sunt enim in contrarijs

gene-

generibus contraria. Fit igitur ex his, ut id quod melius est, sit in deteriore, at qui optima cuiusq; rei, etiam genus optimum est. Illud etiam uidendum est, idem ne aliquid quod ad utrumq; eodem modo affectum sit, ad deterius genus, non ad præstantius retulerit: ut si animum motum, uel id quod mouetur, dixerit. Nam quoniam idem animus æque uim habet standi ac mouendi, profecto si status melior est, in eo genere animus statuendus erat. Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei qui refellit, si genus accessionem capiat, & species non capiat, nec ipsa, neq; quod ab ea deductum est, hoc modo: Si uirtus elationem habeat, etiam iusticia & iustus habebunt. alius enim alio iustior dicitur. nã si genus quod datum est, accessionem accipiat, speciesq; non accipiat, neq; ipsa, neq; id quod ab ea natum sit, id quod datum est, esse genus nullo modo potest. Præterea si id quod magis aut æque uidetur genus, non est genus: certè ne id quidem quod datum est. Atq; huius loci in ijs plurimus usus est, in quib. multa de specie in questione dicuntur, qua quid res sit quæritur, nec certum genus traditum est, neq; quod eorum genus sit possumus explicare. ut de ira, & dolor, & opinio contemptus in naturæ questione dicuntur: præsertim cum is qui irascitur, argatur, seq; contemni putet. Quæ eadem tractatio in specie per locum comparationis suppetit, hoc modo: Si quæ species magis aut æque in esse uidetur in genere quod datum est, non inest in genere, ne ea quidè quæ data est, in genere erit omnino. Atq; is quidem qui infirmabit, quemadmodum exposui, hunc tractabit locum: qui autem confirmandi partes tenebit, ei hic locus nihil ad argumentandum suppetabit, quo-

ties genus quod datum est, & species recipient accessionem. nihil enim prohibet, si utrumque recipiat, alterum alteri non esse genus. Nam & id quod album est, quodque honestum, accessionem capit, nec alterum alteri genus est. Sed generum ac formarum inter se comparatio magna ei suppeditabit argumentorum copiam, hoc modo: Si eadem est huius & illius generis ratio, & alterum genus est, etiam alterum erit. Itemque, ex minore et maiore idem effici potest, hoc modo: Si continentia vis magis quam uirtus genus est, uirtus autem genus est, vis etiam erit. Quod de specie eodem modo iudicandum est. Si enim æque hoc atque illud eius de quo agitur species est, et alterum est species, etiam reliquum. Et si quod minus uidetur, species est, etiam quod magis uidetur. Illud etiam in confirmatione uidentum est, an genus de iis quibus datum est et tributum, in natura questione dicatur, nec una sit species eius quod genus esse positum est, sed & plures & differentes. sic enim genus erit. Quod si una sit species ea quæ data est, uidentum est, an etiam de alijs formis genus dicatur in questione natura. ex quo iterum efficietur, & de pluribus ipsum ac differentibus dici, & genus approbari. quoniam autem quibusdam placet, differentiam in questione natura dici de formis, discernendum est genus à differentia, ijs locis quos exposuimus. quorum primus est, Genus plura quam differentiam continere: alter, Genus in respondendo quid quicque sit aptius dici posse, quam differentiam. Qui enim hominem animal esse dixerit, planius facit quid sit homo, quam si gradus dicat. tertius est, Differentiam generis qualitatem declarare semper, genus differentia qualitatem non ita. nam & qui gradus dixerit, quale quid animal

mal exprimit: et qui animal dicit, nō quale quid graidēs  
 explicat. Ac differentia quidem à genere hoc pacto sepa  
 rada est. Quoniam aut uidetur musicus, quia musicus sit,  
 sciens esse, etiam musica scientia quaedā est. quoniamq; si  
 quod ingreditur, ob eam causam quia ingreditur & am  
 bulat, mouetur, ingressus etiam quaedā est motio. In quo  
 autē genere aliquid confirmare et efficere uelimus, quē  
 admodū dixi, diligenter uidendū est, hoc modo: Si scien  
 tiā esse fidem confirmandū est, si is qui scientia prāditus  
 est, quia sciat, credit, profectō scientia fides sit necesse est.  
 Eademq; ratione in alijs omnibus facere licebit. Postre  
 mō quoniam quod alicui consequens est semper, nec ui  
 cissim retrō comēat, id difficile est improbare non esse  
 genus, si hoc ex illo omni ex parte sequatur: illud uerō ex  
 hoc non omnino (ueluti ex tranquillitate quies sequitur,  
 & ex numero id quod secari potest, contraq; non sequi  
 tur: quandoquidem non quicquid diuidi potest numerus  
 est, nec quies tranquillitas omnis) eo quidem utendum est  
 pro genere quod semper sequitur, tum cum alterum non  
 reciprocatur. quod si ab altero id proponatur, non in o  
 mnibus, neq; omni ex parte probandū est. ei autem hoc  
 loco sic occurrendum est: id quod non est, ex rebus omni  
 bus quæ gignuntur consequens est, cum præsertim quod  
 gignitur non sit. neq; retrō id comēat uicissim. Non e  
 nim omne quod non est, generatur. attamen non est ge  
 nus, id quod non est, eius rei quæ gignitur: quandoquidē  
 eius quod non est, nullæ sunt species omnino. Ac in gene  
 re quidem probando uel improbando, eam uiam ac  
 rationem quam præscripsi, sequi ac te  
 neri debemus.

**V**trum autem propriū sit, necne, id quod proposi-  
tum est, ex ijs locis quos deinceps exponemus, in-  
telligitur. Explicatur quidem proprium aut per  
se & ui sua, ac semper, aut alterius comparatione, & in-  
terdū, ueluti hominis propriū est per se ac ui sua, animal  
esse humanū natura: alterius autē cōparatione, ut animi  
ad corpus, quod animus imperare, corpus parēre debet.  
Proprium autē semper est, exempli causa, Dei, animal es-  
se immortale. Interdū propriū est, ut certi hominis deana  
bulare in gymnasio. Nascuntur autē ex eo quod collatum  
cum altero proprium explicatur, aut duæ aut quatuor  
quæstiones. nam si alicuius proprium esse ponat, alterius  
idē neget esse, duæ tantummodo quæstiones oriuntur. ut  
hominis cum equo collati propriū est bipedem esse: nam  
hominem non esse bipedem aliquis possit cōcludere, &  
equum bipedē. & utroq; modo, propriū sic positum con-  
futabitur. Quod si utriq; suum proprium concedatur, ita  
ut etiam utrumq; ab utroq; negetur, quatuor quæstiones  
existent. ueluti hominis cum equo collati propriū est bi-  
pedē esse, & equi quadrupedē: nam et hominē non esse  
bipedē, & natura quadrupedē esse, argumento conclu-  
dere licet. itemq; equus bipes esse, & nō quadrupes, pro-  
bari potest. Ergo si quouis modo doceatur, quod propo-  
situm est refellitur. Propriū autem per se ac ui sua id est,  
quod omnibus tribuitur, & ab omni genere separat: ut  
hominis proprium est, mortale esse animal natum ad co-  
gnitionem

gnitionem & scientiam. Proprium uerò ad alterum est, quod non ab omnibus, sed à quodam certo distinguit & separat. ut uirtutis cū scientia collatæ propriū est, in plurimis animi partibus esse: sciētia, in ea solum quæ rationis est particeps, & in ijs solum animalibus quæ rationē utuntur, existere. Semper proprium est, quod per omnē tempus uerè dicitur, nec unquam amittitur: ut animalis, ex animo & corpore constare. Aliquando id proprium est, quod ad aliquod tempus uerè dicitur, nec semper consequens est necessariò. ueluti cuiuspiam hominis, in foro deambulare. Fieri autē potest ut proprium proponamus ad aliud, & differentiam inter aliqua dicamus duobus modis. Vno modo, ut id quod proprium dicitur, omni & semper conueniat: altero, ut in maxima parte & plerumque insit. ueluti hominis cum equo collati bipedem esse ita proprium est, ut & in omnibus hominibus id & semper intelligatur: quando quidem omnes homines bipedes sunt per omnē uitæ tempus, equus autem nullus unquam bipes est. Imperare autem parti ei animæ in qua uoluptates uersantur, & ei in qua irarum ardor existit, sic proprium est eius partis animi quæ rationis est particeps, ut ferè & maxima in parte intelligatur. huius enim imperare est, illarū parēre: nec pars animi rationis particeps omni ex parte imperat, interdumq; contrā paret. neque pars ea in qua uoluptates habitāt, & in qua iræ, parent semper, sed interdū imperant, tum cum hominis animus uitiosus est & deprauatus. Sed ea plurimum ad differēdiū ualent propria, quæ per se sunt, et semper cōueniunt, & ea quæ cum aliquo cōferuntur. nam ex eo quod proprium est cum altero collatū, multæ, quemadmodū supra dixi,

dixi, quæstiones nascuntur. aut enim duæ, aut quatuor in illo eliciuntur necessario. multa igitur argumenta ex eis ducuntur. Ex eo uero quod per se & perpetuo proprium est, multa argumenta licet ducere, aut ad plura tempora trahere. quod enim per se inest, ad multa pertinet: quandoquidem ei cui proprium est, exclusis separatisq; omnibus alijs, quod hoc modo proprium est, conuenire debet. Quæ obrem si ab omnibus non separet, certe non est commode attributum proprium. Quod autem semper proprium est, id in pluribus temporibus obseruari debet an conueniat. nam nisi conueniat, & conuenierit, & conueniet, non est futurum proprium. Quod uero interdum proprium est, non in alijs temporibus, nisi in instanti spectatur. Itaque pauca argumentationes ducuntur ex eo. quæstio autem ad differendum ualet ea, ex qua & crebra & firma argumenta trahuntur. Atq; ipsæ ex locis quos in accedente exposuimus, argumenta ad differendum de eo proprio quod ad alterum est, suppetent, si proprium aliquid conueniat, alicui non conueniat. Ad tractandum autem quod semper proprium est & per se, ij loci qui deinceps exponentur, magnam nobis ad argumentandum copiam suppediabant.

## CAPVT II.

Ac primum quidem uidendum est, an recte & apte, necne, explicatum sit proprium. esse autem recte aut minus recte explicatum, ex uno loco illo intelligemus, si rebus minimè notioribus, aut si rebus magis perspicuis expositum sit proprium. Ac is quidem qui refellit, non constare ex notioribus ostendet: is autem qui confirmabit, ex ijs ipsis quæ magis perspicua sunt, constare demonstrabit. Esse autem expositum uerbis minus perspicuis & no-

tis, cognoscemus. primum, si omnino obscurius & magis  
 inuolutum erit proprium, quod datur, quam id cui attri-  
 buitur proprium. neq; enim proprium apte & commo-  
 de propositum erit, quandoquidem cognoscendae & illu-  
 strandae rei gratia proprium inuentum est. nam & pro-  
 prium & definitiones discendi cognoscendiq; causa ad-  
 hibemus. uerbis igitur magis perspicuis illustranda sunt.  
 sic enim facilius intelligemus, ut qui posuit ignis proprium  
 esse, proxime ad animi similitudinem accedere: is certe  
 obscuriore usus est uerbo animi, quam ignis. quoniam fa-  
 cilius quid ignis sit, quam quid animus, cognoscimus: ita  
 non recte minusq; apte propositum fuit proprium ignis,  
 ad animi similitudinem proxime accedere. Deinde, cum  
 minus planum sit ac perspicuum hoc illi conuenire: non  
 enim solum proprium re clarius & notius esse debet, ue-  
 rum etiam rei conuenire. qui enim nescit an huic rei pro-  
 prium conueniat, ne illud quidem, an huic rei soli conue-  
 niat, intelliget. ita fit, ut si alterutrum horum interueniat,  
 incertum & obscurum futurum sit proprium: ut quando  
 aliquis ignis proprium esse ponit, in quo primum animi  
 sedes est, eo utitur quod obscurius est igne, animum in i-  
 gne, & in eo primum consistere. ex quo fit, proprium i-  
 gnis non esse apte positum, id in quo primo animus inest  
 natura. In confirmatione autem, ut rebus magis perspi-  
 cuis, & his perspicuis magis, duob. modis quos modo ex-  
 posuimus, uidendum est. Sic enim apte & commode hac  
 ex parte proprium explicabitur, quandoquidem loci ij  
 qui ad confirmandum aliquid recte positum esse ualent,  
 alij ex hac tantum parte, alij omnino recte expositum do-  
 cebunt. ueluti si quis proprium animalium dicat habere  
 sensum,

*sensum, is rebus magis perspicuis, & planius, utroq; ge-  
 nere proprium explicabit. Aptè igitur expositū est, hac  
 ex parte animalis proprium esse sensum habere. Proxi-  
 mus locus est in refutatione, si quod uerbum eorum qui-  
 bus proprium explicatur, pluribus modis dicatur, aut o-  
 ratio ipsa multa declaret omnino. sic enim minus aptè  
 positum erit proprium: ueluti, quoniam sentire plura si-  
 gnificat, unum habere sensum, alterum uti sensu, certè  
 animalis non erit aptè explicatum proprium, sentire nā-  
 tura: ob eamq; causam non est utendum uerbo aut ora-  
 tione, quæ pluribus modis dicatur, qua proprium expo-  
 namus, propterea quòd ea quæ multis modis dicuntur,  
 obscuram faciunt orationem: cum præsertim in dubium  
 ueniat ei qui argumētaturus est, utrum tandē alter dicat  
 ex ijs quæ multiplici uerbo cōtinentur. profectò enim co-  
 gnitionis causa cōparatum est proprium. Iam uerò præ-  
 terea necesse est eos reprehendi, qui isto pacto explicant  
 proprium, quando aliquis in ea significatione, in qua id  
 quod propositum est, uerum non sit, ratiocinationē con-  
 ficiet de eo quod multis modis dicitur. In confirmatione  
 huius loci usus est, si id quod proprium datur, nec multa  
 significat, neq; ullum uerbum, neq; ipsa oratio: sic enim  
 hac ex parte aptè proprium ponetur. ueluti quoniā nec  
 corpus multa declarat, nec id quod celerrimè sursum fer-  
 tur, neq; ea quæ ex his uerbis constat oratio, ob eam cau-  
 sam rectè ponetur ignis proprium esse, corpus quod ma-  
 xima celeritate sursum mouetur. Sequitur locus in refu-  
 tatione, si multis modis dicatur id cuius proprium expli-  
 catur, neq; exponatur cuius eorum ponatur esse propriū.  
 neq; enim rectè proprium illud datū est. Quibus autem  
 de*

de causis, ex ijs quæ suprà dixi intelligi potest. Eadem enim necesse erit cōcludere, hoc modo: Quoniam aliquid scire multa significat (nam et scientiam habere aliquid, & scientia uti aliquid, & scientiam esse eius, & scientia uti eius) ob eam causam nullum proprium rectè dari poterit illius scire aliquid, nisi cuius eorum proprium ponat, explicetur. In confirmatione autem eius usus erit, si multis modis non dicatur id cuius proprium ponitur, ut numq̄ sit & simplex. hac enim ex parte proprium aptè explicabitur: ut quoniam homo uno modo dicitur, homini rectè proprium tribuetur, animal cicur natura. Coniunctus huic locus in refutatione ualebit, si sæpe idem in proprio dictum erit. sæpe enim fallunt nos ij qui hoc faciunt, ut in definitionibus, sic in proprijs. quod si in proprio contingat, non erit rectè datū: quippe cum id quod sæpe dicitur & iteratur, auditorem conturbet. ex quo fit, ut & obscura sit oratio, & præterea delirent & nugentur qui eam inducunt. Duobus autem modis aliquid idem sæpe repetitur. Primum, cum eandem rem sæpe nominabit: ut si quis dicat, ignis proprium esse corpus leuissimum corporum: sic enim sæpe dixit corpus. Deinde si quis pro nominibus definitiones accipiat: ut si quis terræ proprium tribuat, substantia quæ naturaliter fertur celerrimè corporum deorsum. deinde utatur pro uerbo corporum illa oratione substantiarum talium, quoniam corpus idem ualet quod substantia talis, ex quo efficitur substantiæ nomen iterari: ut neutrum proprium rectè tributum esse uideatur. At uerò in confirmatione huius loci usus erit, si nullo uerbo eodem sæpe utare: hac enim ex parte aptè proprium statuetur. ut si quis proprium

H  
hominis

hominis dixerit, animal ad cognitionem & scientiã natu-  
 rum, is nec sape eodem uerbo utetur, & hac ex parte re-  
 ctè homini propriũ statuet. Sequitur locus in refutatio-  
 ne, si tale aliquod uerbum in proprio expresserit, quod  
 conueniat rebus omnibus: inusitatum enim & minus a-  
 ptum erit uerbum quod à nullo separat. atqui ut in defi-  
 nitionibus, sic quod in proprijs exprimitur, debet seiun-  
 gere: nõ igitur rectè expositum erit proprium. ut si quis  
 proprium scientiæ dicat, opinionem, quæ ratione dimo-  
 ueri non potest, cum sit una: quoniam in proprio expo-  
 nẽdo aliquo eiusmodi usus est, unius scilicet nomine, quod  
 rebus omnibus conuenit, profectò scientiæ proprium re-  
 ctè positum nullo modo uideri potest. In confirmatione  
 ualebit hic locus, si nullum uerbum cõmune adhibeatur,  
 sed eiusmodi quod à re aliqua separet. hac enim ex parte  
 præclare positum erit proprium: ut si quis animali pro-  
 prium tribuat habere animum, is quoniam nullo uerbo  
 communi usus est, habere animum rectè hac ex parte as-  
 nimalis proprium dedit. Proximus locus est in refutatio-  
 ne, si quis plura propria eidem statuatur, neq; se plura po-  
 nere explicet: tum enim haud rectè positũ erit propriũ.  
 ut enim in definitionibus nihil adhibendũ est præter ora-  
 tionem, quæ rei uim & naturam explicet: sic ne in pro-  
 prijs quidem, præter orationem, quæ proprium id quod  
 datum est efficiat, quicquam exprimendum est. quando-  
 quidem inusitatũ minusq; aptum est, quod præterea ad-  
 ditur. id quod continget, si quis ignis propriũ dixerit cor-  
 pus tenuissimum & celerrimum: utrunq; enim de solo  
 igne uerè dici potest. ex quo efficitur, ignis propriũ, cor-  
 pus tenuissimum, & leuissimum, non esse rectè datum.

In con-

In confirmatione huius loci usus erit, si nō plura propria eiusdem, sed unum esse ponatur: hac enim ex parte proprium recte ponetur. ut si quis dicat humoris proprium, corpus quod in omnem formam flectitur, is quoniam unum expressit proprium, non multa, eo recte usus est humoris proprio. Sequitur locus in refutatione, si uel eo utatur cuius proprium explicat, aut eorum aliquo quæ ei tribuantur, nam quoniam cognitionis gratia inuentum est proprium, eo modo non recte ponit. Eadem quidem res semper æque obscura est. quod autem alicui tributum est, id quoniam eo est posterius, non est magis perspicuum. ita fit, ut ex his nihil disci cognosciq; possit: ut, si quis proprium animalis ponat substantiam, cuius est species homo, is quia aliqua re usus est earum quæ animali tributa sunt, profecto non commodè usus est proprio. In confirmatione autem ita demum proprium recte hac ex parte statuatur, si nec eo, neq; aliquo eorum quæ ei tributa sunt utamur. quod fiet, si proprium animalis ponamus, quod ex animo & corpore concretum est: sic enim neq; ipsum, neq; quicquam ipsius adhibebimus. ex quo efficietur, ut præclare hac in parte animalis proprium explicemus. Eademq; ratione ea spectanda sunt in alijs etiã rebus, quæ non faciunt, aut quæ faciunt aliquid planius. iam uerò in refutatione uidendū est, an tale aliquid adhibitum sit, quod aut cōtrarium sit, aut omnino æque antiquum naturæ ordine, aut posterius: neq; enim recte proprium ponetur. Nam contraria sunt ordine naturæ æque antiqua, quod autem æquale est alicuius, naturæ ordine, & eo posterius, non facit ipsum planius, neq; declarat. ut si quis boni propriū dicat, malo maxime esse con-

trarium, is boni contrarium adhibuit, ob eamq; causam proprium boni haud recte explicauit. In confirmatione autem huius loci usus erit, si nec contrario utemur, neq; ullo alio quod æquale sit ordine naturæ, uel posterius: sic enim recte hac in parte statuemus proprium, ut si quis scientiæ proprium ponat, opinionem quæ maximè fidem facit, is quia nihil adhibuit, nec quod scientiæ esset contrarium, nec quod omnino simul esset cum eâ, aut ea posterius naturæ ordine, eo recte proprium scientiæ hac ex parte statuit. Sequitur locus in refutatione, si quod non semper sequitur, propriū positum est, sed id quod interdum non proprium est. non enim præclare & cōmodè proprium erit explicatum. Neq; enim in eo nomē necessariò uerè dicitur, in quo inesse ipsum intelligimus: neq; in eo necesse est nomen nō dici, cui illud non intelligimus conuenire. ita non erit recte expressum propriū. Præterea non erit perspicuum, an conueniat id quod statutum est esse proprium, si tale sit, ut prætermitti separariq; possit: itaq; non erit perspicuum, neq; apertum proprium. ut si quis propriū animalis ponat, moueri interdum aut stare, is, quia tale statuit proprium, quod interdum non proprium efficitur, certè haud aptè propriū statuit. In confirmatione cōsiderabimus, an id proprium statutum sit, quod semper est in re necessariò. hac enim ex parte rectè propriū ponetur: ut si quis uirtutis proprium dicat, eum in quo sit bonum efficere, is quia propriū statuit quod semper cōsequens est, ob eam causam rectè uirtutis propriū hac ex parte constituit. Sequitur locus in reprehensione, si id quod hoc tempore proprium est statuat, neq; se proprium huius tēporis dare exponat. neq; enim rectè

recte statuet propriū. Primum enim, quod contra mores  
 & cōsuetudinem statuitur, id omne enodationis indiget.  
 At qui solēt ferē omnes id proprium statuere, quod sempi-  
 ternum est. Deinde incertū est, is ne qui nō explicat men-  
 tem suam, uelit id ponere, quod hoc tempore sit propriū.  
 non igitur dare debet reprehensionis occasionem. quod  
 continget, si quis ponat alicuius hominis proprium esse  
 sedere unā cum aliquo homine, illudq; hoc tēpore pro-  
 prium esse non statuatur. neq; enim illud recte statuat pro-  
 prium, nisi se dixisse hoc tēpore proprium esse explicet.  
 Atq; hic locus ad confirmandum ualebit, si explicemus,  
 cum aliquid proprium statuemus hoc tempore, nos pro-  
 prium hoc tempore ponere. sic enim recte propriū hac  
 in parte statuemus. exempli causa, si quis alicuius homi-  
 nis propriū dicat esse, aliquo in loco hoc uel illo tempore  
 deambulare, quoniam distinctione usus est, recte id pro-  
 prium esse posuit. Proximus in reprehensione locus erit,  
 si quis tale statuat propriū, quod conuenire aliter, quā  
 sensu perspicere non licet. neq; enim tum positum propriū  
 erit: quando quidē quicquid mouet sensum, si id extra sen-  
 sum sit, obscurum est. incertū enim est an iam cōueniat,  
 propterea quod sensu tantūmodo intelligatur. Quod ue-  
 rum esse in ijs quæ non necessariō semper consequuntur  
 perspicimus, ueluti si quis solis proprium esse dicat, quæ-  
 strum splendidissimum quod supra terrā fertur, is adha-  
 bet in proprio illud quod supra terrā fertur: quod qui-  
 dem quia sensu cognoscitur, non recte solis proprium sta-  
 tuit. incertum enim erit cum sol occiderit, an supra terrā  
 feratur, quod tum sensus oculorum nos deficit. At in con-  
 firmatione huius loci usus erit, si proprium statuamus  
 eiusmodi,

eiusmodi, quod sensu non sit perspicuum: aut certe quod si sensum mouet, perspicui potest necessariò cōuenire. hac enim ex parte rectè statutum erit propriū. ut si quis extremitatis proprium ponat, quod primum colore inficitur, is illo toto Colore inficitur, quod sensum mouet, ille quidem utitur, sed eiusmodi quod perspicuum est semper conuenire. ita hac ex parte rectè statutū est extremitatis proprium. Iam in reprehensione uidendum erit, an definitionem ut propriū posuerit. sic enim proprium non rectè ponetur, quandoquidē non debet proprium rei uim naturamq; explicare. Cuius exemplum erit, si quis hominis proprium dicat, animal gradens bipes: proprium enim hominis statuet, quod quid res sit explicat. nō igitur rectè statuit hominis proprium. In cōfirmatione autem huius loci usus erit, si propriū eiusmodi statuamus quod uicissim dicatur, neq; rei uim naturamq; declaret. Erit enim hac ex parte rectè explicatum proprium. ut si quis hominis proprium ponat, animal cicur natura: propriū ille quidem statuet quod uicissim dicitur, sed quod non quid res sit indicat. ita fiet, ut hac ex parte rectè statutū sit hominis proprium. Coniunctus huic locus est in reprehensione & refutatione, cum proprium datur, cuius nulla pars quid res sit explicet. Oportet enim ut in definitionibus, sic in proprijs, primū genus exprimi, deinde iam hoc pacto adiungi cetera quæ separant atq; seiungunt. Non igitur rectè proprium ponetur, quod non eo modo statuetur: ut si quis proprium animalis dicat, animalium habere, non ponet in quæstione naturæ animalis: ex quo sequetur, animalis proprium nō rectè positum esse. In cōfirmatione autem considerandum est, an collocatum

sum sit aliquid, quod in quaestione naturae dicatur de eo cuius proprium ponitur, & ita demum adiungatur caetera: hac enim ex parte recte proprium datum erit. ueluti si quis proprium hominis ponat, animal ad scientiam et cognitionem natum, is & proprium quod in quaestione naturae aliqua ex parte positum est, dabit: & ea ex parte hominis proprium recte explicabit. Ac utrum recte, an minus recte proprium datum sit, & explicatum, ex ijs locis qui adhuc sunt expositi, intelligere debemus.

## CAPVT III.

Vtrum autem id proprium sit omnino quod explicatur, & datur, nec ne, ex ijs quos deinceps exponemus, licebit concludere. Nisdem enim locis aliquid omni ex parte recte poni proprium concludemus, quibus proprium omnino statuitur. quorum primus erit in refutatione diligens eorum omnium animaduersione, & consideratio, quorum propria dabuntur. ueluti uidendum erit, an ea ex parte qua datur, non uere de singulis dicatur: an uero non sit proprium uniuscuiusque eorum, eius ratione cuius proprium explicetur: sic enim non erit proprium quod esse ponebatur. ut quia de geometra non uere dicitur, eum nulla ratione falli posse, (falliur enim geometres in falsa descriptione) non est proprium futurum docti et artificis, non falli ratione. In confirmatione autem, an in omnibus uere dicatur, & hac ex parte qua sub illo toto genere continentur, uidendum est, quoniam proprium erit quod positum est esse proprium: ut quia animal ad cognitionem & disciplinam percipiendam natum, in omni homine uere dicitur, & quia homo sit, eo hominis proprium erit animal ad disciplinam percipiendam natum. Huius autem loci usus erit in refutatione,

tatione, quoties in quo nomen, non etiam oratio uerè dicitur: & cum in quo oratio, non etiam nomen intelligi licet. In confirmatione autem, cum in quo nomen, etiam oratio: & in quo oratio, nomen quoque intelligitur. Alter locus est refutationis, cum de quo oratio, non etiam nomen uerè dicitur: & cum de quo nomen, non etiam uerè dicitur oratio. tum enim quod positum est esse proprium, non erit proprium: quod ex hoc exemplo intelligi potest, animal enim ad disciplinam & scientiam percipiendam natum in Deo uerè intelligitur, homo non intelligitur, ex quo efficitur, non esse proprium hominis hoc totum, animal quod ad disciplinam cognitionemque percipiendam natum est. In confirmatione autem ualebit, quoties in quibus omnibus oratio, nomen etiam dicitur: & in quibus nomen, etiam oratio. quod enim proprium positum est non esse, proprium erit. Quod hinc intelligi potest, quia de quibus illud totum, habere animam, etiam animal uerè dicitur: et de quibus animal, etiam animatum. ita habere animam animalis proprium est. Refutationis tertius locus erit, si subiectum eius esse proprium statuatur, quod in subiecto esse dicatur. ut si quis proprium statuatur tenuissimæ rei ignem, quia rem subiectam proprium ei quod de illa dicitur tribuit, certè non rectè posuit ignem proprium esse rei tenuissimæ. Ob eamque causam subiectum non est futurum proprium eius, quod in subiecto esse dicitur. sic enim idem multorum, & quæ specie differunt, proprium esset: quando quidem multa quædam quæ specie differunt, eidem conueniunt, quæ de eo solo dicuntur; quorum omnium subiectum proprium futurum est, si quis isto pacto statuatur proprium. Ad confirmandum autem ualebit, si id quod in sub-

iecto

iecto inest, subiecti proprium esse ponatur: quandoquidem proprium futurum est id quod positum est non esse proprium. siquidem in solo eo intelligitur, ut dixi, proprium, cuius proprium esse dicitur: ut si quis terræ proprium dicat, corpus grauisimū specie, is quia proprium subiecti dedit eiusmodi, quod & de sola re, & ut proprium dicitur, efficitur ut rectè positum sit terræ proprium. Sequitur locus proprius refutationis, si quis per communicationem proprium tribuat: nō enim erit proprium, quod positum est esse proprium: quippe cum id quod communione quadam cōuenit, ad uim naturamq; rei explicandam pertineat. Erit autem hoc modo positū proprium differentia quædam, quæ de specie aliqua dicitur, ut si quis proprium hominis dicat hoc totum, gradus bipes, per communionem quandā proprium explicabit: ex quo fiet, ut non sit proprium hominis gradus bipes. Hoc loco uidebit is qui confirmādi partes obtinebit, ne per cōmunionem proprium explicet, neq; uim naturamq; rei declaret: ita tamen ut uicissim de re dicatur. Quod enim positū est non esse proprium, id proprium futurum est. ut si quis animalis propriū ponat hoc totum, quod uim habet sentiendi, is nec proprium communione explicabit, neq; tale quod uim naturamq; rei declaret, et tamē eiusmodi quod uicissim de re dicatur. Ita proprium erit animalis hoc totum quod uim habet sentiēdi. Proximus locus refutationis erit, si doceatur propriū non posse unā cum re cuius proprium ponitur cohærere: sed uel posterius, uel prius quā ipsum nomen rei conuenire. Sic enim aut nunquam, aut certè non semper proprium est futurū, id quod positum est esse proprium. Ut quia alicui

prius conuenit esse hominem, posterius autem ambulare  
 per forum, certè uolitare in foro aut nunquam, aut non  
 semper hominis est proprium. In confirmatione autem  
 huius loci usus erit, cum id quod proprium ponitur, unà  
 cum re semper aderit necessariò, neq; definitionis uim,  
 neq; differentia habebit. Sic enim proprium erit, quod  
 positum est non esse proprium: ut quia hoc totum, ani-  
 mal quod ad disciplinam cognitionemq; natum est, unà  
 cum homine existit necessariò, neq; differentia est, neq;  
 definitio, certè hominis proprium id ipsum futurum est.  
 Sequitur locus refutationis, cum eorundem, quia eadem  
 sint, non est idem proprium, non enim quod positum est  
 proprium esse, propriū erit: quod intelligi potest ex hoc  
 exemplo. Nam quia eius quod persequendum est, pro-  
 prium non est, uideri nonnullis bonum, ne eius quidem  
 quod expetendum est, proprium erit uideri nonnullis bo-  
 num. Idem enim ualent, quod persequendū est, & quod  
 expetendum. Is autem qui confirmabit, ex hoc loco argu-  
 mentum ducet, quando eiusdem rei, quia eadem sit, idem  
 proprium esse ponetur. Nam propriū erit, quod positum  
 est non esse propriū: ut hominis, quatenus est homo, pro-  
 prium dicitur, habere animum tripertitū: & mortalis,  
 quatenus mortalis est, tripertitum animum habere pro-  
 prium erit. Valet etiam hic locus in accidente, quoniam  
 iisdem, quatenus eadem sunt, eadē conuenire aut non con-  
 uenire debent. Coniunctus huic locus est in refutatione,  
 cum eorum quæ sunt eiusdem speciei, non ea ponuntur  
 propria, quæ etiam eadem sint speciei: non enim rei illius  
 id quod positum est, proprium erit. ut quoniam eiusdem  
 generis homo & equus habetur, neq; semper proprium  
 est

est equi à se stare, ne hominis quidē propriū erit à se semper moueri & agitari. Sunt enim eiusdē generis moueri & stare per se: quoniam utriq; eorum, quatenus animalia sunt, hæc conueniant. In confirmatione autem illud uidentum est, an eorum quæ sunt eiusdem generis, id proprium statuatur, quod semper ad idem genus referatur. erit enim proprium, quod nō esse proprium positum est. ut quoniam hominis proprium est, esse gradientem bipedem: uis etiam proprium erit, uolucrem esse bipedem, sunt enim hæc eiusdē generis omnia. Alia enim, ut species quæ sub eodē sunt genere, cum sint animali subiecta, alia uerò ut generis animalis differentia. Sed hic locus falsus est, cum alterū eorum quæ numerata erunt, uni alicui soli speciei conueniet, alterum pluribus, qualia sunt gradientis quadrupes. Quoniā autem idem & alterū multis modis dicuntur, difficile est si quis captionibus contrā disputare uelit, unius & solius alicuius rei explicare propriū. Quod enim conuenit alicui, cui quid accidit: etiam accidenti conueniet, si cum eo sumatur cui conuenit. ut quod inest in homine, etiam in albo homine, si modò sit albus, reperietur. Itemq; quod in albo homine inest, id etiam in homine inerit. Sed quispiam multa propria refellet, si subiectum aliud per se jaciatur aliud, si cum accidente coniunctum sit. ut si dicat aliud esse hominem, aliud album hominem: idem fiet, si aliud ponat habitum, aliud id quod ex habitu nominetur. ut enim quod in habitu inest, in eo etiā inest quod ab habitu appellatur: sic quod in eo quod ex habitu nominatur inest, etiam in habitu inest necesse est. ueluti quoniam artifex ab arte dicitur, non erit artis propriū non posse ratione diffusi: deri: quippe

quippe cum id etiam artifici cōueniat, qui nulla ratione de sententia deduci dimoueriq; possit. In confirmatione autem dicendum est, non esse aliud omnino id quod accidit, & aliud id ipsum cui accidit, si cum eo cōprehendatur quod accidit: sed ob eā causam aliud dici solere, quod eorum sit natura & ratio diuersa, quoniam aliud est hominem esse hominem, & aliud hominem album esse hominem album. Præterea ex casibus eruendum est quod contra huiusmodi captionem adferamus: scilicet, nō esse artificē, aliquid quod ratione mutari non possit, sed eum qui ratione dissuaderi non possit. nec artem & sciētiam esse id quod ratione sit immutabile, sed ipsam rationem esse immutabilem. Nam ei qui omni ratione contendit, omni etiam ratione occurrendum. In refutatione proximus locus erit, si quis uelit aliquid quod natura inest explicare, eoq; uerbo id ponat, ut id semper inesse declarēt. Sic enim fiet, ut iacere id et ruere quod positum est proprium uideatur. ut si quis hominis proprium dicat, esse bipedem, uult ille quidem exponere aliquid quod natura insitum est, sed oratione sua id quod semper insitum est, significat. ita non est futurum hominis proprium, bipedem esse: quandoquidem non omnis homo duos habet pedes. In confirmatione autem huius loci usus erit, si id quod natura insitum est, proprium statuere uelimus, idq; oratione nostra exponamus. Neq; enim propriū ex hac parte tolletur, aut corruet. ut si quis proprium hominis ponat hoc totum, animal ad disciplinam et cognitionem percipiendam natum: idq; significet oratione sua, natura illud esse insitum proprium, hac ex parte nunquam improbabitur hominis proprium esse id quod diximus.

Iam uerò in quibus est aliquid primū, & aliquid cui per  
 illud primum conuenire quippiam dicitur, difficile est  
 explicare proprium. nam si eius proprium dederit, quod  
 in alio aliquo intelligitur, etiam de primo uerè dicitur:  
 sin autem primi proprium ponat, etiam in illo quod in  
 alio intelligitur, reperietur. ut si quis extremitatis pro-  
 prium dicat colore infici, etiam colore infici in corpore  
 dicitur: quòd si in corpore, etiam in extremitate. Ita fiet,  
 ut non in quo oratio, nomen quoq; uerè dicatur. Sæpe au-  
 tem accidit ut in quibusdam proprijs explicandis peccet-  
 tur, propterea quòd nec quomodo, nec quorū proprium  
 ponant, explicent. Omnes enim enituntur proprium sta-  
 tuere id, quod aut natura insitum est, quale est hominis  
 bipes: aut quod hoc tempore cōuenit, ut hominis alicuius  
 quatuor habere digitos: aut specie, quemadmodum ignis  
 tenuissimis ex partibus constare: aut omnino & per se,  
 ut animalis uiuere: aut per aliud, ut animi, prudentia esse  
 præditum: aut quasi in quo primum aliquid inest, ut in  
 parte animi quæ rationis est particeps, prudentiæ esse  
 sedem: aut ex eo quod aliquid habet, quemadmodum ar-  
 tificis est proprium, ratione de sententia deduci non pos-  
 se. Neq; enim ex alia re quàm eo quod habet quicquam,  
 ratione de sententia deduci non potest. Aut etiam statui-  
 tur propriū ex eo quod aliquid habetur, sicuti proprium  
 est scientiæ ratione non posse mutari: aut ex eo quod ali-  
 quid cōmunicatur, quale proprium est animalis sentire:  
 nam & si aliquid aliud, ueluti homo, sentit, tamen iam  
 cum illo hoc comunicatur. aut ex eo quod communi-  
 cat, ut alicuius animalis uiuere. Si igitur non adiungatur  
 illud natura, certè in eo peccatur, propterea quòd fieri  
 potest,

potest, ut quod natura insitū est, ei non conueniat, cui natura conuenit: quemadmodū homini duos habere pedes. Peccat etiam qui se non explicat, propriū dare quod nunc sit propriū: propterea quod ex eo efficitur, quod est propriū rei, certo quodam tempore illi non conuenire: quale est, quatuor habere digitos hominē: si etiam non exponat se id propriū ponere quod primum, aut quod per aliud conueniat, non in quo oratio, etiā nomen uerē dicitur. ut si quis colore infectū esse, uel extremitatis uel corporis propriū exposuerit. Quod si non ante explicarit se id propriū dare, uel quia habeat ipsū, uel quia habeatur, certē id quod dedit non est futurum propriū. nam si ei propriū tribuit cui hoc ipso conuenit, quo ab aliquo habetur: etiam ei illud conuenire perspicitur, quod ex eo tale esse intelligitur, quia in se habet quippiā: & si ei qui habet, tribuat, ei etiam quod habetur, conueniet. quod fiet, si hoc totum, ratione non posse dissuaderi, scientiæ aut artificis propriū esse ponatur. Atq; etiam peccabit in explicādo proprio, qui non exposuerit se id statuere propriū, quod dat, uel ex eo quod participet, uel ex eo quod cōmunicetur, propterea quod isto pacto alijs quibusdā conueniet propriū. Nam si in eo statuat quod communicatur, cum ijs quæ participant conueniet: at si in eo quod participat, ijs quæ cōmunicantur. ut si quis alicuius animalis, aut animalis propriū ponat uiuere. Peccat etiam, qui uerbū illud, specie, non addit, eo quod uni soli eorū quæ illi subiecta sunt, cuius propriū statuitur, conueniet. Quod enim præstat & excelsit, id uni soli cōuenit, ut igni conuenit celeritas maxima. Fit etiam interdum, ut is aberret tradendo proprio, qui uerbū

uerbū

uerbū  
 quibus  
 addat  
 tingit,  
 ignis  
 flamm  
 autem  
 eius, qu  
 minus,  
 det: c  
 esse p  
 est, qu  
 magis  
 non er  
 tuisq; d  
 quod d  
 omni  
 libitū  
 mmino  
 men, si  
 rit, arg  
 quæstio  
 sed ut p  
 cuius q  
 In  
 ipius p  
 bit, qu  
 est quo  
 natur a

uerbum illud, specie, addidit. oportet enim earum rerum quibus proprium tribuitur, esse unam speciem, ut recte addatur hoc uerbum, specie: quod in nonnullis non contingit, quo ex genere ignis est. neque enim una est species ignis: quandoquidem species inter se differunt, pruna, flamma & lumen, quorum unum quodque ignis est. ob eam autem causam, cum speciei nomen adiungitur, alia species eius, quod dictum est, non debet esse: quia alijs magis, alijs minus, id quod proprium explicatum est, conuenire accidit: cuius generis est tenuissimum esse, si ignis proprium esse ponatur. nam & prunis & flamma lumen tenuius est, quod non debet accidere, quoties nomen non dicitur magis in eo, in quo oratio uerius dicitur. alioqui id uerum non erit, in quo sit magis oratio, etiam nomen magis potiusque dici. Præterea ita fiet, ut sit idem proprium, & illius quod omnino, & illius quod maxime inest, in eo quod omnino tale uel tale existit, qualem habet ratione subtilissimum corpus ad ignem. Nam & luminis & ignis omnino illud ipsum futurum proprium est: quippe cum lumen sit tenuissimum. Ac si quis isto pacto proprium statuerit, argumenta contra ducenda erunt. ei autem qui ponit questionem, uidentum est, ne his obiectionibus det locum: sed ut primum proprium posuerit, quemadmodum, & cuius generis proprium ponat, explicandum.

## CAPVT IIII.

In refutatione proximus erit locus, si quis aliquid sui ipsius proprium statuat: neque enim proprii uim obtinebit, quod positum est esse proprium. Quicquid enim idem est quod aliquid idem, id naturam explicat. quod autem naturam explicat, non est proprium, sed definitio. ut si quis  
**bonesti**

honesti proprium dicat esse decorum, is quia aliquid sut ipsius ponit proprium (honestum enim idem est quod decorum) certe non erit honesti decorum proprium. Huius autem loci usus erit in confirmatione, si aliquid sui ipsius non ponamus esse proprium, & tamen eiusmodi, quod uicissim dicatur. sic enim, quod proprium non esse statutum est, proprium uim & nomen obtinebit. quod fiet, si quis proprium animalis ponet hoc totum, natura animata: neque enim aliquid sui ipsius proprium esse ponit, cum interim uicissim dicatur. Ita proprium animalis erit, animata natura. Iam in ijs quæ ex similibus eiusdemque generis partibus constant, uidendum erit, in refutatione totiusne proprium in parte non uere intelligatur, an proprium partis in toto minime dicatur. quoniam non recte explicatum erit, quod positum est esse proprium. hoc enim in quibusdam solet contingere. fieri enim potest, ut ijs quispiam proprium tribuat, quæ ex sui similibus eiusdemque generis partibus constant, modo totius, modo partis habita ratione: quorum neutrum recte explicabit. Exemplum totius erit: si quis dicat maris proprium hoc totum, aqua plurima quæ salsa est. nam alicuius, quod ex sui similibus partibus concretum est, proprium ponit: sed eiusmodi, quod in parte non uere dicitur. quandoquidem certum quoddam mare non est aqua plurima salsa: ita maris proprium non erit hoc totum, plurima aqua quæ salsa est. Partis autem exemplum tale est: Si quis aeris proprium esse dicat, quod respirabile est, is alicuius quod ex sui similibus partibus constat, ponit proprium: sed eiusmodi, quod etsi de quodam aere uere dicitur, tamen de uniuerso non dicatur: quippe cum

pe cum non omnis aer sit respirabilis, quare spirabile aeris futurum non est proprium. In cōfirmatione autem ex hoc loco argumentum ducemus, si proprium quod dābimus, de unoquoque quod ex sui similibus constat, uerē dicitur: ita tamen, ut proprium sit eorum totius ratione. sic enim quod proprium non esse positum est, erit proprium. ut, quoniam in uniuersa terra uerē intelligitur in inferiorem locum ferri natura, certē proprium erit hoc ipsum alicuius terræ omnino, quia terra est. nā de terra, hoc ipso quod terra est, dicitur: ex quo efficitur, ut terræ sit proprium natura ferri ad inferiores partes. Ex contrarijs autem multa argumenta utranq; in partem elici possunt. Primum in refutatione ex contrarijs, quæ aduersa dicuntur, erit, quando contrarij non est cōtrarium proprium. neq; enim proprium contrarij contrarium futurum est, hoc modo: Si iusticia iniusticiæ contraria est, & optimo id quod est deterrimum: iusticiæ autem optimum non est proprium, non erit igitur iniusticiæ quod deterrimum est proprium. In confirmatione autem usus erit, quoties contrarij contrarium est proprium. sic enim fiet, ut contrarij proprium sit contrarium. exemplum tale est: Si malum bono cōtrarium est, id quod fugiendum est, ei quod est expetendum: est autem boni proprium, id quod expetendum est: profectō mali proprium erit id quod fugiendum est. Alter locus est ex ijs quæ cum alijs quo conferuntur. in refutatione quidem hoc modo tractabitur: Si quid eorum quæ cum aliquo conferuntur, alicuius eiusdem generis non est proprium, ne id quidem quod est in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ullius eiusdem generis proprium erit. quod ex hoc exemplo intel-

ligi licet: Si duplum simpli duplum dicitur, & id quod  
 uincit illius quod uincitur: id autem quod uincit non est  
 dupli proprium: certe simpli, id quod uincitur & supe-  
 ratur, non erit proprium. In confirmatione autem hoc  
 modo: Si illius quod cum aliquo confertur, aliquid eius-  
 dem generis propriū est, id etiam quod ex eo genere est;  
 alterius eiusdem generis erit proprium. cuius exemplum  
 est: Si duplum cum simpli confertur, unum cum duobus,  
 & duo cum uno: dupli autem propriū est, id quod duo-  
 rum habet rationem ad unum: profecto dupli propriū  
 sit, id quod unius ad duo rationē habet, necesse est. Pro-  
 ximus locus est ex priuantibus, qui in refutatione tracta-  
 bitur hoc modo: Si rei res nō est proprium, ne priuatio-  
 nis quidem proprium priuatio erit. Et si priuationis pri-  
 uatio nō est proprium, ne rei quidem res proprium erit.  
 ut si surditatis proprium non est, uacuitatem esse sensus:  
 (est enim id ceterorum sensuum commune) ne auditus  
 quidem sensum esse proprium uidebitur. In confirmatione  
 hoc modo: Si res rei proprium est, etiā priuationis pro-  
 prium erit priuatio: et si priuationis priuatio proprium  
 est, rei etiam res propriū erit. ut si aspectus proprium est  
 cernere, ex eo quod aspectum habemus: cecitatis etiam  
 propriū erit non cernere, quia aspectū non habeamus,  
 cum natura aptus nobis aspectus esse uideatur. Sequitur  
 locus ex aientibus & negantibus, qui in multas partes  
 distributus est. ac primi quidem, qui ex ijs quae dicuntur,  
 ducitur, in refutatione solū usus est, hoc modo: Si id quod  
 ait alterius est proprium, non erit eius proprium id quod  
 negat. Et si id quod negat eius proprium sit, id quod ait  
 non est illius futurū proprium. ut si animalis proprium  
 est,

est, id quod animatum est: nō erit animalis proprium, id quod nō est animatum. Alter est ex ijs quæ dicuntur, aut nō dicuntur: et ex ijs de quib. dicuntur, aut nō dicuntur: qui in refutatione tractabitur hoc modo: Si id quod ait, eius quod ait nō est proprium: ne id quidem quod negat, eius proprium est quod negat. Et hoc modo: Si id quod negat, eius proprium non est quod negat: ne id quidem quod ait, eius quod ait futurū est proprium. Cuius exemplum est tale: Si hominis proprium nō est animal, ne eius quidē quod non est homo proprium erit, id quod non est animal. uicissimq̄: Si eius rei quæ non est homo, ea nō uideatur propria quæ nō est ex genere animalū, ne hominis quidē animal propriū est futurum. In confirmatione autē huius loci tractatio est talis: Si eius quod ait, id quod ait est propriū: etiam eius quod negat, id quod negat erit propriū. Et si eius quod negat, id quod negat proprium est: etiā eius quod ait, id quod ait propriū erit. quod hoc exēplo illustrari potest: Si eius quod est nō animal, proprium est non uiuere: certē animalis uiuere erit propriū. contraq̄: Si uiuere animalis est proprium, certē eius etiam rei quæ est non animal, proprium erit non uiuere. Tertius locus est ex ijs quæ subijciuntur, cuius in refutatione tractatio erit talis: Si ea quæ statuta sunt esse propria, aientium sunt propria, non erunt eadem etiam negantium propria. Et si negatiuum expressa sint propria, aientium propria non erunt. Exemplum tale est: Si animalis proprium est quod animatum est, certē quod animatū est esse propriū eius quod est non animal nullo modo potest. In confirmatione autē hoc modo: Si ea quæ posita sunt esse propria, non sunt aientium, negantium erunt.

Quamquam hic locus interdum uitiosus est, & capti-  
 sus. Nam nec aientia negantium, nec negantia aientium  
 propria sunt. Aientia enim negantibus non conueniunt  
 omnino. Negantia autem aientibus illa quidem conue-  
 niunt, sed non ut propria. Sequitur locus ex diuisione,  
 cuius in refutatione tractatio talis est: Si eorum quæ in  
 diuisione enumerantur, nihil ullius reliquorum est pro-  
 prium, ne id quidē quod eius positum est esse proprium,  
 illius futurum est proprium. ut si animal quod sensum  
 mouet, nullius aliorum mortalium animantium est pro-  
 prium: ne id quidem animal quod intelligentia & rati-  
 one continetur, Dei proprium est. In confirmatione au-  
 tem hic locus nobis copiam ad argumentandum suppedi-  
 tabit, quoties quiduis reliquorū omnium quæ in diuisio-  
 ne enumerata sunt, sumetur proprium uniuscuiusq; eo-  
 rum quæ distributa sunt. Quod si est alicuius eorū pro-  
 prium quæ enumerata sunt in diuisione, etiam reliquum  
 proprium erit illius alterius cuius proprium non esse sta-  
 tuebatur. id quod ex hoc exemplo intelligi poterit: Si  
 prudentiæ proprium est per se uirtutem esse eius partis  
 animi quæ rationis est particeps, cæterarumq; uirtutum,  
 quarum singulæ hoc modo assumuntur: certē temperan-  
 tiæ proprium erit per se, naturaq; sua uirtutem esse eius  
 partis animi, in qua uoluptates uersantur. Sequitur lo-  
 cus ex similiter cadentibus, qui in refutatione hoc modo  
 tractabitur. Si casus alterius casus non est proprium, ne  
 id quidem quod similiter cadit, alterius proprium erit.  
 cuius exemplum est tale: Si eius quod iuste fit, non est  
 proprium præclare fieri, nec iusti id quod præclarum  
 est proprium erit. In confirmatione autem eius loci talis  
 est

est tractatio. Si id quod cadit alterius proprium est, etiã casus erit alterius proprium. ut si hominis proprium est hoc totum, gradiens bipes, etiam homini in datiuo conueniet gradienti bipedi. Non solum autem ex ijs quæ exposuimus à similiter cadentibus, sed etiam à contrarijs, quemadmodum in superioribus locis explicatum est, argumenta ducenda sunt, ac in reprehensione quidem hoc modo: Si contrarij casus non est proprium casui alicuius contrarij, ne contrarij quidem casus alterius casui contrarij futurum est proprium, cuius exemplum est tale: Si eius quod iuste fit, non est proprium probè fieri, certè eius quod iniuste fit, improbè fieri proprium non erit. In confirmatione autè ducetur hoc modo: Si cõtrarij casus alterius cõtrarij casui proprium statuitur, etiam cõtrarij casus alterius cõtrarij casui ponetur proprium. ut si boni proprium est optimum, mali quoq; id quod deterrimum est proprium erit. Sequitur locus à simili, cuius in reprehensione talis erit usus: Si similitum similia non sunt propria, nec similitum similia propria erunt. Si enim, exèpli gratia, architectus eandem habet rationem ad extruendam domum, quam medicus ad efficiendam et restituendam ualeitudinem: medici autem proprium non est efficere ualeitudinem, ne architecti quidè extruere domum proprium erit. In cõfirmatione autem hic locus hoc modo exponitur: Si similitum similia propria sunt, similitum quoque propria erunt similia. ut si medicus eandem habeat rationem ad efficiendam ualeitudinem, quam gymnasij præfectus ad efficiendam firmam constitutionem: & sit proprium præfecti gymnasiij uim habere ad efficiendam firmam corporis constitutionem, erit etiam

medici proprium esse effectorem valetudinis. Proximus  
 locus est eorum quæ habet eandem proportionem, cuius  
 tractatio est huiusmodi in refutatione: Si ea quæ eandem  
 habent proportionem, aliorum quæ eandem habent pro-  
 portionem non sunt propria: nec ea quæ eodem modo affe-  
 cta sunt, aliorum quæ eandem habent affectionem, propria  
 erunt. Et si quid eorum quæ eodem modo affecta sunt alterius  
 proprium est, id non erit proprium eius cuius proprium esse po-  
 nitur. ut si eodem modo prudentia affecta est ad honestum  
 & turpe, quod utriusque eorum est scientia: prudentiæ  
 autem proprium non est scientiam esse honesti, profectò non  
 erit proprium prudentiæ, rei turpis esse scientiam. Et si  
 prudentiæ proprium est honesti scientiam esse, eius certe  
 rei turpis scientiam esse non erit proprium. quando quid-  
 dem eiusdem multa esse propria non possunt. In confir-  
 matione autem huius loci nullus est usus: quippe cum id  
 quod eodem modo affectum est, unum cum multis compa-  
 retur. Proximus locus est ex ijs quæ ad naturam, origi-  
 nem, interitumque referuntur, qui in reprehensione tra-  
 ctabitur hoc modo: Si id quod ad naturam & statum  
 refertur, non est eius quod ad naturam & statum perti-  
 net proprium: ne id quidem quod ad interitum pertinet,  
 illius quod eiusdem est generis: nec quod ad ortum, ullius  
 eiusdem generis proprium erit. ut si, exempli causa, hominis  
 non est proprium, esse animal: non erit proprium huius  
 totius, hominem gigni, illud totum, animal fieri: nec hominis  
 interitus proprius est, interitus occasusque animantis. Bo-  
 demque modo sumenda argumenta sunt ex ortu conclu-  
 dendo statum & interitum, itemque ex interitu conclu-  
 dendo statum & ortum: quemadmodum paulo ante ex sta-

tu conclusus ortus & interitus est. In confirmatione autem hoc modo: Si id quod ad statum pertinet, est alicuius eiusdem generis proprium, eius etiam quod ad ortum pertinet, erit proprium id quod eiusdem est generis: & illius quod ad interitum, quod eiusdem generis esse ponitur. cuius exemplum tale est: Si hominis proprium est esse mortalem, etiam hominis ortus proprium erit nasci mortalem: & interitus hominis, mortalem interire. eodemque modo concludendus est ex ortu & interitu status & ortus, quemadmodum hic locus in refutatione expositus est. Sequitur locus ex forma rei propositæ. In refutatione quidem huius loci talis erit tractatio: Si formæ non conuenit, aut certe non ex ea parte qua id dicitur conuenire, cuius proprium datum est, quod proprium positum est, non erit proprium. ut si ipsi homini non conuenit quies, quia homo sit, sed quia idea, non erit proprium quiescere. In confirmatione autem locus est eiusmodi: Si quid speciei conuenit, idque ex hoc ipso conuenit, quia dicatur de eo ipso cuius ponitur non esse proprium, erit proprium id quod positum est non esse proprium. ut si conuenit ipsi animali, ex animo & corpore concretum esse, idque ei quia animal sit conuenit, certe animalis proprium erit ex animo & corpore constare.

## CAPVT V.

Sequitur locus comparationis ex maiore & minore, qui quadripartito distributus est, quorum primus in refutatione tractabitur hoc modo: Si quod elationem habet alterius eiusdem generis non est proprium, ne id quidem quod submissionem habet, ullius eiusdem generis proprium erit: nec quod minime habet alterius, nec quod maxime habet elationem alterius eiusdem generis, nec denique

id quod omnino dicitur ullius eiusdē generis. ut si, exempli causa, colore magis infectum esse, magis corporis nō est proprium, nec minus colore infectum esse, eius quod minus est corpus proprium erit, nec infectum esse colore corporis omnino. In confirmatione autem huius loci tractatio erit talis: Si id quod elationem habet, eiusdem generis alicuius proprium est: id etiam quod submissionem habet, alicuius eiusdem generis proprium erit. Item quē, id quod minimam habet submissionem, alterius eiusdem generis, & quod maximam habet elationem, alicuius eiusdem generis, & quod omnino dicitur, alicuius eiusdē generis sit proprium necesse est. cuius exemplum est eius modi. Si eius quod magis uiuit, magis sentire proprium est: etiam eius quod minus uiuit, id quod minus sentit: & eius rei quæ maximè uiuit, maximè sentire: & eius quod minimo beneficio uitæ utitur, minimè sentire: & eius quod omnino uiuit, omnino sentire proprium erit. Atque etiam ex eo quod omnino dicitur, argumenta ducenda sunt. In reprehensione quidem hoc modo: Si id quod omnino dicitur alterius eiusdem generis non est propriū, ne id quidem quod elationem habet eius quod est eiusdem generis, neque id quod submissionem habet alterius eiusdem generis, neque id quod maximā habet elationem alterius, neque id quod minimam habet submissionem alterius, erit proprium. quod ex hoc exemplo intelligi potest: Si hominis non est proprium, bonum esse, ne eius quidē qui hominis nomine magis aut potius appellatur, probiorem esse proprium erit. At in cōfirmatione argumentum ab hoc loco sic sumetur: Si id quod omnino dicitur eius quod est eiusdē generis proprium est, id etiam quod

quod  
rem  
habet  
signi  
prium  
loci  
conclu  
ne talis  
propri  
batur  
erit  
nis  
minis  
tracta  
aduoc  
terius  
nis h  
tura,  
cicur  
malis  
minore  
gis est  
prium  
etiā b  
prium  
non e  
si est e  
At uer  
præse  
Quar

quod maiorem elationem habet alterius, & quod minorem habet submissionem, quodq; minima ac maxima habet alterius eiusdem generis, proprium futurum est. ut si ignis proprium est sursum ferri natura, eius etiam proprium erit quod ignis potius dicitur, celerius in superiore locū suapte natura ferri. Eodemq; modo ex cæteris hæc concludenda sunt omnia. Alter locus est in reprehensione talis: Si quod magis proprium uideatur alicuius, non est proprium: ne id quidem quod minus proprium esse uidebatur, alterius proprium erit. Eius loci tale exemplum erit: Si animalis magis proprium est sentire, quam hominis scire: nec proprium est animalis sentire, non erit hominis scire proprium. In confirmatione autem hoc modo tractabitur: Si id cui illud minus additur, alterius cui id adiungitur est proprium: etiam id cui magis additur, alterius cui idem iungitur, est futurum proprium. ut si minus hominis proprium est, cicurem & humanum esse natura, quam animalis uiuere: hominis autem est proprium, cicurem esse suapte natura, & humanum: profecto animalis proprium erit uiuere. Tertius locus ex maiore & minore in reprehensione talis est: Si quid eius cuius magis est proprium, proprium non est, ne eius quidem proprium erit, cuius minus est proprium: & si illius est, non etiā huius erit. ut si colore infici, extremitatis magis proprium est, quam corporis, nec proprium est extremitatis: non erit proprium corporis omnino, colore infici. quod si est extremitatis proprium, non erit corporis proprium. At uerò in confirmatione huius loci nullus usus est: cum præsertim idem multorum proprium esse nullo modo possit. Quartus locus est in refutatione huiusmodi: Si quod ma-

gis proprium uidetur alicuius, id non est eius proprium; ne id quidem proprium erit, quod minus proprium eius uidetur. Cuius exemplum tale est: Si animalis magis proprium est sensu percipi, quam secari in partes: & animalis non est proprium sensu percipi: nõ erit animalis proprium, in partes secari. In confirmatione autem tractabitur hoc modo: Si quod minus proprium est alicuius, id eius proprium est: certè quod magis proprium est, eius erit proprium. ut si minus est proprium animalis sentire, quam uiuere: & animalis sentire est proprium, profecto animalis proprium erit uiuere. Deinceps sequitur locus à partibus, cuius loci tractatio in refutatione hæc prima erit: Si quod æquè est proprium, non est proprium alicuius cuius æquè proprium est: ne id quidem quod æquè proprium est, eius erit proprium cuius æquè proprium est. ut si æquè proprium est partis animi in qua uoluptates uersantur, appetere, ac eius quæ rationis est particeps, ratiocinari: & eius partis in qua uoluptates uersantur, non est proprium appetere: non erit etiam ratiocinari, eius quæ rationis est particeps proprium. In cõfirmatione autem huius loci tractatio erit eiusmodi: Si id quod æquè proprium est, eius est proprium cuius æquè proprium est: erit etiam quod æquè proprium est, eius proprium cuius æquè proprium est. cuius exemplum tale est: Si æquè proprium est partis animi quæ rationis est compos, primam esse sedem sapientiæ, atq; eius in qua uoluptates habitât, primam esse sedem temperatiæ: & partis eius quæ compos est rationis, primam esse sedem sapientiæ proprium est: illius etiam in qua uoluptates habitât, proprium erit primam sedem esse temperantiæ. Alter locus in reprehensione

hensione talis est: Si quod pari ratione alicuius est pro-  
 prium, non est proprium eius: quod æque proprium est,  
 id nõ erit, eiusdem propriũ. ut si cernere æque proprium  
 est hominis, ac audire: hominis autem non est proprium  
 cernere, non erit etiam audire hominis proprium. In con-  
 firmatione autem talis usus erit: Si quod pari ratione ali-  
 cuius est proprium, id eius proprium est, etiam id quod  
 æque proprium, eius erit proprium. ut si æque proprium  
 est animi, eius partem ualere ad appetendum, ac posse ra-  
 tiocinari proprium: animi autem proprium est, eius partem  
 esse quæ primum appetat: animi etiam proprium erit,  
 partem eius primum posse ratiocinari. Tertius locus est  
 in reprehensione eiusmodi: Si quid non est propriũ eius  
 cuius æque proprium est, non erit propriũ eius cuius pari  
 ratione est proprium: & si illius est proprium, alterius  
 proprium non erit. Quod hoc exemplo illustrandum est:  
 Si, exempli causa, incendere æque proprium est flammæ  
 atque prunarum, & flammæ incēdere non est proprium,  
 non erit prunarum proprium incēdere: quod si flammæ  
 propriũ est, non erit prunarum proprium. Huius autem  
 loci nullus usus est in confirmatione. Interest autem inter  
 locum à similibus & à paribus, quod ille ex proportio-  
 ne sumitur, non ex eo quod unum quodam modo alteri  
 attribuitur: hic autem ex eo quod inest unum alteri cer-  
 to quodam modo, uim habet. Deinceps locus in refuta-  
 tione tractatur, si quis ex ui propriũ statuet, propriumque  
 ui ad id quod non est accommodabit, nec uis poterit rei  
 quæ non est conuenire, non erit proprium quod positum  
 est proprium esse. ut si quis dicat, aeris propriũ esse in spi-  
 rabilem esse, ex ui proprium statuit, quādoquidem illud  
 proprium

proprium respirabile, quod respirari potest, significat,  
 atq; etiam proprium statuit rei quæ nulla est: si quidem  
 sublato animali, quod respirare aerem solet, aer esse po-  
 test. nec tamen si nullum sit animal, fieri potest ut quid  
 respiret: ita fit, ut aeris non sit futurum proprium eius/ mo-  
 di, quod respirari potest, tum cum animal nullum erit tale  
 quod respiret: quare aeris proprium non erit spirabilem  
 esse. At in confirmatione huius loci usus erit, quando ex  
 ui proprium explicabimus, quod aut ad id quod est, aut  
 ad id quod non est, refertur: sed ita, ut uis ipsa rei quæ nul-  
 la est, possit conuenire. sic enim proprium erit id quod posi-  
 tum est non esse proprium, ut si quis eius quod est, proprium  
 ponat posse pati uel facere, is ex ui proprium expressit,  
 idq; ad id quod est accommodauit. Quandiu enim aliquid  
 est, id & pati aliquid & facere potest: ita eius quod est,  
 proprium erit posse pati uel facere. Extremus locus refuta-  
 tionis erit, quando ex præstantia & excellentia proprium  
 exponitur, proprium non est quod positum est esse proprium.  
 ij enim qui hoc pacto proprium statuunt, faciunt ut in quo-  
 oratio, in eo non etiam nomen uere dicatur: sublata enim  
 re, tamen stabit oratio, quippe cum alicui earum rerum  
 quæ sunt conueniat maxime, ut si quis ignis proprium di-  
 cat esse hoc totum, corpus leuissimum, igne sublato erit  
 corpus aliquod leuissimum. non est igitur ignis proprium  
 hoc totum, corpus leuissimum. In confirmatione autem, ne  
 præstantia statuamus proprium prouidendum est. ex ea  
 enim parte recte ponetur proprium: ut si quis hominis  
 proprium ponat hoc totum, animal natura cicur & hu-  
 manum, is quoniam non explicauit proprium ex præstan-  
 tia, ex ea parte proprium recte statuit.



re dici  
 genere  
 definiti  
 tiam ad  
 ne collo  
 genus d  
 oration  
 modum  
 Et fin  
 catam  
 non au  
 uere dici  
 conclud  
 unum e  
 mus: cu  
 uenire,  
 faterem  
 est, aut  
 cis gene  
 autem r  
 tate defi

TOPICORVM LI-  
ber Sextus.

## CAPVT I.



**L**N tractatione autem locorum defini-  
tionis, quinq; ad reprehendendum nobis  
proponere debemus. Primum, omnino  
non uere dici, de quo nomen, etiam ora-  
tionem. debet enim in omni homine ue-  
re dici hominis definitio. Alterum, non esse positum pro  
genere, aut pro accommodato genere, id genus quod est in  
definitione. nam qui definit rem, debet ad genus differen-  
tiam adiungere: cum presertim eorum quae in definitio-  
ne collocantur, rei quae definiendo explicatur, naturam  
genus declarat maxime. Tertium, non esse propriam  
orationem, quonia debet propria esse definitio, quemad-  
modum supra dixi. Quartum, ut omnia quae dixi perfe-  
cta sint, non tamen rem definitam esse, nec eius uim expli-  
catam. Postremum est uitium, si tu quidem definiueris,  
non autem recte. Ac si de quo nomen, non etiam oratio  
uere dicitur, ex locis accidentis ad id demonstrandum et  
concludendum argumenta ducenda erunt. Illic enim hoc  
unum egimus, ut uerene an falso diceretur, cognoscere  
mus: cum presertim quando differebamus accidens con-  
uenire, uere dici: quando non conuenire, non uere dici,  
fateremur. Non esse autem aptum genus id quod positum  
est, aut non esse propriam orationem quae data est, ex lo-  
cis generis & proprii qui sunt expositi, docebimus. quod  
autem reliquum est, non esse definitam rem, aut non re-  
cte definitam, quemadmodum intelligemus, meditamus  
digere.

dicere. Primum quidem, an minus apte res definita sit, videndum est, quando quidem facilius est facere aliquid, quam recte facere. ex quo perspicuum est, sapius in hoc ipso peccari, quando quidem difficilius est. ita argumeta facilius in hoc quam in illo genere suppetent. Sunt autem duae partes eius rei quae non apte definita est. Vna, si dubia & obscura interpretatione utamur. debet enim is qui rem definit, quam potest apertissima interpretatio-  
 ne uti: quando quidem cognoscenda rei causa traditur definitio. Altera est, si aliquid amplius quam necesse erat, in definitione posuerit: sic enim superuacaneum erit, quicquid amplius adiectum erit in ea definitione. Rursum utrumque eorum quae exposita sunt, in plures partes distributum est. ac primus quidem locus ad probandum definitionem esse obscuram, erit, cum aliquod uerbum quod in definitione continetur, ambiguum erit: ut si quis definiat ortum motum ad naturam ferentem, aut ualetudinem esse aptam caloris & frigoris temperationem & moderationem. est enim ut motus, sic moderationis ambiguum uerbum: ita dubium erit, utrum uelit significare eorum quae explicata sunt & declarata, eo uerbo quod multis modis dicitur. Quod idem continget, quoties res quae definitur multis modis dicitur, neque explicatur. sic enim incertum erit, utrius definitionem explicauerit: inciduntque tum cauillationes, quasi non ad omnia quae definiendo explicata sunt, accommodetur definitio. idque tum incidet maxime, cum obscura est & latens ambiguitas. Atque etiam ratiocinatio confici potest, diuisione adhibita, quot modis dicatur id quod in definitione concluditur. Si enim satis explicatum non sit ulla significatione earum quibus id dicitur, profecto

profecto eo modo res recte explicata non erit. Proximus  
 locus est, quando per translationem definitio explicatur.  
 ut si quis scientiam definiens immutabile esse dicat, et quæ  
 nunquam decidat, aut terram altricem, aut temperantiam  
 concentum. Est enim obscurum, quicquid per translatio-  
 nem dicitur. Calumniari etiam poterimus aduersus eum  
 qui translatione usus erit, quod non proprio uerbo sit u-  
 sus. quandoquidem non poterit rei quæ definitur accom-  
 modari definitio, quod in temperantia contingit: quando-  
 quidem in sonis omnis concentus cernitur. præterea si con-  
 centus genus sit temperantia, idem in duobus generibus erit,  
 quorum neutrum alterum continet: neque enim concentus uir-  
 tutem continet, nec uirtus concentum. Deinceps locus sequi-  
 tur, quando aliquis in definiendo uerbis inusitatis utitur,  
 id quod Plato fecit, qui oculum *ὀφθαλμὸν*, id est cilij un-  
 bram definiuit: *ὀφθαλμὸν* araneam *ἀράχνης*, id est, ut ita di-  
 cam, putrimordacem: aut si quis medullam ossium procrea-  
 tricem dicat: quicquid enim inusitatum est, id obscurum  
 est. Sunt etiam nonnulla quæ nec per ambiguitatem, nec  
 per translationem, nec proprie dicuntur. ut si lex definita  
 tur esse, modus uel imago eorum quæ natura iusta sunt.  
 quæ omnia translatione deteriora sunt. translatio enim  
 illustrat declaratque: quodammodo propter similitudinem,  
 id quod significatur: quippe cum omnes qui transferunt  
 uerba, ea propter quandam similitudinem transferant. At  
 uerò illud tale nullo modo re illustrat, quandoquidem simi-  
 litudo nulla reperitur, propter quam lex, modus, aut simu-  
 lachrum dicatur: nec id proprie dici solet. ita si modum pro-  
 prie aut simulachra legem dicant esse, metiuntur: est enim  
 simulachrum id, cuius origo ab imitatione profecta est,

quod

quod in lege non reperitur. Quod si improprie id dicat, certe obscure loquuntur, atq; deterius quam ea quæ per translationem dicuntur. Locus alius erit, quando contrarij definitio ex ea quæ data est, non intelligetur. Quæ enim recte definitiones constituuntur, etiam contrarias significant atq; declarant. Aut quando per se prolata, non perspicuum erit cuius sit definitio: sed simile aliquid usaueniet, quod in ueterum pictorum operibus, quæ quidem nisi quis superscripsisset, nunquam cognosci intelligiq; potuissent, ac ex ijs quidem locis, ad probandum non esse definitionem dilucidam, argumenta ducuntur. Quando autem abundans dabitur, & constituetur definitio: primum uidendum erit, an uerbum aliquod adhibitum sit eiusmodi, quod cõueniat omnibus rebus, aut quæ sunt omnino in rerum natura, aut quæ subiectæ sunt generi eidem rerum quæ definiuntur. Sic enim, ut in definitione aliquid redudet, necesse est. Nam & genus à cæteris, & differentia ab aliquo eorum quæ sunt in eodem genere, debet rem quæ definitur seiungere. Atqui quod rebus omnibus conuenit omnino, à nulla separat: & quod omnibus quæ subiectæ sunt eidem generi conuenit, ab ijs quæ sunt in eodem genere non secernit: ita superuacaneum est tale illud quod adiectum est. Alius locus erit, quando id quod adiectum est, est proprium: quo sublato, & reliqua ratio propria est, & naturam rei explicat. quale est in hominis definitione hoc totum quod adicitur, natum ad disciplinam. eo enim sublato, propria est definitio, naturamq; rei indicat: atq; ut uno uerbo complectar omnia, id omne superuacaneum est & redundans, quo sublato, quod reliquum est planam facit rem eam quæ definiuntur.

nitur. qualis est, etiam animi definitio. siquidem numerus  
 sit se ipse mouens, & agitans. est enim animus id quod  
 se ipsum mouet, quemadmodum Plato definiuit: nisi for-  
 te proprium est illud quidem quod expositum est, sed nu-  
 mero sublato, rei uim naturamque non declarat. quorum  
 utrum uerius sit, difficile est explicare. In his autem om-  
 nibus quantū utilitatis ratio postulat, uidendū est. Qua-  
 lis est pituitæ definitio illa, humor primus ex cibo inco-  
 ctus. unius enim primus humor est, non multi. ita redun-  
 dat illud, incoctus. quandoquidem sublato illo, propria  
 reliqua est futura definitio. Fieri enim non potest, ut ali-  
 quid ex cibo unum atque alterum primū decidat: nisi for-  
 te pituita non est id omnino quod ex cibo primū decidit,  
 sed primū est eorum quæ non sunt concocta, ut illud non  
 concoctum addendum esse uideatur. nam si illo modo de-  
 catur, non uera erit definitio: siquidem non est primum  
 omnium. Proximus locus erit, quoties aliquid eorum quæ  
 in definitione continentur, non omnibus ijs quæ sunt sub  
 eadem specie conuenit. qualis definitio deterius et absur-  
 dius explicata est ijs omnibus, in quibus aliquid adhibe-  
 tur, quod omnibus naturis conuenit. illo enim modo si reli-  
 qua propria erat definitio, & tota propria erit. quādo-  
 quidē si ad proprium, aliquid quod uerum est addatur,  
 omnino propria est tota oratio. At si quid eorum quæ in  
 definitione collocata sunt, non omnib. conueniat ijs quæ  
 eidem speciei subiiciuntur, tota esse oratio propria nullo  
 modo potest: neque enim de re uicissim dicitur. cuius gene-  
 ris est hoc totū, animal gradiēs bipes quatuor cubitorū  
 neque enim eiusmodi definitio de re uicissim dicitur, pro-  
 pterea quod nō omnib. ijs quæ eidē speciei subiiciuntur,

K magni-

magnitudo quatuor cubitorum conuenit. Illud etiam ad-  
dendū erit, an uerbum idem iteratum est: ut si quis cupi-  
ditatem definiat, uoluptatis & delectationis appetitio-  
nem. omnis. n. cupiditas est uoluptatis: quare illud etiam  
quod idem est cum cupiditate, uoluptatis erit. Definitio-  
ni igitur cupiditatis cōueniet, esse appetitionem uolupta-  
tis: nihil enim interest, cupiditatē dicas, an appetitionem  
uoluptatis. Itaq; esse uoluptatis de utroq; dicitur: nisi for-  
tē hoc alienum uideri non potest. homo enim cum bipes  
sit, certē bipes erit id quod idem est quod homo. est autē  
idem quod homo, animal gradens bipes: ita animal gra-  
dens bipes, bipes est. Sed non ex hoc alienum quicquam  
& incommodum efficitur: quando quidem de animante  
qui gradiens est solo, ac per se sumpto, bipes non dicitur  
bis. sic enim bis de eodem bipes diceretur: cum autem de  
animante gradiente bipede nomē bipedis dicatur, semel  
tantummodō bipes dicitur. Eadem est ratio cupiditatis,  
propterea quōd non de appetitione dicitur illud esse de-  
lectationis, sed de tota oratione. ita fit, ut semel etiā hoc  
loco ratio dicēdi exprimat. Atqui iterare idem uerbū  
non est incommodum: sed illud demum incommodum est,  
sape idem de aliqua re dicere. quod Xenocrati usuenit,  
qui sapientiam ait esse definitionem & cognitionē natu-  
rarum, quippe cum definitio quaedam sit cognitio: ita bis  
idem dixit, adiecto uerbo cognitionis. In eodem errore  
uersantur ij qui refrigerationē, caloris naturalis priua-  
tionē esse definiūt. nam cum eius quod insitum est, omnis  
sit priuatio, superuacaneum est nomen naturalis addere,  
satisq; erat addere caloris priuationem: quando quidem  
ex ipso nomine priuationis, rei naturalis esse intelligitur.

Rursus

Rurſus uidendum eſt, an ad id quod omnino dicitur, ali-  
 quid etiam quod in parte ſit, adiungatur. ut ſi quis æqui-  
 tatem definiat, imminutionem rerum utilium atq; iuſta-  
 rum. cum enim quod iuſtum eſt, etiam utile ſit quiddam,  
 proſectò in rebus utilibus continetur. ita illud rerum iu-  
 ſtarum redundat: quia poſito eo quod omnino & in to-  
 tum dicitur, id adiectũ ſit quod eſt in parte. Quod idem  
 fiet, ſi medicinã aliquis definiat, ſciẽtiã rerum ſalubriũ  
 animali & homini: aut legem, imaginẽ eorum quæ na-  
 tura & ui ſua bona ſunt & iuſta. Nam quoniã quod iu-  
 ſtum eſt, quædam pars eſt boni, is qui ita definit, ſæpe idẽ  
 dicit. Ac utrum rectẽ necne definitio explicata ſit, ex his  
 locis & alijs eiꝰdem generis intelligemus. Ad proban-  
 dum autem naturam rei explicatã eſſe, aut non eſſe defi-  
 niendo, ex ijs quos deinceps exponemus, argumenta ſu-  
 mentur. Primum uidebimus, num priorib; et magis per-  
 ſpicuis uerbis expoſita ſit definitio. Definitio enim rei  
 cognoscẽdæ gratia traditur. Et rem cognoscimus non ex  
 rebus & uerbis quibuslibet, ſed ex prioribus & magis  
 perſpicuis: quemadmodum in demonſtrationibus con-  
 tingit. ea enim uis eſt omnis doctrinæ & diſciplinæ. Ex  
 quo perſpicuum eſt, eum non explicare rem definiendo.  
 qui non rebus eiꝰdem generis rem illuſtret & aperiat de-  
 finitione. Si enim rem definiuit, certẽ multæ erunt eiꝰ-  
 dem rei definitiones: quippe cum perſpicuũ ſit, eum qui  
 rebus magis perſpicuis & notioribus definiẽrit, aptius  
 & commodius rem definiendo explicaffe. ita eiꝰdem  
 rei utraq; definitio erit propria: quod non ita eſt. Sua  
 enim cuiuſq; rei una eſt uis atq; natura. Itaq; ſi multæ e-  
 iꝰdem rei definitiones erunt, uis & natura rei eiꝰs quæ  
 definitur,

definitur, erit eadem, quæ utraq; definitione declaratur. Atqui & natura non sunt eadem, quando quidem aliæ & diuersæ sunt definitiones. Perspicuum est igitur, eum non definiuisse rem, qui non magis perspicuis neq; notioribus rebus definiuerit.

## CAPVT II.

Ad probandum igitur, non esse explicatam definitionem magis perspicuis rebus, duplex locus suppetet. Nam aut uidebimus, an ex magis dubijs omnino & ignotis, aut an nobis magis ignotis & dubijs, exposita sit res definiendo. quoniã utroq; modo id fieri potest. Quod enim prius est, id eo quod posterius est, notius est omnino. ut punctũ lineæ, & lineæ plano, planũ solidò: quemadmodum unio numero notior est, quoniam prior, initiumq; est omnis numeri: itemq; elementum syllaba. At uerò in nostra cognitione contrã interdum contingit. nam & quod solidũ est, magis sub sensum cadit, quàm quod planum est: & quod planum est, magis quàm lineæ: & lineæ, quàm punctum: quippe cum hæc plerisq; nota sint omnia. Hæc enim cuiusuis, illa subtilis & ociosi ingenij est discere. Et quanquam præstat omnino eniti, ut posteriores res ex prioribus intelligamus & cognoscamus: (habet enim id maiorem uim ad scientiam) tamen apud eos qui rem ex talibus nõ possunt cognoscere, necesse est profectò rem definiendo aperire ijs rebus quæ illis notæ sunt & perspicuæ. cuius generis sunt & puncti, & lineæ, & plani definitiones. omnes enim res antiquiores, posterioribus explicat: ut lineæ punctum, plani lineam, solidi planum extremum esse definiunt. Sed tamen illud intelligendum est, eos qui ita definiunt, uim & naturam

rei quæ definitur, explicare non posse. Nisi forte idem sit  
 & nobis notius, & omnino, siquidē omnes qui rectē rē  
 definiunt, genere differentiisq; definire debent, quæ in  
 ijs sunt rebus quæ omnino et per se notiores sunt, & ma  
 gis perspicuæ, quàm forma, quippe cū sublato genere,  
 sublata differentia, forma tollatur. Ex quo fit, ut specie  
 priora sint, et antiquiora. Atq; etiam notiora esse ex hoc  
 intelligi potest, quod cognita specie genus & differen  
 tiam cognosci necesse est. qui enim hominem nouit, etiā  
 animal et bipes nouit. at cognito genere, aut cognita dif  
 ferentia, nō necesse est speciem esse cognitam, ita species  
 minus nota & perspicua est. Iā uerò ita fiet, ut ij qui des  
 finitiones eiusmodi ueras esse confirmant, quæ ex ijs con  
 stant quæ cuiq; perspicua sunt & nota, multis eiusdem  
 rei definitiones esse fateatur. Nam quoniā aliq; alijs, nec  
 eadē omnibus notiora sunt, una cuiq; & alia assignāda  
 erit definitio: siquidem definitio ex ijs quæ cuiq; planio  
 ra sunt, & notiora, constitui debet. Præterea eidem alia  
 aliās magis aperta uidentur. nam à primo ortu, ea quæ  
 sub sensum cadunt: ubi autem acriori sunt iudicio, cōtrā.  
 Ita ne eidem quidem semper eandem definitionem dare  
 debent ij, qui definitionem rebus, quæ cuiq; magis per  
 spicuæ sint, tractari uolunt. Ex quo perspicuum est, non  
 ijs talibus, sed ijs quæ omnino clariora sunt, rem esse defi  
 niendam: quippe cum ita demum una & eadem semper  
 sit futura definitio. Ac fortasse quod omnino & ui sua  
 notum est, nō omnibus perspicuum est, sed ijs demum qui  
 bene animo constituti sunt. quemadmodū id etiam quod  
 omnino salubre est, ijs salubre est quorū bene affectū est  
 corpus. Tractari ergo hæc debēt omnia accurate et sub  
 tiliter;

tiliter: adhiberi aut in disputationibus pro rerū usu. Sed consensu omnium euertere definitio tum potest facillime, cum nec omnino perspicuis & notis, nec ijs quæ nobis nota sunt explicabitur. Ac una quidē ratione ita intelligetur non esse perspicuis traditam & apertam definitionem, si posterioribus (quemadmodū supra dixi) priora declarabuntur. Alia autē ratione, si eius rei quæ stabilis & certa est, incertis & mutabilibus nobis statuetur definitio: quippe cū prius sit & clarius quod stabile & certū est, quam quod incertum & mutabile. Ad probandū autem non constare ex prioribus definitionē, tribus ex locis argumenta sumentur. Primus erit, si contrarijs cōtrarium definiēdo aperietur. ut, si bonū malo definiatur: simul enim naturæ ordine sunt cōtraria, & quibusdam eadem ars in utroq; uersari uidetur. ex quo fit, ut alterum altero nō sit notius. Sed tamē illud ignorare nō debemus, quædam esse quæ aliter definiri non possint: cuius generis est duplum, quod sine simplo definiri non potest: itemq; omnia quæ per se cum aliquo conferuntur. nam cum eorum omnium uis & natura idem ualeat, quod ad aliquid quodammodo affectum esse, profectō utrunq; sine altero cognosci non potest, ut necesse sit alterum in alterius definitione contineri. Ac sunt cognoscenda illa quidem eius generis omnia, eisq; in his (ut res feret) ita utendum est. Alter locus nobis argumenta suppeditabit, quando in definitione aliquid adhibetur quod idem ualeat quod res quæ definitur: id quod obscurum est tum, cum non eodem uerbo utuntur, quod est rei quæ definitur. ut si solem, astrum die perspicuum definiant: qui enim diei uocabulo utitur, etiam solis utitur. Ut autem hæc manifestō deprehendantur,

bendantur, pro nomine definitio sumenda est, hoc modo : Dies est solis motus super terram . sic enim perspicuum erit, eum qui motus solis super terram dixerit, etiam solem nominasse : ut solis nomine usus sit, qui diei usus fuerit. Alter locus est, quando eo quod in eadem diuisione numeratur, alterum eiusdem generis definitur : ut si quis imparem numerum definiat, qui parem uno uincit. Sunt enim simul ordine naturæ ea, quæ ex eodem genere distirbuuntur in partes : cuiusmodi sunt impar & par, quæ numeri sunt differentia. Quod item fiet, si superiora inferioribus definiendo aperiantur. ut si par numerus definiatur esse qui bifariam diuiditur, aut bonum habitus uirtutis. nam & bifariâ à duobus quæ sunt paria ductum est, & uirtus quædam est pars bonorum : ita hæc illis subiecta sunt. necesse est etiam, cum qui eo quod infrâ est utatur, etiam superiore uti : cum præsertim qui uirtutis nomen usurpat, boni etiam nomen usurpet. quando quidem uirtus in numero bonorum habetur. Itemq; is qui bifariam dicat, pari utitur : quoniam illud bifariam, aliquid in duas partes distributum declarat, et duo paria sunt. Atq; hic quidem locus unus est, ut generatim dicam, ex quo ad docendum definitionem non prioribus & magis perspicuis esse illustratâ, argumenta ducuntur. cuius partes erunt superiores. Secundus locus erit, quando res quæ definitur ex aliquo est genere, neque in genere ponitur. qui error in his omnibus uersatur, in quibus non ponitur genus definitionis. ut si quis corpus definiat, id quod habet tres dimensiones : aut hominem, id quod ratione numerorum tenet : is nõ dicit quid est quod habet tres dimensiones, quæ est magnitudo, & quid

est quod scit numerare, quod est animal. Genus autem quid res sit declarat, & primum eorum quæ in definitione dicuntur collocatur. Idem fiet, si res quæ definitur in multis dicatur, neq; ad omnia pertineat definitio. ut si quis grāmaticam definiat, artem esse scribendi id quod dicitur & profertur. deest enim & legēdi: quando quidem non potius scribendi, quàm legēdi eā artē tradidit is, qui eam definiuit. ut non qui alterū, sed qui utrunq; dixerit, definisse uideatur: siquidē eiusdem rei multæ definitiones esse non possunt. Ac in nonnullis quidē hoc uerē dicitur quod expositum est, in quibusdā uerò non item: cuius generis ea sunt omnia, in quorum utroq; non per se res quæ definitur cernitur. quemadmodum medicina in morbo & in ualitudine uersatur, quorum in ualitudine ui sua & per se, in morbo temerē et casu cernitur: præsertim cum omnino alienum sit à medicina, morbū efficere atq; generare. Ita non uerius medicinā definiendo aperit is qui utrumq; cōplexus est, quàm is qui alterū, imò uerò deterius: quando quidem quiuis alius morbum efficere potest. Proximus locus erit, quando non ad id quod præstantius est, sed ad id quod deterius, res quæ definitur accommodatur, cum plura sint, in quibus uis eius intelligatur. Omnis enim ars, uisq; omnis, ad id quod continet præstantissimum omnium referri uidetur. Rursus, si res quæ definitur in proprio & accommodato genere nō collocetur, argumenta ex his locis generis quos suprā exposuimus, ducentur. Iam si quis superiora genera definiēdo dicat, non rectē definit: ut si quis iusticiam definiat esse habitum efficientē æquabilitatis, aut habitum qui suum cuique tribuit: is enim ita definiendo uirtutem transilit, quoniam;

quoniam igitur iusticia genus prætermittit, uim eius &  
 naturam nõ explicat: quippe cum cuiusq; rei uis sit cum  
 genere coniuncta. Hic autem locus idem ualct quod ille:  
 Non in proximo genere aliquid collocare. Qui enim in  
 proximo genere numerarit aliquid, is superiora dixit om-  
 nia; quandoquidem in inferioribus ea quæ suprâ sunt,  
 intelliguntur. Quo circa aut proximum genus in defini-  
 tione usurpandum est, aut generi quod suprâ est, adiun-  
 gendæ sunt differentiæ omnes, quibus uicinum genus de-  
 finiatur. Sic enim nihil prætermittetur, exprimeturq; o-  
 ratione inferius genus pro nomine. At qui superius ge-  
 nus solum dixerit, non etiam inferius explicat. ueluti, qui  
 plantam dicit, non etiam arborem declarat. Rursum in  
 differentijs eodẽ modo uidendum est, an generis differen- C2  
 tias definiendo explicarit. nam si rem aliquam non suis  
 proprijs differentijs definiuerit, aut etiam aliquid dixerit  
 eius/modi, quod nullus rei differentia esse possit, ut ani-  
 mal, ut substantiam: is rem non definiuerit. Atq; etiam  
 illud uidendum est, sit ne aliquid quod diuisum quasi ex  
 altera parte differentia quæ proposita sit, respondeat. si  
 enim non sit, profectò quæ data est, non erit generis dif-  
 ferentia; quandoquidem in differentijs, quæ diuiduntur  
 ex contrarijs partibus, genera omnia tribuuntur: ut ani-  
 mal in terrenum & pennigerum, in aquatile & bipes.  
 Aut si est differentia qua ex altera parte genus diuidatur,  
 nec de genere uerè dicatur, perspicuum est neutram ge-  
 neris esse differentiam, præsertim cum omnes differentia  
 in quas genus tribuitur, de proprio & suo genere uerè  
 dicantur. Itemq; si uerè illa quidem dicatur, neq; adiecta  
 generi speciem efficiat, profectò non erit generis hæc  
 talis,

talis. speciei procreatrix differentia: quippe cum speciei  
 effectrix differentia speciem procreat, si cum genere  
 iungatur. Quod si hæc in differentijs non numeretur,  
 nec ea quidem quæ prolata est: quandoquidem in banc  
 etiam genus diuisum est. Illud etiam considerandum est,  
 an in negationem genus sit distributum. Quod ij faciūt,  
 qui lineam definiunt longitudinem esse latitudine caren-  
 tem. nam cum nihil aliud indicet, nisi quod non habet la-  
 titudinem, ita fiet, ut genus definitionis formæ sit parti-  
 ceptus. quandoquidem longitudo omnis aut caret latitudi-  
 ne, aut habet latitudinem: & de rebus omnibus ut aien-  
 tia aut negantia uerè dicuntur. ita longitudo cum linea  
 genus sit, aut non habebit, aut habebit latitudinem. At  
 qui longitudo non habens latitudinem, speciei ratio est,  
 itemq; habens latitudinem, præsertim cum quod latitu-  
 dinis expertus est, & particeps, sint differentia: ex diffe-  
 rentia autem ac genere speciei constat ratio & defini-  
 tio: ita genus sibi formæ definitionem uendicabit. itemq;  
 differentia, quandoquidem altera differentiarum quas  
 exposuimus, de genere dicitur necessario. Hic autem lo-  
 cus ualet contra eos, qui ponunt ideas esse. Si enim non  
 est ipsa longitudo, quonam tandem pacto de genere di-  
 ceatur, quod aut latitudine caret, aut latitudinis est parti-  
 ceptus? Debet enim alterum modò eorum de omni longitu-  
 dine dici, siquidem futurum est ut uerè de genere dica-  
 tur. Quod ita tamen non fit, cum sint longitudines quæ  
 latitudine careant, & quæ habeant latitudinem. Ergo  
 hic locus contra eos solos ualebit, qui genus unum nume-  
 ro esse contendunt: quod ij faciunt, qui ideas ponunt.  
 nam & ipsam longitudinem, & ipsum animal uolunt  
 genus

genus esse. Quanquam in quibusdam definiendis negatio adhibenda est necessario, cuius generis sunt priuationes. cæcum enim est id quod aspectum non habet, tum cum ei est aptus natura. Nihil autem interest, negatione res definiatur, an affirmatione eiusmodi, cui necesse sit negationem ex altera parte in diuidendo respondere. ut si quis longitudinem, quæ latitudinem habeat, definiendo dixerit. Quod enim habet latitudinem, ei quod ea caret, cum in eas quid diuiditur, respondet, præterea nihil. ita rursus in negationem genus tribuetur. Illud etiam uidendum est, speciemne definiendo pro differentia dixerit. quod faciunt ij qui conuicium, contumeliam cum irrisione definiunt: nam cum irrisio quædam sit contumelia, fit ut non differentia, sed species sit irrisio. Iam illud etiam, an genus pro differentia definiendo posuerit: ut si quis uirtutem, habitum bonum definiat. est enim bonum uirtutis genus: nisi forte non genus bonum est, sed differentia. siquidem uerum est illud, non posse idem in duobus generibus numerari, quin unum altero contineatur. neq; enim bono habitus, neque habitu bonum continetur: quandoquidem non omnis habitus bonus est, neq; omne bonum habitus. Ita utrunq; esse genus nullo modo potest. Quod si habitus uirtutis genus est, profecto bonum non uirtutis genus, sed differentia est. Præterea habitus quid sit uirtus declarat: bonum autem non quid sit, sed qualis, indicat. Atqui quale quid significat differentia, uidendum etiam est, an quid non quale quid, quæ data est differentia, declaret: quoniam qualitatem omnis differentia declarat. Atque etiam, forte ac temerè rei quæ definiatur differentia conueniat,

ut enim nullum genus, sic differentia nulla in ijs numeratur, quæ temere & casu rei conueniunt, præsertim cum alicui conuenire, & non conuenire, non possit differentia. Iam si de genere dicatur differentia aut species, aut aliquid eorum quæ speciei subiecta sunt, nulla definitio est. nihil enim eorum quæ enumerata sunt, de genere dici potest, quandoquidem in pluribus genus quàm omnia reperiatur. Quod idem fiet, si de differentia genus dicatur: cum præsertim non de differentia genus, sed de ijs de quibus differentia, dicatur. ueluti animal in homine, boue, cæterisq; terrenis animalibus dicitur, non in ea differentia quæ de specie dicitur. Si enim de singulis differentijs animal dicitur, certè multa animalia de specie dici poterunt, cum præsertim de specie differentia dicatur. Præterea isto pacto aut in formis, aut in indiuiduis, omnes differentia numerabuntur, si quidem animalia esse ponantur. quandoquidè omne animal uel speciei uel indiuiduorum nomen obtinet. Similiterq; considerandū est, an species, uel aliquid eorum quæ subiecta sunt sub speciem, de differentia dicatur. quod fieri non potest, quandoquidem ad plura differentia quàm forma trāsferatur. Isto etiam pacto fiet, ut inter species differentia numerentur, si quæ species de ea dicatur. Si enim de ea homo dicitur, certè homo est illa differentia. Illud etiam uidentum est, an specie non sit prior differentia. debet enim ut genus sequi, sic specie antecedere differentia. Illud etiam, an alterius generis sit differentia ea quæ producta est, quod quidem nec contineatur, nec contineat. neque enim uidetur duobus generibus data eadem differentia, quorum alterum ab altero minimè contineatur. Sin se-

eius, profecto illud etiam fiet, ut eadem species in duobus generibus sit, quorum unum non contineatur ab altero. Ex differentia enim genus concluditur, ut ex terreno & bipede animal. Ita fit, ut in quo differentia, etiam genus utrunq; dicatur. Ex quo perspicuum est, formam in duobus generibus esse, quorum unum altero non comprehendatur. nisi forte non omnino fieri non potest, ut eadem differentia duorum sit generum, quorum neutrum alterum contineat: sed adiungendum est, quorum utrunque eidem minime subijcitur. Nam terrenum animal & pennigerum animal, genera sunt, quorum neutrum alterum complectitur, quorum utriusq; bipes differentia est: ita addendum illud est, quorum utrunq; sub idem genus non subijcitur. hæc enim duo animali subiecta sunt. Illud etiã perspicuum est, non necessario ex omni differentia suum concludi genus: quandoquidem esse duorum generum, quorum unum altero non continetur, eadem potest: sed solum alterum necesse est ex ea concludi & probari, eaq; quæ supra sunt omnia: quemadmodum animal pennigerum uel terrenum ex bipede concluditur. Videndum etiam, an id quod alicubi quid esse significat, pro differentia posuerit. neq; enim inter substantiam & substantiam hoc interest, quod alicubi sit. Itaq; eos qui animal in terrenum & aquatile partiuntur, reprehendunt: propterea quod terrenum & aquatile in aliquo esse declarant, nisi forte in his non iure reprehendunt. neq; enim in aliquo esse, aut alicubi aquatile & terrenum, sed quale quid indicat: præsertim cum si sit in loco sicco, tamen æquale aquatile: & si in humido loco, terrenum, non aquatile sit futurum. Sed tamen hoc perspicuum est, si quid esse in aliquo

in aliquo significet differentia, in ea exponēda & explē  
canda peccari. Præterea uidendum est, an perturbatio-  
nem in differentia numerarit. Omnis enim perturbatio  
amplificata, ex statu suo naturam dimouet: ex quo gene-  
re non est differentia. Magis enim statū eius, cuius est dif-  
ferentia, differentia conseruat: neq; fieri potest omnino,  
ut sine sua quicq; differentia permaneat: sublata enim  
terreni differentia, esse homo nullo modo potest. Quibus  
autem (ut omnia semel cōplectar) commutatur id in quo  
ea sunt, eorum nihil illius differentia est: quandoquidem  
omnino eiusmodi amplificata, naturā e' statu suo dimo-  
uēt. Quapropter qui talem aliquam differentiā dederit,  
in eo peccauit: quoniā in differentijs non cernitur cōmu-  
tatio, quæ alteratio solet appellari. Iam si quis definiendo  
aliquid eorū quæ cum aliquo cōferuntur, non cōstitue-  
rit differentiam quæ ad aliud aliquid referatur, errabit.  
Eorum enim quæ cum aliquo conferuntur, tales etiam  
debent esse differentie. Quod in arte perspici potest, cu-  
ius differentie sunt, ut una sit cognitionis, altera actio-  
nis, tertia effectiois: quæ ad aliud referuntur omnia.  
nā cognitio & actio & effectio intelligi non possunt,  
quin alicuius res esse dicantur. Illud etiam consideran-  
dum est, an ad id definitionem accommodarit is qui rem  
definit, ad quod natura apta sunt omnia quæ cū aliquo  
conferuntur. Sunt enim quædam, quibus ad id solum uti  
licet, ad quod natura aptum est unumquodq; eorum quæ  
cum aliquo cōferuntur. sunt quibus etiam ad aliud licet:  
ueluti aspectu ad cernendum tantummodo uti licet, at la-  
bro etiam quis hauriat. tamen si quis definiat, labrum  
instrumentum esse ad hauriendum, peccabit, quoniā ad

id non est natum & comparatiu. Definitio autē illius, ad quod natum & institutum est unūquodq; hæc est, id ad quod prudēs, quia prudens sit, utitur, & propria cuiusq; rei ars & scientia. Peccabit etiam definiendo, qui rei cui primū conuenit, non accommodat definitionem, quoties in pluribus intelligetur. ut si quis (exempli causa) prudentiani definiat, hominis aut animi uirtutē, non eius partis animi quæ rationis est particeps. est enim prima sedes prudentiæ, in parte animi quæ ratione utitur: quod quidem ex ea & animus & homo prudēs esse dicitur. Præterea si nō est hoc rei quæ definitur subiectum, cuius uel habitus uel dispositio in definitione esse dicitur, uitiose definiuit. Omnis enim affectio, omnisq; perturbatio in eo sita esse solet, cuius est affectio & perturbatio: quæ ad modum ars in animo, cuius est affectio, sita est. Interdum autē in his ipsis peccatur, uelut ab ijs qui aiunt somnum esse sensus imbecillitatem: & dubitationem, æqualitatem rationum contrariarū: et dolorem, discordiam partium coniunctarum naturā, uehementiore motu exciōtatam. Neq; enim somnus inest in sensu. quod necesse esset, si esset sensus imbecillitas. Itemq; ne dubitatio quidem in contrarijs rationibus inest, nec dolor in coniunctis natura partibus. dolebunt enim res inanimæ, si quidem dolor eis aderit. Atq; etiam illa ex eo genere ualitudinis definitio est, apta compositio caloris & frigoris. sic enim necesse erit ualere res calentes & frigidas. nam cum cuiusque rei apta compositio in illis sit, quorum est apta compositio, certē in eis etiam ualetudo insit necesse est. Præterea ita fiet, ut ij qui sic definiunt, quod effectus est, efficiens esse dicant, aut contrā. neq; enim dolor

dolor dissensio partium natura coniunctarum, sed hoc est quod ad eum efficiendum uim habet: nec imbecillitas sensus, somnus, sed alterum alterius efficiens est. quippe cum aut propter imbecillitatem sensus somno opprimamur, aut propter somnum, sensuum munere non fungamur. Itemque dubitationem afferre solet contrariarum rationum æqualitas. Cum enim in utraq; partem de aliqua re cogitamus, et paria sunt momenta rationum, tum de niq; quid nobis agendum sit dubitamus. Iam omnium temporum habenda ratio est, sicubi discrepent: ut si quis immortale animal, quod nunc non interit, definiat. sic enim fiet, ut animal quod nunc interitus expers est, hoc tempore sit immortale. nisi forte in hoc id non est uerum: est enim ambiguum, nisi forte in hoc id non est uerum: est enim ambiguum, nunc interitus esse expers aliquid. aut enim non interisse nunc significat, ut non posse interire hoc tempore: aut esse hoc tempore eiusmodi, ut nunquam intereat. Cum igitur dicimus, hoc tempore interitus expers esse animal, non hoc dicimus, tale esse nunc animal: sed, quod nunquam occidere possit: hoc enim idem est quod immortale. ita minime efficitur, ut id nunc tantum sit immortale. Attamen sicubi id accidat, ut quod oratione explicetur, hoc tempore insit, aut superiore: id autem quod nomine declaratur non insit, nunquam idem erit. Usus ergo huius loci talis est. Atque etiam illud uidendum est, id ne quod definitum sit, alia oratione, ac ea quæ alata est, aptius explicetur: ut si iusticia definitur, potestas suum cuique tribuens. iustus est enim potius, qui suum cuique uult tribuere, quam qui id potest. Ex quo fit, ut non sit iusticia, potestas suum cuique tribuens: alio qui iustus etiam esset, qui suum cuique tribuere posset. Illud etiam uitiosum est

defia

definitio  
quod o  
quod o  
accessit  
siquid  
uitio  
illud q  
concum  
amat,  
simul  
dem i  
de qu  
ignis  
gis ign  
minus  
siquid  
nus, si  
rum  
res q  
perit  
natura  
quod  
idem  
et n  
cet, i  
res, i  
enim  
est pu  
rium  
autri

definiendi genus, cum res accessionem recipit: id autem quod oratione explicatur, non recipit: aut contra, cum id quod oratione explicatur recipit, res autem non recipit accessionem. Aut enim utrunq; aut neutrum capere debet: siquidem idem est quod oratione explicatur, et res ipsa. Vitiosum etiam illud genus est, cum utrunq; accessionem illud quidem recipit, sed non simul: ut si amor cupiditas concumbendi definiatur. cum enim is qui uehementius amat, non magis concubitus appetat, fit, ut non recipiat simul utrunq; accessionem: quod quidem deberent, siquidem idem ualere. Quod idem fiet, si propositis duobus, de quo magis res dicitur, de eo minus dicitur oratio. ut si ignis definitur corpus tenuissimum: nam & flamma magis ignis est quam lux, et corpus tenuissimum flamma est minus luce. atqui utrunq; eidem magis conuenire deberet, siquidem idem ualere. Vitiosum etiam est definiendi genus, si duobus propositis, unum utriq; æque conuenit, alterum non æque, sed alteri magis. Item, cum duo sunt ad quæ res quæ definitur pertinet, si utrunq; ad definiendum acciperit, quasi ponens duas definitiones, ut si pulchrum definitur id esse, quod uel oculos uel aures demulceat: & id quod est, quod pati, uel facere quid potest. sic enim simul idem & pulchrum erit, & non pulchrum: itemq; idem erit, & non erit: quando quidem quod aures mouet ac demulcet, idem erit quod pulchrum. Ita quod non demulcet aures, idem ualet quod id quod minime pulchrum est. Rebus enim iisdem eadem data sunt contraria. Contrarium autem est pulchro, id quod pulchrum non est: eiq; quod sensum auri suauitate quadam mouet, id quod non mouet sensum aurium. Perspicuum est igitur, idem ualere id quod non

mouet aures suauitate quadam, & id quod est non pulchrum. Si quid igitur est quod sensum oculorum moueat, non aures, id est pulchrum, et non pulchrum futurum est: eodemque modo idem esse, & non esse, doceremus. iam uero si orationes pro nominibus sumamus, & generum et differentiarum, & eorum omnium quæ definitio complectatur, an aliquid eorum discrepet, uidendum est.

## CAPVT III.

Quod si res quæ definitur, in ijs sit quæ cum aliquo conferuntur, uel per se, uel ratione generis, considerandum erit, an in definitione expressum non sit id cum quo uel ipsa per se, uel generis communiōe conferatur. ut si quis scientiam, opinionem immutabilem definiat, uel uoluntatem cupiditatem ab ægritudine uacuant. Eorum enim omnium quæ cum aliquo conferuntur, natura ad alterum refertur: quandoquidem uniuscuiusque eorum quæ ex illo sunt genere, natura illa sit, ad aliquid quodam modo affectum esse. Debit ergo scientia defini, opinio de eo quod scientia continetur: & uoluntas, boni cupiditas. quod item fiet, si grammatica literarum scientia definiatur. Exprimendum enim fuit definitione, cum quo ipsa, genus uel conferatur. Illud etiam uidendum est, an alicuius eorum quæ cum aliquo conferuntur, non ad finem directa sit definitio: finis autem unicuique est quod optimum est, aut quod cætera omnia referuntur. Ita aut quod optimum est, aut finis, & extremum exprimi debet. ut cupiditatem, non rei quæ uoluptatem affert, sed ipsius uoluptatis: quippe cum eius gratia, etiã id quod eam efficit, expetamus. Videndum etiam est, id uel ad quod retulerit, in ortu uel actione consistat: nihil enim eorum

eorum finis est. egisse enim, & ortum esse, finis potius no-  
men, quàm uel oriri, uel agere, obtinet. Quamquam non  
in omnibus rebus ita est. ferè enim omnes uoluptatem ca-  
pere ex quaq; re malunt, quàm desisse capere: ita agere  
potius finem constituunt, quàm egisse. Iam in quibusdã,  
si quanta qualiaq; sint, & ubi fiant, itemq; cetera disti-  
militudines minimè explicentur, uitiosa erit definitio. ut  
si non aperiatur, qualis & quantæ gloriæ cupidus sit am-  
bitiosus. nam quoniam omnes gloria ducuntur, non satis  
est ambitiosum dicere eum qui gloriæ sit appetens: ad-  
dendæq; sunt differentiæ quas enumerauimus. itemq; si  
auarus definiatur, quanto studio pecuniæ teneatur ex-  
ponendum est: aut si impotens, quarum uoluptatum sit,  
in quibusq; uersetur. neque enim si quis qualicumque,  
& quauis uoluptate uincatur, is continuo impotens ha-  
bendus est: sed is demum, qui certa quadam superetur.  
Eiusdem generis sunt definitiones & qua noctem defi-  
niunt umbram terræ, & qua terræ motum motionem  
terræ, & qua nubem aeris crassitudinem, & qua uen-  
tum aeris motionem. Addendum enim, quantum, &  
quale id sit, & ubi fiat, & unde. Quod eodem modo de  
alijs eiusdem generis iudicandum est. Qui enim quam-  
uis differentiam prætermittit, is naturam rei non expli-  
cat. In id autem quod prætermissum est, omnis semper  
dirigi debet argumentatio. non enim si quomodo cumq;  
aut quantumlibet terra mota sit, continuo terræ motus  
est: nec si aer quoquo modo, aut quiuis pellatur, uentus  
est. Eodem modo peccatur in appetitionibus definiendis,  
cum quod uidetur non adijcitur: in ceterisq; omnibus,  
in quibus illud adijciendum est. ut si uolunt. is definiatur,

appetitio boni: & cupiditas, appetitio rei quæ uoluptatem efficit: nec addatur, eius quod bonum uideatur, aut eius rei quæ uoluptatem efficere uideatur. Sæpe enim ignorant ij qui cupiditate tenentur, bonum esse, aut iucundum esse, id quod cupiunt. ita non est necesse id esse bonum, aut iucundum, sed modò uideri. debuit ergo eo pacto explicatio fieri. Quod si ita, ut dixi, rem tradat & aperiat, ad species impellendus erit is qui ponit ideas esse. neque enim idea est in ulla re quæ esse uideatur & appareat, & species ad speciem referri uideatur: ut ipsa cupiditas ipsius iucundi est, & ipsa uoluntas ipsius boni. non igitur eius quod bonum esse uideatur, ipsa uoluntas erit: neque rei quæ uoluptatem afferre uideatur, ipsa cupiditas. absurdum est enim, esse aliquid ipsum bonum apparens, aut iucundum. Iam si habitus definitio explicetur, ex eo in quo est habitus, ducetur argumentum: & si eius in quo est habitus, ex habitu. itemq; in cæteris talibus: ut si id iucundum dicatur quod prodest, etiam qui uoluptate afficitur, adiuuatur. In definitionibus autem eius generis sit, nescio quò modo, ut is qui rem definiendo aperit, plura uno definiat. qui enim scientiam definit, quodammodo etiam definit ignorationem: itemq; quod doctum & indoctum est, scire & ignorare. si enim primum planum fiat quodammodo, etiam cætera perspicua fiet omnia. Quapropter in his talibus, si quid discrepet, ex his locis quos in contrarijs & coniugatis exposuimus, argumenta ducemus. Atq; in ijs etiã quæ cum aliquo conferuntur uidendū est, an ad quod genus accommodatum est, etiam ad illud aliquid relata sit forma. ut si opinio cum eo quod opinabile est confertur, etiã opinio quædam

quædam cum quodam opinabili conferetur. Et si res multiplex ad submultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam submultiplicem refertur. Si enim non ita explicata res est, profectò uitiōsa erit definitio. Et illud uidentium, an contrarij explicata exposita q; sit definitio contraria; ut, sit ne simpli definitio contraria dupli definitioni. si enim duplum est quod parum uincit, etiam simplum erit quod parum re uincitur. Eadem est ratio eorum contrariorū quæ aduersa dicuntur. Cōtrarij enim cōtraria erit definitio, una quadam cōtrariorū inter se connexione, hoc modo: Si id prodest quod bono afficit, etiam id obest quod malis afficit, aut quod bonis priuat. Alterum etiam eorum contrarium sit eius quod prius dictum est, necesse est: quod si neutrum contrarium sit eius quod initio expositum est, certè neutra eorum quæ posterius exposita sunt, esse contrarij definitio ullo modo potest: ita ne ea quidē quæ initio data est, uerè & rectè fuit explicata & constituta. Quoniamq; contraria sunt quædam quæ alterius priuatione dicuntur, ut inæqualitas æqualitatis priuatio uidetur esse, inæqualia enim sunt quæ non sunt æqua & paria: profectò id semper quod priuatione dicitur, altero contrario definitur necessario, alterum non etiam necesse est illo quod ex priuatione nominatur, definiri. sic enim fieret, ut utrunq; ex altero cognosceretur. Quare hoc uitium in contrarijs animaduertere debemus. ut si quis æqualitatem definiat, id quod inæqualitati contrarium est: definiendo enim aperit rem, eo quod ex priuatione appellatur. Iam uerò necesse est, eum qui ita definiat, ea re uti quæ definiatur. Quod ita intelligetur, si cum nomine cō-

mutetur oratio. Quando enim nihil interest, in aequalitate dicamus, an aequalitatis priuationem, certe erit aequalitas contrarium aequalitatis priuationi. ita eadem re usus est. Quod si neutrum contrariorum priuatione dicatur, eodemq; modo explicetur definitio, ut bonum est, quod malo est contrarium: certe malum erit, quod est bono contrarium. Eorum enim quae ita contraria sunt, similiter explicanda definitio est. Sic rursus fiet, ut eam ipsam rem quae definiatur, adhibeat in definitione, praesertim cum insit bonum in mali definitione: ita si bonum malo contrarium est, malum autem nihil refert dicas, an quod bono est contrarium, efficietur, ut bonum contrarium sit eius quod bono contrarium est. Ex quo perspicuum est, eodem usum esse eum qui ita definiat. Vitiosa etiam definitio est, cum ita aliquid eorum quae priuantia sunt, aperitur: ut cuius sit priuatio, ueluti habitusne an contrarij, an cuiusuis, minime explicetur. Quod idem fiet, si cuius aut in quo solet esse priuatio, non addatur omnino, an in quo primo solet habitare. ut si quis ignoracionem priuationem esse dicat, nec addat priuationem esse scientiae, aut non adiungat in quo uersari solet: aut si adiungat, non dicat in quo primo id habitare solet: ut si quis non in ea parte animi quae rationis est particeps, sed in homine, uel in animo aliquid situm esse definiendo explicet. Si enim quiduis horum praetermiserit, aberrabit. Eodemq; modo si quis caecitatem, non aspectus priuationem in oculis dixerit, qui enim uim & naturam priuationis accomodate apteq; explicare uult definiendo, is debet, & cuius rei sit priuatio, & quae res priuetur, exponere. Illud etiam considerandum est, an priuatione explicetur, quod

non numeratur in priuatiuis. Qui quidem error in ignorantia uersari uidetur ijs, qui nullam ponunt ignorantiam, cuius natura ex negatione intelligatur. Quod enim artis & scientiæ expertus est, id ignorare minimè uidetur: sed id demum, quod errat & fallitur. Itaque nec res inanimatas, nec pueros ignorare dicimus. ita non priuatione scientiæ ignorantia dicitur. Iam illud uidendum est, an similibus nominis casibus similes definitionis casus respondeant. ut si id prodest, quod efficiens est ualitudinis, utiliter & accommodatè ad ualitudinem efficiendam, etiam quod profuit, id ualitudinem efficit. Spectandum est etiam ex idea, sit ne uera & propria quæ data est definitio: quando quidem in quibusdam id non reperiri cernitur. Quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitionibus mortale. Si enim idea est, certè non est mortalis, ueluti ipse homo. ita idea minimè conueniet definitio. Omnino necesse est, si addatur id quod efficiens est, aut patibile, in idea discrepare definitionem, incompatibiles enim & immutabiles uidentur ideae, ijs qui ideas defendunt. Quales definitiones contra eos ualent.

## CAPVT IIIII.

Vitiosum etiam genus definiendi est, si omnium eorum quæ ambigunt dicantur, communis una definitio statuatur. Cum enim synonyma sint ea, quorum una est nomini congruens definitio; nullius certè eorum quæ nomen complectitur, propria definitio est, quando quidem æquè omnibus homonymum conuenit. Quod uitium in uitæ definitione reperitur, quam Dionysius tradidit, Motus uniuerso eorum quæ nutriuntur generi naturæ insitus. nec enim hæc oratio animantibus magis in-

est, quàm ijs quæ è terra gignuntur: cum interim uitæ nõ unum genus sit, aliudq; uitæ genus animantibus, aliud ijs quæ è terra gignuntur, tributum esse uideatur. atq; fieri potest, ut quasi de industria sic definitionẽ uitæ explicemus, quasi sit synonymũ uerbum, unumq; sit genus uitæ: sed etiam nihil prohibet eum qui homonymiam & ambiguum perspiciat, uelitq; alterius definitionem tradere, ita tamẽ facere, ut non propriam, sed communem utriq; statuatur definitionem. Sed tamen utrouis modo id fecerit, certè aberrabit. Quoniam autem quædã homonyma obscura sunt, is quidẽ qui interrogat, eis pro synonymis uti debet: non enim alteri, unius significati conueniet definitio. Ita alter quodã modo definisse non uidebitur: quoniam in omnia cõuenire debet synonymum. idem autem ipse si respondeat, ambiguum debet distinguere. Quoniãq; nonnulli eorum qui rem aliquam defendunt in disputationibus, synonymum ambiguum esse dicunt, quoties nõ conuenit in omnia quæ statuta est definitio: & ambiguum in synonymis dicunt, si utrisq; conueniat: antequam aggrediaris ad disputationem, conuenire debet, qualia uelit ea esse qui respondet; aut antè ratiocinandum est, & concludendum ambiguum esse, aut synonymum, aut utrumlibet. Facilius enim concedunt ijs, qui quid sequatur non prouident. Quòd si non conuenierit inter eos qui differunt, & aliquis synonymum ambiguum esse dicat, propterea quòd ea definitio quæ data est, in hoc sicut in illo minime intelligatur; tum uidendum est, an huius in categoria conueniat definitio. Perspicuum est enim, id synonymum cum reliquis futurũ: aut certè si illud sit, nec tamen hoc cum alijs synonymum sit, plures erunt reliquorum definitiones.

definitiones. duæ enim nominis definitiones ad ea accom-  
 modabuntur, & prior quæ data est, & posterior. Rur-  
 sus, si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur defi-  
 niat, neq; in ea omnia quæ uerbum ambiguum comple-  
 ctitur, definitio conueniat, nec ambiguum tamen dicat,  
 sed nomen non omnibus conuenire, quoniam ne definitio  
 quidem in omnibus reperiat: contra cum afferre  
 debemus, appellatione utendum esse ea quæ & tradita  
 sit, & ab omnibus recepta: nec illam æquum esse infir-  
 mare, tametsi quædam sint in quibus à uulgi consuetudine  
 discedendum esse uideatur. Si autem alicuius eorum uer-  
 borum quæ coniuncta sunt definitio statuatur, detractæ  
 alterius eorum quæ copulata sunt oratione, an reliqua ei  
 quod reliquum est conueniat, uidendum est. Si enim se-  
 cus, profectò ne tota quidem opti conueniet. ut si quis hoc  
 totum lineam finitam rectam definiat, extremitatē pla-  
 ni habentis extremitates, cuius medium extremitatibus  
 adiungitur: si finita lineæ hæc definitio est, extremitas  
 plani quod habet extremitates: hæc reliqua debet esse re-  
 cta definitio, cuius medium extremitatibus addatur. At-  
 qui linea infinita nec medium habet, nec extremitates,  
 cum interim recta sit: ita non est eius quod reliquum est,  
 reliqua definitio. Vitiosum etiam definiendi genus est,  
 cum id quod definitur copulatum est, eiq; attribuitur de-  
 finitio eiusmodi, quæ æqualibus & paribus quasi mem-  
 bris respondeat. Definitio autem paribus membris refer-  
 tur, cum quot sunt coniuncta, totidem etiam sunt & no-  
 mina & uerba in definitione. In his enim talibus ipsorum  
 nominum, aut omnium, aut aliquorum mutatio facienda est  
 necessario: quando quidem non plura sunt hic, quam

prius, nomina. debetq; is qui definit, pro nominibus om-  
 nibus maxime, si minus, pluribus, explicare definitio-  
 nem. sic enim simplicia uerba nunquam definiat is, qui  
 uerbum tantum pro uerbo reddit: ut si pro ueste tunicã.  
 Vehementius etiam in definiendo errabit, si uerba ma-  
 gis dubia assumat. ut si pro homine albo, terrigenam &  
 mortalem candidum. neq; enim definiuit, cum minus ap-  
 pertum & perspicuum sit, quod ita dictum est. Atq; etiã  
 in commutandis uerbis illud uidendum est, an idem signi-  
 ficet una atq; altera oratio. ut si quis artem quæ rem ani-  
 mo cernit, definiat opinionem quæ rem animo cernit, et  
 contemplatur. opinio enim non est idem quod ars &  
 scientia: quod quidem deberet, si modò totum idem sit fia-  
 turum. nam quod animo rem cernit et contemplatur, in  
 utraq; oratione est: quod reliquum est, diuersum est. Iam  
 si quis alterum uerbum commutet, neq; differentiam, sed  
 genus cõmutet, uitiosa erit definitio. Quod in exemplo,  
 quod modò protuli, cernere licet: hoc enim totum, quod  
 rem animo cernit & contemplatur, uerbo artis obscu-  
 rius est: quoniam hoc genus est, illud differentia: & ge-  
 nus, quoniam latissime patet, omnium est clarissimum, et  
 planissimum. Ergo non genus mutandum fuit, sed diffe-  
 rentia, quandoquidem obscurior est. nisi forte ridicula  
 hæc reprehensio est: præsertim cum nihil prohibeat dif-  
 ferentiam notissimo uerbo significari, genus non item.  
 Quæ cum ita erunt, certè generis, non differentia nomen  
 mutandum erit. Quod si quis non nomen pro nomine,  
 sed orationem pro nomine mutet, profectò magis diffe-  
 rentia, quam generis explicanda definitio est: quando-  
 quidem rei illustrandæ & cognoscendæ gratia defi-  
 nitio

nitio traditur, & minus nota differentia quàm genus  
 est. Si uerò differentie definitionem explanarit, an ad  
 aliquid aliud definitio transferatur, uidendum est. ut si  
 numerum imparem dicat, numerum qui medium alia  
 quid habet: exponendum est, quemadmodum medium  
 habeat. nam & numerus in utraque oratione est, &  
 imparis uerbum in definitione mutatum. atqui medium  
 aliquid & linea & corpus habent, cum non sint impa-  
 ria. non igitur propria est illa imparis definitio. Quod si  
 multis modis dicatur id quod medium aliquid habet, di-  
 stinguendum est, quemadmodum medium complectas-  
 tur: ita aut refelletur, reprehendeturq; definitio, aut uia-  
 tiosa esse concludetur. Præterea uitiosa etiam erit, si id  
 cuius definitio statuitur, in ijs quæ sunt numeretur: quod  
 autem definitioni subijcitur, non numeretur. ut si quis,  
 exempli gratia, rem albam esse dicat, colorem cum igne  
 permixtum. Neque enim quod expers est corporis, per-  
 misceri potest cum corpore. ita color permixtus & con-  
 fusus cum corpore nullus est: & aliquid album est.  
 Iam ij omnes qui non distinguunt in ijs quæ cum ali-  
 quo conferuntur, id cum quo conferuntur, plurâque  
 complectuntur dicendo, aut omnino, aut quadam ex  
 parte, uitiose definiunt. ut si quis, exempli causa, medicina  
 nam dicat artem esse eius quod est. nam si nullius eorum  
 quæ sunt medicina ars est, certè uitiosa falsaq; est o-  
 mnino definitio. sin alicuius est, alicuius non est ars, qua-  
 dam ex parte falsa est. debet enim esse omnium, siqui-  
 dem per se non temerè & casu eorum quæ sunt esse dici-  
 tur: id quod in cæteris quæ cum aliquo conferuntur, per-  
 spici licet. Quicquid enim scientia & arte continetur,

cum

cum sciētia & arte confertur. Eadem est caterorum ratio: quando quidem quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Omne enim quod arte cōiunctur, in ijs est quæ cum aliquo conferuntur. Præterea si is qui non per se, uerum fortuito & casu rem explicat, rectè explicet & aperiat definiendo: non cum uno, sed cum pluribus. uel quodque eorum quæ cum aliquo cōferuntur, comparabit. Nihil enim prohibet eandem rem & esse, & albam & bonam esse. Itaque ut cum quouis eorū collatum quid definiat, rectè definirit, si modo is qui re aduentitia temerè rem aliquam explanat, rectè explanat. Postremò hæc talis definitio propria rei quæ explicata est et data, esse non potest. neque enim medicina sola, sed pleraque etiam aliæ artes in rebus quæ sunt, uersantur: ita unaquæque ars in eo quod est, uersabitur. ex quo perspicuum est, hanc ipsam nullius artis esse definitionem: præsertim cum propria, non communis definitio esse debeat. Sed interdum non rem nudam, uerum rem quæ in eo genere perfecta est definiunt. quo ex genere oratoris & furis definitio est: si orator is est, qui quod in quaque re ad faciendam fidem ualet, perspicere potest, neque quicquam eorum præmittit: & fur, is qui clam accipit. perspicuum enim est, eum qui talis est, qualem hæc definitiones describunt, perfectum & oratorem & furem esse. Neque enim fur est qui clam sumit, sed qui uult clam sumere. Rursus uitiosa erit definitio, si id quod per se expetendum est, ut ad agendum faciendumue impellens, aut quiduis propter aliud expetendum, explicetur. ut si iusticia legum custos, uel sapientia beatæ uitæ effectrix definiantur. Efficientia enim & cōseruantia in rebus sunt, quæ propter aliud expetuntur,

expetuntur. Et quanquā nihil prohibet, id quod propter se expetitur, etiam propter aliud esse expetendū: tamen in eo peccatur, si quis ita id quod propter se expetendum est, definiat. Nam cum in cuiusq; rei ui & natura explicanda optimum quicq; adhibendum sit, id autem quod propter se expetitur, ei quod propter aliud anteponatur, fit, ut illud ipsum potius significare debeat definitio.

## CAPVT V.

Atq; etiam illud considerandum est, si ne qui aliquid definit, hoc & illud esse, an ex hoc et illo esse, an hoc cū illo esse definiat. nam si hoc & illud esse definiat, fiet, ut & utriq; conueniat, et neutri: ut si quis, exempli gratia, iusticiam definiat temperantiam esse & fortitudinem. nam si duo sint, quorum uterq; altero sit præditus, uterq; & neuter iustus erit: quando quidem ambo iusticiam habent, & uterq; non habet. Quod si hoc non uideatur admodum absurdum esse, propterea quod in alijs quibusdam hoc cōtingit, (nihil enim prohibet duos habere misericordiam, & neutrum habere) at illud certè per absurdum uidebitur, eisdem contraria conuenire. Quod fiet, si eorum unus temperantia & ignauia sit præditus, in altero fortitudo & intemperantia insit. Uterq; enim iusticiam et iniusticiam habebit. Si enim iusticia est fortitudo et temperantia, iniusticia etiam ignauia erit & intemperantia. Omninoq; omnia argumenta quæ sumi possunt ad demonstrandum, totum non esse idem quod partes, ad efficiendum id quod dictum est ualebunt: quippe cum is qui eiusmodi definitionem statuit & inducit, idem esse partes & totum confirmare uideatur. Aptissima autem omnium in hoc genere argumenta ducentur ab ijs, in quibus

bus aperta & perspicua partium compositio est: cuius  
 generis est domus, & si qua sunt similia. Perspicuum est  
 enim, si partes sint, nihil prohibere non esse totum. Ita  
 non sunt idem totum & partes. Si uero res quæ definiatur  
 non esse hoc & illud, sed ex hoc & illo constare di-  
 catur, primum uidentum erit, an unum aliquid ex ijs ip-  
 sis minime natura constare queat. Quædam enim, ueluti  
 linea & numerus, ita affecta sunt inter sese, ut nihil ex  
 eis effici possit. Deinde, id ne quod definitione apertum  
 est, in una re aliqua prima situm esse soleat: ea autem ex  
 quibus ipsum constare ille dixerit, non in una re prima  
 inesse soleat, uerum utrumque in altero. Perspicuum est enim  
 ex ijs, nunquam illud ex ijs constare posse, præsertim cum in  
 quo partes, etiã totum necesse sit existere. ita non in una  
 re prima totum, sed in pluribus inerit. Quod si et partes  
 & totum in una re prima insint, illud considerandum est,  
 an non in eadem re, sed in alia partes, in alia totum. Tum  
 sublato toto, an una etiã partes tollantur et intereant ui-  
 dendum est. Contra enim effici debet, ut interemptis par-  
 tibus, totum intereat: interempto uero toto, non necesse  
 est partes interire. Aut illud, an totum bonum uel malum  
 est, & partes neutrum; uel contra, partes in bonis aut in  
 malis sint, & totum in neutro. neque enim ex re ulla que  
 nec bona nec mala est, aliquid quod bonum sit aut malum  
 effici potest: neque ex ijs quæ ipsa mala sunt, uel bona, fieri  
 aliquid potest quod sit in malis uel bonis. Aut, maiusne  
 altera pars bonum sit, quam altera malum: quod autem ex  
 eis constare dixerit, non sit maius bonum quam malum. ut  
 si, exempli gratia, impudentia ex fortitudine et falsa opi-  
 nione constare dicatur, quorum fortitudo maius bonum est,  
 quam

Quam malum falsa opinio. Debit igitur etiam id quod  
 ex illis est, ex maiore esse consequens, & esse aut bonum  
 omnino, aut maius bonum quam malum. Quod non ne-  
 cesse est, nisi utrumque per se in bonis malisque ducatur: quip-  
 pe cum multa efficientia, per se non sint illa quidem bo-  
 na: coniuncta autem & commixta cum quibusdam, in  
 bonis numerentur. Alia sunt contra, quorum utrumque bo-  
 num est: quæ si coniungantur, uel mala erunt, uel indiffere-  
 rentia. Quod autem posterius dictum est, facillime in re-  
 bus salubribus uel pestilentibus perspicitur potest. Quædam  
 enim medicinae eam uim habent, ut & utrumque per se pro-  
 fit: & si coniunctæ mixtæque adhibeantur, sint obfutu-  
 ræ. Iam illud quoque uidendum est, an ex meliore & de-  
 teriore parte aliquid constare dicatur, quorum meliore  
 totum non sit deterius, & deteriore præstantius. An hæc  
 hoc quidem necessarium est, nisi per se sint ea ex qui-  
 bus illud concretum est, in bonis: nihil enim prohibet,  
 totum in bonis non numerari: quod in his quæ modo com-  
 memoravi, perspicitur licet. Illud etiam, eodem ne nomine  
 totum & pars altera appellentur, non enim debent, si-  
 cuti nec syllabæ quidem: nam syllaba nunquam eo-  
 dem nomine appellari solet, quo elementa ex quibus  
 constat. Vitiosum etiam est, rationem concretionis non  
 exponere. Non enim satis est ad aperiendum declaran-  
 dumque aliquid, id ex his uel illis constare dicere, præfero  
 tim cum eorum omnium quæ concreta sunt, uis & natu-  
 ra non sit ex his uel illis constare, sed hoc uel illo modo  
 ex his uel illis effici. Id quod animaduerti licet in do-  
 mo. neque enim si quæ res quouis modo disponatur,  
 continuo domus erit. Quod si quid esse hoc cum illo  
 definiat,

definiat, primum dicendum est, hoc cum illo aliquid esse, idem quod hoc & illud, aut quod esse ex hoc & illo ualere. Qui enim dicit aliquid mel cum aqua esse, is uel mel & aquam dicit esse, uel ex melle & aqua constare. Ita si utrumuis horum idem esse concedat quod esse hoc cum illo aliquid, eadem omnino sumenda erunt argumenta, quæ ad utrumq; refellendum supra exposuimus. Deinde diuisione adhibita, quot modis aliquid cum alio dicatur esse, nullòne modo hoc cum illo sit, uidendum erit. ut si dicatur aliquid esse cum alio, uel ut in aliquo eodem subiecto: ueluti iusticia & fortitudo in animo insunt. uel in eodem loco, uel in eodẽ tempore, & nullo modo id quod queritur de his uerè dicatur, profectò nullius erit propria & uera ea quæ statuta est definitio: quando quidem nullo modo hoc cum illo est. Sin diuisione adhibita, quot modis aliquid cum altero esse dicatur, uerè sit in eodem tempore utrumq;, uidendum est, an utrumq; minus ad eundem finem pertinere possit. ut si quis fortitudinem definiat, audaciã cum reãtã ratione: fieri enim potest, ut audacia prouectus sit aliquid spoliandi, cum reãtã ratione ac intelligentia de rebus salubribus sit præditus. Atqui non habebitur fortis is, qui eodem tempore hac re cum illa ualebit. Iam uerò illud etiam, an ad idem utrumq; referatur, ut ad res medicas. nihil enim prohibet aliquem audaciam & reãtam intelligentiam ad medicinam afferre: cum interim fortis non erit is qui hoc cum illo coniunxerit. neq; enim ad diuersa utrumq; eorum referri debet, neq; ad quamuis eandem rem, sed ad finem fortitudinis: qualia sunt belli pericula, aut si quis alius magis ei propositus est finis. Sunt autem quædam, quæ nõ in eam quam

quam exposui cadant diuisionem. ut si ira ægritudo est cum contemptus opinione: hoc enim declarat, ex opinione eiusmodi nasci ægritudinem. hoc autem ex illo nasci, nõ idem est quod hoc cum illo esse, ullo genere eorum que exposita sunt à nobis. Rursus si quis definiendo, aliquarum rerum concretionem, totum esse dixerit, ut corporis & animi concretionem esse animal: illud uidendum est, an qualis sit cõcretio explicarit. ut si quis definiendo carnem uel os, dixerit esse ignis, terræ, aerisq; cõcretionem. neq; enim satis est concretionem dicere, sed qualis ea sit exponendum est: quandoquidem nõ si quouis modo hæc ipsa coalescant, continuo caro nascitur: sed si hoc modo coalescant, caro: sin illo modo, os gignitur. Quamquam neutrum eorum idem uidetur esse quod concretio, præsertim cum omni cõcretioni diremptio & dissolutio contraria sit, neq; sit ulli eorum quæ exposuimus. iam si æquæ probabile est, esse omne quod concretum est concretionem, aut nullum: nullū autem animal, quorum unumquodq; concretum est, concretio est: ne ullum quidem eorum quæ concreta sunt, concretio erit. Præterea si pari ratione alicui conuenire natura sua solent contraria, & altero rē definiendo aperuerit aliquis: certe nõ uera erit definitio: sin secus, profecto plures eiusdē rei definitiones erunt. Quis enim hoc potius, quam altero, rem definierit, quandoquidē æquæ in eodem utrunq; reperiri solet? Ex quo genere est illa animi definitio, natura capax sciētiæ. pari enim ratione ignorationis est capax. Quod si cui ad totam definitionē euertendā nullum suppetat argumentū, propterea quod totū obscurum est, et abstrusum, is ad partem aliquam, quæ nota erit, & non recte explicata

M

uideatur,

uideatur, omnem argumentationem dirigerè debet. e-  
 uersa enim parte, tota etiam euerteretur definitio. Quæq;  
 obscuræ sunt definitiones, eas ita omnes exquirere ac  
 considerare debemus, cõrrigendo & restituendo, ut &  
 aliquid lucis & argumentorũ copiam afferamus. neces-  
 se est enim eum qui respõdet, aut quod ab eo qui interro-  
 gat assumitur, approbare: aut certè ipsum quod tandens  
 definitione aperiatur, exponere. Iam uerò quemadmo-  
 dum in concionibus legem soliti sunt ferre, quæ si melior  
 sit, superiorem abrogat: sic in definitionibus faciendus  
 est, aliaq; inducenda est definitio. Si enim uerior uidea-  
 tur, magisq; id quod definitur declarare, certè euersa e-  
 rit prior: quando quidem non sunt eiusdem rei plures de-  
 finitiones. Ad omnes autè definitiones non minima in eo  
 uis est, si id de quo agitur, ipse tecũ consideratè definiat:  
 aut definitionem quæ rectè tradita & explicata sit, assu-  
 mas. nam ut maior quædam nobis argumentorum copia  
 suppetat, necesse est quasi exemplar, & quid in definitio-  
 nibus prætermissum sit, & quid redundet, intueri. Ac  
 de definitionum quidem locis, hæc tenus.

TOPICORVM LIB-  
 er Septimus.

CAPVT I.



**N**unc, utrum id de quo agitur idem sit, an  
 alterum, eo genere quod de eodem maxi-  
 mè propriam exposui, dicendum est. Idem  
 autem maximè proprie dixi, quod unum  
 est numero. Ac primus locus sumitur ex  
 casibus, coniugatis, & contrarijs. Si enim iusticia &  
 fortitudo

fortitudo idem sunt, iustus & fortis idem erunt, & iuste idem quod fortiter. Eadem est contrariorum ratio. Nam si quæ eadem sunt, eorum etiam contraria eadem erunt, in quavis repugnantia earum quas exposui. nihil enim interest, buic an illi contrarium sumatur, quãdoquidem eadem sunt. Alter locus ex ijs ducitur, quæ uim habent efficiendi quid, uel interimendi: itemq; ex ortu & interitu, & uno nomine ex ijs in quibus est aliqua unius ad alterum affectio. Quæ enim omnino eadem sunt, eorum etiam origines & interitus ijdem sunt, & ea quæ uim habent efficiendi, & ea quæ interimendi. Atq; etiam illud uidendum est, an quorum alterũ maxime quiduis dicitur, eorum etiam alterũ eodem modo dicatur maxime. Quemadmodum Xenocrates beatam uitam & rectam eandem esse docet: quandoquidem recta & integra uita, & beata, maxime una ex omnibus expetenda est: unum enim esse quod maxime expetatur, & quod maximum sit. Quod idẽ in cæteris eiusdẽ generis contingit. Sed illud intelligendũ est, utrunq; eorum quæ maxime expetenda esse, aut etiam maxima dicentur, unũ numero esse oportere. Sin secus, esse idem non docebimus. non enim si Græcorũ fortissimi sint Peloponnesij & Lacedæmonij, continuo Pelopõnesios & Lacedæmonios eosdẽ esse necesse est: quandoquidẽ non unus numero est Peloponnesius & Lacedæmonius, sed unum alterum complectatur necesse est, quemadmodum Lacedæmonios Peloponnesij: aliter enim fiet, ut si alteri alteros non complectantur, ipsi inter se meliores sint. nam necesse est Lacedæmonijs meliores esse Peloponnesios, si alteri alteros non complectantur: sunt enim cæteris omnibus præstantiores.

Itemq; Peloponnesijs antepouuntur Lacedæmonij, quod-  
 niam ipsi cæteros uincunt. ita fiet, ut alteri alteris præstã-  
 tiores sint. Perspicuū est igitur, unum numero esse oportere id quod optimum & maximum dicitur, si futurum est ut idem esse doceatur. Itaq; Xenocrates non demonstrauit, quando quidem non eadem numero est beata & recta uita. nõ igitur necesse est eandem esse uitam, quod utraq; expetenda sit maximè, sed alteram ab altera contineri. Rursus uidendum est, duobus propositis, si quid et unum eorum idem sunt, an etiam id et alterū idem sunt. si enim ambo non idem ualent, quod aliquid quod idem est, profectò eadem ipsa non erunt. Iam ex attributis rerum, & ijs rebus quibus hæc ipsa attributa sunt, ducenda sunt argumenta hoc modo: Duobus propositis, quæ uni attributa sunt, eadem omnia alteri etiam attribui debent. Et quibus unum eorum attributum est, etiam alterum attribui debet. Et si quid horum absit, profectò ea quæ proposita sunt, non sunt eadem. Videndum est etiam, an in uno genere categoriæ minus utrunque numeretur, unumq; qualitatem, alterum quantitatem, aliud relationem indicet. Illud etiam, an utriusq; minime sit idem genus, sed unum bonum, alterum malū: aut hoc uirtus, illud scientia. Aut si genus idem, eadēne minus sint differentia, quæ de utroq; dicantur: sed de hoc, quæ rem animo cernit scientia, de illo ea cuius opus est in agendo. Quod idem in cæteris omnibus uidendum est diligenter. Ex maiore hoc modo ducentur: Si unum relationem habet, alterum non habet: aut si utriq; habet, sed nõ simul. quemadmodum qui uehementius amat, non magis concubitus appetit: ita non idem est amor, quod concubitus appetitio.

petitio. Ex adiunctione hoc modo: Si utrumq; ad idem additum, idem totum nõ faciat & reddat. Aut si eadem re ab utroq; detracta, quod reliquum est, aliud manet. ut si quis duplum simpli, & multipulum simpli idem esse dicat, deiuncto enim ab utroq; simplo, quæ reliqua sunt idem declarare debent; neq; declarant, cum præsertim duplum & multipulum non idem efficiant. Neq; uerò id modò uidendum est, an ex proposito iam aliquod incommodum efficiatur; sed illud etiam, an ex fictione possit aliquid tale effici. Quod ij suscipere coguntur, qui inane aliquid & plenum aeris idem esse dicunt. Perspicuũ est enim, si aer euadat & abeat, non minus inane, quin etiã magis futurũ esse: quo tamen tempore nil est aere plenũ. Ergo posito aliquo, siue quod falsum, siue quod uerũ sit, nihil enim refert, si alterum tollatur eorũ, alterũ non itẽ, eadem illa non erunt. Atq; ut summatim cõplectar, in ijs quæ de utroq; quouis modo dicuntur, & in quibus hæ ipsa dicuntur, illud considerandũ est, aliquõne loco hæ discrepent. Quæ enim de uno eorum quæ eadem sunt dicuntur, ea de altero etiam dici debent omnia: & in quibus unum dicitur, alterum etiam dici debet. Et quoniam multis modis idem dicitur, an alio genere, aliaq; ratione eadem sint, uidendum est. Quæ enim eiusdem generis uel speciei sunt, ea non eadem numero sunt necessariò. In eo genere nõcne eadem aliqua sint, considerabimus. Postremo, si unum sine altero coherere potest, certè non idem ualebunt. Ac loci qui ex eodem ducuntur, expositi sunt. Ex ijs autem quæ adhuc exposita sunt, intelligi potest, omnes locos qui ualent ad refutandam quæstionem de eodem & diuerso, esse accommodatos ad refutationem

definitionis. Nam si nomen & definitio non idem delectarent, certe non uera erit quæ constituta definitio est. Eorum autem locorum qui ad confirmandum quid sumuntur, nullus ad definitionem probandam ualet. Non enim satis est ad confirmandum definitionem idem esse id quod definitioni, nominiq; quod definitur subiectum est, docere: sed cætera omnia quæ proposuimus, complecti debet definitio. Sic igitur definitionem, ex ijsq; locis euertere debemus. Quod si probare eam & constituere uelimus, primum intelligendum est, neminem, aut paucos certe eorum qui disputant, definitionem per ratiocinationem tractare & concludere solere, eamq; omnes principia initioq; sumere. cuiusmodi sunt geometriæ, et ij qui in numerorum ratione uersantur, cæterisq; disciplinis generis eiusdem. Deinde illud intelligendum est, non esse huius disputationis subtiliter explicare, quid sit definitio, & quemadmodum sit definiendum. Nunc quidem quo ad hic locus postulare uidetur, eatenus hoc solum dicendum est, & definitionem & uim naturamq; rei per ratiocinationem posse concludi. Nam cum definitio oratio sit, quæ quid sit res explicat, eaq; sola quæ in definitione dicuntur in natura rei dici debeant: (dicuntur autem de natura rei genera & differentia) profecto si quis ea solum sumat quæ de natura rei dici debent, quæ hæc ipsa complectetur oratio, definitio sit necesse est. Non enim aliud definitio esse potest: quando quidem nihil aliud in rei natura dicitur. Ergo illud quidem perspicuum est, definitionem per ratiocinationem posse concludi. Quibus autem ex locis sumenda sint argumenta ad constituendam definitionem, alijs libris accuratius exposuimus: ad

hunc

Hunc autem locum pertinent qui sequuntur. Ex ijs enim contrarijs quæ aduersa dicimus, & cæteris contrarijs elicienda sunt argumenta, siue totam definitionem, siue singulis partes spectemus. nam si opposita & cõtraria oppositi definitio est, ea etiã quæ statuta & posita est, eius sit de quo agitur necesse est. Quoniam autem aduersorũ plures sunt coniunctiones, sumenda est ex aduersis quæ contraria definitio uideatur maxime. Ac ex tota quidena definitione argumenta, quemadmodũ exposui, trahenda sunt. Ex partib. autẽ hoc modo, & primum ex genere: Si contrarium in contrario est, id autem de quo agitur, non est in eodem, certẽ in cõtrario genere erit: quãdoquidena necesse est, contraria aut in eodem genere esse, aut in contrarijs. Atq; etiam contrarias differentias de contrarijs dici æquum putamus, ut exempli causa, de albis et nigris, quorum de his quod uim habet comparãdi, de illis quod uim habet dissipandi aspectus dicitur. ita si de contrario contrariæ dicitur, profectò de eo quod propositum est, eæ etiam differentia quæ statuta sunt, dicentur. Ex quo fit, ut quoniam & genus & differentia rectè explicatae sunt, definitio uera sit quæ data est. Aut nõ necesse est, in cõtrarijs contrarias dici differentias, nisi in genere eodẽ cõtraria reperiãntur. Quorũ autẽ cõtraria sunt genera, nihil prohibet eandem differentiam de utrisq; dici, ut de iusticia & iniusticia: quorum illa uirtus, hæc uitiũ animi dicitur. Ita animi differentia in utroq; dicitur, quoniam corporis etiã sua uirtus est, & uitiũ. Hoc igitur uerum est quidẽ certẽ, contrariorum aut contrarias aut easdẽ esse differentias. Si ergo de contrario cõtraria dicitur, de hoc autẽ non item: profectò in hoc ipso ea quæ statuta est, intelligetur.

intelligetur. Cum autem ex genere et differentijs definitio  
 sit, si contrarij perspicua et clara sit definitio, eius etiam  
 de quo agitur, perspicua claraq; erit definitio. Quoniam  
 enim contrariū in eodem genere est in quo alterum con-  
 trarium, aut in cōtrario; eodemq; modo differentie aut  
 contrarie de contrarijs, aut eadem dicuntur: certē de eo  
 quod in controuersiam incidit, aut idem genus quod e-  
 tiam de contrario dicitur, & differentie contrarie uel  
 omnes uel nonnullae, & ceterae eadem; uel contra diffe-  
 rentie eadem, & genera contraria, uel utraq; cōtraria  
 & genera et differentie, quoniā eadem esse utraq; non  
 possunt. alioqui contrariorū eadem erit definitio. Ex ca-  
 sibus etiam & coniugatis ducuntur argumenta. Genera  
 enim alia alia sequuntur, & definitiones aliae alias, hoc  
 modo: Si obliuio est depulsio scientiae, etiam obliuisci de-  
 pellere scientiam erit; & oblitum esse, idem quod depu-  
 lisse scientiam. Si igitur unum eorum quae dixi, cōcessum  
 sit, cetera etiam concedantur necesse est. Itemq; si interi-  
 tus dissolutio est naturae, interimere etiam erit dissoluere  
 naturam, & accommodatē ad interimēdum idem quod  
 accommodatē ad dissoluendum. Et si id quod uim habet  
 ad interimendum, idem est quod id quod uim habet ad  
 dirimendā naturam, interitus etiam diremptio erit natu-  
 rae. Eadē est ceterorum ratio. Ita fit, ut si unūquodlibet  
 sumptū sit, etiam reliqua omnia concedantur. Ex ijs quae  
 eodem modo inter se affecta sunt, hoc modo; Si id quod  
 salubre est, efficiens est ualeudinis; id etiam quod ualet  
 ad firmam constitutionem corporis, efficiens erit firmae  
 corporis constitutionis; & quod prodest, ad bonum effi-  
 ciendum pertinebit. Eodem enim modo ad suum quicq;

eorum

eorum finem affectum est. Ita si unius eorū definitio est, uim habere ad efficiendū finem, unius cuiusq; etiam ceterorum hęc propria erit definitio. Ex maiore etiā, & ex paribus quot modis licet confirmare, duo cū duobus comparantur, hoc modo: Si hęc magis huius rei, quā illius rei definitio est; quę autem minus uidetur, definitio est; etiam quę magis uidetur, definitio erit. Et si pari ratione hęc huius rei, & illa illius rei definitio est, & una alterius rei est, reliqua etiam reliquę rei erit. Quod si una definitio cum duabus rebus, aut res una cum duabus definitionib; conferatur, nullus huius loci usus erit. neq; enim duarum rerum una definitio, neq; duę unius rei definitiones esse possunt. Maxime autem apti et accommodati sunt ex omnibus loci ij qui modò expositi sunt, & qui ex casibus coniugatisq; sumuntur. Itaq; ij maxime in mente & cogitatione defixi atque parati esse debent (maxime enim apti sunt ad multas quęstiones) atq; etiam ex ceteris omnibus ij qui latissime patent, quoniam ex ceteris omnibus ualent plurimum. ut si propositis rebus singulis & formis, uideas, an in ea omnia conueniat definitio, quando quidem synonyma est species. Qui quidem locus contra eos etiā ualet, ut supra dixi, qui ideas esse ponunt. Iam si per translationem nomen quod definitur dixit, aut idem de se dixit ut alterum; & si quis alius locus late pateat, firmusq; sit, is adhibendus est.

## CAPVT II.

Difficilius autē esse confirmare & probare quā res fellere definitionē, ex ijs quę deinceps dicemus perspicere poterit. neque enim facilis est cognitu definitio; neque ij quos interrogamus, libenter dant propositiones eiusmodi.

Forum quæ data definitio cõplectitur, unum genus esse,  
 alterum differentiam: & in natura rei genus differen-  
 tiasq; dici, sine quibus ratiocinatione concludi nõ potest  
 definitio. Nam si quædam etiam alia in rei natura dicantur,  
 certè dubiũ est, eãne quæ statuta est, an alia eius defi-  
 nitio sit: quandoquidem definitio oratio est, quæ quid res  
 sit explicat. Quod etiam ex his intelligi potest, quia faci-  
 lius est unum quàm plura concludere. Ac ei quidem qui  
 euerit, satis est in unum dirigere argumentationẽ: quippe  
 cum si unum qualecunq; refellamus, euerimus defini-  
 tionem. At uerò ei qui confirmat, omnium eorum quæ defi-  
 nitio complectitur, necessaria concursio est. Præterea ei  
 qui probat definitionem, de toto genere tractanda est  
 ratiocinatio. Debet enim de omnibus definitio dici quæ  
 nomen complectitur: & præterea uicissim, de quib. defi-  
 nitio, nomen etiam dici debet, si futura sit propria quæ  
 est statuta definitio. At ei qui refellit, non est necesse de  
 toto genere monstrare. Satis est enim docere, non uerè  
 dici de aliquo eorum quæ nomini subiecta sunt definitio-  
 nem. Quod si totum & omnino refellendũ sit, certè non  
 necesse est reprehendendo reciprocari argumentatio-  
 nem. Satis enim est cum qui refellit omnino, ostendere in  
 aliquo eorum quæ nomen complectitur, definitionẽ non  
 intelligi: contraq; non necesse est docere, de quibus ora-  
 tio dicatur, nomẽ non dici quod definiatur. Iam si omni-  
 bus etiam quæ nomen complectitur, conueniat, non solis  
 autem ijs, definitio euersa erit. Similis est ratio proprii  
 & generis. Vtrunq; enim eorum facilius refellitur, quàm  
 probatur. Atq; id quidẽ de proprio, ex ijs quæ dicta sunt  
 perspicere potest. ferè enim in cõiunctione explicatur pro-  
 prium,

prium. Ita uno uerbo reprehenso licet refelleret ei qui  
 probat propriū, omnia concludenda sunt necessariō. Cæ-  
 tera autē omnia ferē quæ ad definitionem, ad propriū  
 etiā conueniet assumere. Eum enim oportet qui probat,  
 omnibus ijs quæ subiecta sunt nomini, docere conuenire.  
 At eum qui refellit satis est uni docere non conuenire, et  
 si cōueniat omnibus, at non solis, hoc etiam pacto repre-  
 hensum erit, quemadmodum in definitione diximus. Ge-  
 nus autem uno modo licet probare, si omnibus cōuenire  
 doceamus, refelli autē duobus. Nam & si nulli, & si cui  
 doceatur non conuenire, euersum erit. Iam eum qui pro-  
 bat, non satis est ipsum inesse monstrare: sed eum etiam  
 oportet quare ut genus in sit, ostendere. At eum qui refel-  
 lit, satis est non inesse docere in aliquo, uel in nullo. Vi-  
 detur autē, ut in cæteris rebus facilius est dissipare quā  
 dissipata & dispersa cōnectere, sic in his refellere quā  
 probare. Accidentis porrō uniuersa quæstio, facilius re-  
 futatur quā confirmatur. Confirmando enim docen-  
 dum est conuenire omnibus: in refutatione satis est, unū  
 ostendere non conuenire. Contrā quæstio quæ in par-  
 te proponitur, facilius confirmatur quā reprehendi-  
 tur. Ad probandum enim satis est alicui docere conue-  
 nire: refutando autem nulli conuenire docendum est.  
 Atque etiam illud perspicuum est, quid ita facilima sit u-  
 na ex omnibus refutatio definitionis. plura enim quā  
 pleraque eorum quæ exposuimus, complectitur. atque ex  
 pluribus facilius efficitur conclusio: quoniam in multis  
 sæpius quā in paucis rebus error uersari solet. Præ-  
 terea ad definitionem euertendam ex alijs argumenta  
 sumi possunt. siue enim oratio non est propria, siue non

est genus quod datum est, siue aliquid eorum quæ cõple-  
 titur non conueniat, euerſa erit definitio. At uerò ad cæ-  
 tera refutanda, neq; ea quæ ex definitionibus existunt,  
 neq; alia sumi possunt omnia. Sola enim ea quæ ad acci-  
 dens sumuntur, ei sunt cum cæteris omnibus communiat  
 quippe cum inesse & conuenire omnia debeant. Si uerò  
 genus non ut proprium conueniat, non idcirco genus eo  
 uersum erit. Item q; non necesse est propriū ut genus, neq;  
 accidens ut genus uel proprium cõuenire, sed solūm con-  
 uenire. Ita fieri non potest, ut ex cæteris ad alia, nisi ad  
 definitiones, argumenta ducantur. Perspicuū est igitur,  
 definitionis unius ex omnibus & refutationē facillimam  
 esse, & difficilimā probationem, nam effici & illa con-  
 cludi debent omnia. Siquidem cõuenire illa ipsa ex qui-  
 bus cõstat, docendum est, & genus esse id quod affertur,  
 & propriam esse orationem, & præterea rei naturam  
 declarari oratione, atq; id præclare factum esse. Ad de-  
 finitionis hanc naturā proximè ex reliquis accedit pro-  
 prium, nam & facillimum est ad refutandum, quod fere  
 constat ex multis uerbis: & ad probandū difficilimum,  
 quod multa concurrere & quasi conuenire debeant,  
 quodq; soli rei insit, & cum ea reciprocetur. Omnium  
 autem accidens facillimum est ad probandum. Cum eo  
 nim cætera non solūm conuenire docendum sit, satis est  
 ostendere conuenire et inesse accidens: difficilimeq; ac-  
 cidens refellitur, propterea quod per pauca completi-  
 tur, neq; enim declaratur in accidente, quomodo conue-  
 niat. Itaq; cætera omnia duobus modis refelli possunt, et  
 docēdo non conuenire ea, & non hoc uel illo modo con-  
 uenire. Accidens autem refutari non potest, nisi ostenda-

tur non  
 quibus  
 torum,



deinde  
 mo hæc  
 dem pb  
 gumen  
 hoc tot  
 sunt D  
 exqui  
 ficitur  
 hoc non  
 conuen  
 prouid  
 operan  
 cum re  
 tur qu  
 dem ex  
 bris ex  
 queren  
 que pr

tur non conuenire. Ac loci quidem ferè expositi sunt, ex quibus nobis ad quamq; quæstionem magna argumentorum suppetet copia.

TOPICORVM LI-  
ber Octauus.

CAPVT I.



Equitur, ut de dispositione & ordine argumentorum, interrogandiq; ratione dicendum esse uideatur. Primum quidem locum ex quo argumentū sumat, inuenire debet is qui quæstionem positurus est: deinde quærere ipse per se, & disponere omnia: postremo hæc omnia apud alios tractare et eloqui. Ac loci quidem philosopho cum dialectico cõmunis inuentio est: argumentorū autem dispositio & interrogatio, quoniam hoc totum, alterum qui cõtrā disputet, requirit, propria sunt Dialectici. Philosophus enim, quiq; per se & solus exquirat omnia, modò uera sint, & nota ea ex quibus efficitur conclusio, non laborat, an qui contrā disputat, uel hoc nomine maxime non cõcedat, quòd finitima sint & coniuncta ijs quæ à principio proposita sunt: & quòd prouideat, quid effici concludiq; oporteat. Quin etiā dat operam, ut quàm clarissima sint, maximeq; coniuncta cum re pronuntiata: quippe cum ex his talibus conficiantur quæ scientiam gignunt ratiocinationes. Ac loci quidem ex quibus ducenda sunt argumenta, superioribus libris expositi sunt à nobis. Nunc de eorum dispositione, quærendiq; ratione ita dicemus, si ante eas propositiones quæ præter necessariis reliquæ sunt, partiamur. Neces-  
sarie

*farie autem dicuntur ea, ex quibus ratiocinatio constat. Quatuor autem genera sunt earum quæ præter has assumuntur. Aut enim inductionis gratia, ut quod uniuersum est detur: aut augendæ & amplificandæ argumentationis, aut occultendæ celandæq; conclusionis, aut illustrandæ aperiendæq; orationis causa omnis propositio sumitur, præterea nulla. Sed eò omnis diligentia conferendâ est, ut his ipsis uel argumentatione amplifcemus, uel in interrogâdo utamur. Quamquã autem eas quæ occultandæ conclusionis causa assumuntur, certandi studio adhibemus; eis tamen, quoniam hoc totum huius artis munus cum altero transigendum est, uti necesse est. Necessarias igitur, ex quib. conficitur ratiocinatio, non statim proponere, sed longè ad summâs proficisci debemus. non enim debet aliquis, exempli causa, contrariorum quæ aduersa dicuntur, eandẽ artem esse sumere, etiam si id uelit, sed omnino contrarium. Hoc enim concesso & posito, etiam aduersorũ eandem artem esse concludet; siquidem aduersa subiecta sunt contrarijs. Quòd si non concedat, tum per aduersorum singulorum inductionem tractada erit argumentatio. Nam aut ratiocinatione, aut inductione sumendæ sunt necessariae propositiones; aut quædã ratiocinatione, quædam inductione. Quæq; ualde perspicuæ et clare sunt, eas præponere debemus, propterea quòd obscurior est semper magisq; dubia in recessu & in inductione conclusio. Atq; mox ipsis necessarijs proponere; si quis sumere illo modo non possit, est maximè expeditũ. Quæ autem præter necessarijs enumeratæ sunt, & illarum ipsarum causa sumi debent, et ita adhiberi, ad inducendum quidem; ut à singulis ad uniuersas & generales,*

à non

non dubijs clarisq; ad obscuras dubiasq; perueniamus  
 inducendo. Clariora autem sunt ea quæ sensui subiecta  
 sunt, aut per se, aut certè plerisq; ad celadã autem con-  
 clusione, ut antè fiat de ijs ratiocinatio, ex quib. id quod  
 initio propositũ est, cõcludi efficiq; debet. Quod ita fiet,  
 si quis non solũ necessarias, sed aliquam etiam earum  
 quæ ad illas utiles erunt, cõcludat. Illud etiam proderit,  
 cõclusiones tacere, easq; pòst quasi per coacervationem  
 omnes colligere syllogismo. Sic enim à primo proposito  
 aberrabit lógissimè. At ut in summa dicam, eum oportet  
 qui obscure uult interrogare, ita hoc præstare, ut inter-  
 rogata iam tota oratione, effectaq; cõclusionẽ, alter cau-  
 sa quæ sit requirat. Idq; ex superiore loco efficitur faci-  
 limè. Si enim sola ultima conclusio pronuncietur, incer-  
 tum erit, quemadmodum efficiatur: quòd is qui contra  
 disputat, unde efficeretur non prouideret, cum priores  
 ratiocinationes in mēbra digestæ non essent. Minimè au-  
 tem digeritur in membra ratiocinatio conclusionis tum,  
 cum eius sumptiones non enumerantur & disponuntur;  
 sed illa ex quibus probantur illius syllogismi sumptiones.  
 Vtile erit etiam, non continenter propositiones sumere  
 ex quibus ratiocinationes constant, uicissimq; aliam &  
 aliam efficere conclusionẽ. Collatis enim unum in locum  
 ijs omnibus quæ apta sunt ad aliquid concludendum, fa-  
 cilis quid ex eis efficiatur intelligi potest. Atq; etiam ge-  
 neralis quædam ex definitione non eorum de quibus a-  
 gitur, sed coniugatorum, sumenda propositio est. Falsa  
 enim conclusione se ipsi capiant ij qui respondent, cum  
 coniugati sumitur definitio, quasi uniuersam generalẽq;  
 minimè concedant propositionem: ut si hoc sumendum  
 sit,

fit, eum qui irascatur, appetētem esse ultionis, sumaturq; ira libido esse puniendi eum qui contempsisse uideatur. certē sumpto hoc, omnino quod uolumus habebimus. At si quis definitionem afferat eorum de quibus agitur, ferē fit, ut is qui respōdet ei resistat, quōd faciliōr sit in his occurrendi ratio. Cuius generis illud est: Non omnes qui irascuntur, pœnam appetere: nos enim parentibus irasci, neq; eos supplicio affici optare. Et quanquā non uideatur uerē hoc loco occurri, propterea quōd nōnullis satis grauis pœna est, aliorum molestia & pœnitentia: habet tamen aliquid probabilitatis & auctoritatis, ut non sine causa propositum negatum esse uideatur. Definitioni autem iræ tā facile resisti non potest. Præterea is qui quæstionem ponit, ita proponere debet, ut non ad id de quo agitur, sed aliō quod affert pertinere uideatur. Declināt enim omnes qui respondent, ea omnia quæ ad propositū pertinent. Dare etiam operam debet, ut quā maxime incertum sit, utrum id de quo agitur, an eius contrarium uelit sumere. Cum enim quid ad propositum pertineat obscurum est, neq; apparet, tum facilius concedunt quod illis probatur. Iam uerō ex similitudinis collatione interrogandi erunt, quoniam & uerisimile est: & uniuersares quam uult quispiam concludere, obscurior & occultior redditur. uelut, quemadmodum ars & inertia eadem est contrariorum, sic sensum eundem uersari in contrarijs: aut contrā, quando sensus in contrarijs rebus cernitur, etiam artem. Quod quidem genus finitimum est inductioni, non idem tamen ualet. Illic enim ex rebus singulis ad uniuersas peruenitur, in similitudine autem non peruenitur ad uniuersas, in quib. similia omnia continentur.

tinentur. Ipse etiam sibi interdum debet resistere. susce-  
 Etos enim non habent eos qui æqui in disputando uiden-  
 tur. Utile est etiã si dicat, ea se proponere quæ usitata &  
 trita sunt, in omniumq; ore uersantur. neq; enim audent  
 usitata repudiare & tollere, quòd quid contrà obijciãt,  
 non habent; & quia hæc illis usitata sunt, haud pericu-  
 lum est ne ea reprehendant. Iam & studium nostrum in  
 aliqua re sumēda dissimulare, etiam si utile sit, debemus.  
 ijs enim qui magnum studium in aliqua re ponunt, resi-  
 stunt libentius. Et similitudinum collatione proponeret  
 quia facilius concedunt rem in alio, quàm per se proposi-  
 tam. Magna etiam uis in eo est ad probandum obscure  
 quod uolumus, si id non proponamus quod sumendū est,  
 sed id quod illud consequitur necessariò. Facilius enim  
 dant & cōcedunt illud ipsum, quòd nõ æquè ex eo per-  
 spici potest quid sit efficiendū; quo tamen sumpto, etiam  
 illud sumptum erit. Illud etiam plurimū ualet, extremo  
 loco id proponere, quod in primis efficere uelimus. Solēt  
 enim omnes primæ disputationi resistere acrius, & dili-  
 gentius: propterea quòd omnes qui disputant, ea in pri-  
 mis proferre solent, in quibus maius studiū curamq; po-  
 suerūt. Quanquam apud nonnullos hæc quæ ad rem ma-  
 ximè faciunt, prima dici debent: cuiusmodi sunt diffici-  
 les, qui quidem ea concedunt facilius, quæ prima dispu-  
 tatione afferuntur, si modò quid sequatur non omnino  
 appareat: ad extrema autem, difficiles se proteruosq;  
 præbent. Quod idem de ijs iudicandum est, qui acutos se  
 putant in respondendo. positis enim concessisq; permul-  
 tis, tumultuantur in conclusione, quasi ex ijs quæ posita  
 sunt, minimè sequatur. Illi autē facile cōcedunt, & freti  
 ingenio

ingenio suo, & rati nullum se incommodum consecuturum. Postremo producenda erunt, & amplificanda, interijciendaq; in argumentatione ea omnia, quæ nihil ad rem pertinere uidebuntur. Id quod ij soliti sunt facere, qui falso aliquid describunt & delineât: Nam cum multa sunt, difficilis est falsi dyudicatio. Itaq; celant & obscurant rem interdum ij, qui obscure utuntur interrogastionibus, ea quasi in cumulo occulta proponentes, sumentesq; quæ nuquam per se ac singula darentur. Atq; ex his locis argumenta ducenda erunt, ad celâdam dissimulandamq; conclusionem. In ornanda autem amplificandaq; disputatione, rerum finitimarû & coniunctarum adhibenda inductio atq; diuisio est. Inductio quidem quid sit facile perspicitur. diuisio autem talis est, ut artem arte præstantiorem esse, aut quia certior sit, aut quia in rebus melioribus uersetur. Et artium alias esse, quarum omne opus est in cognoscendo: alias, quarum in agendo: alias, quarum in faciendo. Hæc enim & ornatum afferunt orationi, nec necessaria sunt ad efficiendam cõclusionem. Dilucidam autem & perspicuam argumentationem facient, exemplû, similitudinisq; collatio. Exempla autem propria, & ad rem apta esse debêt, & eiusmodi, ex quibus res intelligatur. cuiusmodi illa sunt quæ Homerus, nõ quæ Chærilus commemorat. Sic enim notius erit & clarius id quod proponitur. In differendo autem ratiocinatione utendum erit apud Dialecticos potius, quàm apud multitudinẽ: inductio contra magis multitudinem commouet. Sed de his generibus iam dixi. In quibusdã rebus facile potest is qui inductione utitur, inuenire id quod totum dicitur: in alijs non facile potest, quod omnib; similitudinibus

titudinibus non est cōmune nomen impositū. Quinetiam  
 tum genus uniuersum cōcludi debet, eandēq; ceterorum  
 similiarum rationem aiunt esse, tum id profectō difficili-  
 mum est, quæ nam eorum quæ cōmemorata sunt eiusdē  
 sint generis, quæ non sint, explicare dicendo. Ob eamq;  
 causam saepe disputantes inter se dissident & hærent, dū  
 alij similia esse cōfirmant, quæ non sunt similia: alij simi-  
 lia num similia sint, ambigunt. Quocirca in his omnibus  
 omni ratione efficiendum est, ut nomina fabricentur, ut  
 nec ei qui poscit quæstionē, num eius quod affertur non  
 sit similis ratio, hæere liceat: nec ei qui rogat, calumniari,  
 eandem esse rationem, quod multa eorum quorū simi-  
 lis ratio non est, eodem modo dici uideantur. Cum autem  
 inductione multarum rerum adhibita, non dat alter id  
 de toto genere, tum æquum est, ut aliquid cōtrā obijciat,  
 postulare. Quod si in aliquibus nō doceas hoc modo com-  
 tingere, non erit æquum rogare, quorum tandem non sit  
 similis ratio. Primum enim argumentatio per inductio-  
 nem tractāda est, tum postulandum ut resistatur. Sed po-  
 stulandum est, ut occurratur nobis non in eo ipso quod  
 proponitur, nisi fortē unum est solū eius generis: ut duo,  
 sunt tātummodo parū numerorū primum. debet enim is  
 qui resistit, in alio genere resistere: aut certē dicere, hoc  
 uel illud solum esse ex eo genere. Quod autē ad eos atti-  
 net, qui in toto genere occurrūt nobis: nec in eodē gene-  
 re occurrunt, sed in eo quod eodē nomine, sed ambiguo  
 continetur (ueluti habere aliquē non suum colorem, aut  
 pedem, aut manum, quoniā & pictor habeat non suum  
 colorem, & cocus nō suū pedē) in his omnibus diuisione ad-  
 hibita interrogare debemus, nā si ambiguū lateat, necq;

aperiatur, rectè in propositione nobis uidebitur resistere. Quod si in simili genere, nõ in ambiguo resistens, nostrum labefactet rogatum, detracto eo in quo resistet nobis, quod reliquum est in toto genere ualere docebimus, dum quod cõmodum est effecerimus. Quod in obliuionis uerbo, & oblitũ esse, animaduerti potest. Non enim concedunt cum oblitum esse, qui artem amiserit, eo quod casu & interitu rei eam amiserit, non oblitus est tamẽ. Quod ergo reliquum est, dempto eo in quo occursum est nobis, commemorari debet. ut si quis remanente re, artem amiserit, eum oblitum esse. Eodemq; modo de ijs iudicandũ est, qui hoc loco nobis occurrũt: maiore bono maius malum esse contrarium. Proferunt enim ualetudinem, quæ cum minus sit bonum quàm firma corporis cõstitutio, tamen ei maius bonum contrariũ est: morbum enim maius malum esse infirma affectione corporis. Ex his etiam id detrahendũ est, in quo occurritur. eo enim sublato, facilius licebit proponere: ut maiori bono maius malum contrarium esse, nisi unum alterum unã secum inserat, ut firma corporis affectio ualetudinem. Quod idem faciendũ erit non solũ si quis nobis occurreret, sed etiam si non occurreret, & tamen id negabit & abnuet, quod aliquid tale provideat, quod iure cõtrã obijci possit. Sublato enim eo in quo nobis resistit, dare & concedere cogetur: id quod reliquum est, quod in eo quod reliquũ est aliquid contineri, quod non sit ita, minimè animaduertat. Quod si dare nolit, etiam tum cum petitũ est ut resisteret, certè quo resistat nobis non habebit. Sunt autẽ propositiones eiusmodi, quæ quadam ex parte falsæ sunt, quadam ex parte ueræ: in quibus eo quod ex parte est sublato, reliquũ licebit

HERUM

uerum  
nobis  
debet  
parte  
eadem  
ratio  
tur, n  
conclu  
bet ar  
quam  
comm  
reling  
dens &  
negan  
ponun  
ita se  
tẽ id f  
nim in  
tum id  
lent co  
sin sec  
extũ p  
rogati  
tur, id  
non u  
di uid  
fuit eff  
nihil o  
de toto  
genere

uerum relinquere. Si uerò multa proponamus, in quibus nobis minimè resistat, tum ut concedat omnino petere debemus. Propositio enim dialectica est, quæ magna ex parte rem ita habere declarat, neque refellitur. cum autem eadem res & sine incommodo, & cum incommodo per ratiocinationem concludi potest, hoc an illo modo efficitur, nihil ad eum qui necessaria ratione, non probabiliter concludit; is autem qui probabiliter ratione utitur, non debet argumentationem tractare per ratiocinationem, per quam alter incommodo urgeatur. nam et cum nullo incommodo urgent concludendo, nihil controuersie loco relinquunt; & cum incommodo urgent, tum nisi sit euidentius & perspicuum id falsum esse, alij incommodum id negant esse. Ita non habent quod uolunt ij qui questionem ponunt. Proponenda autem sunt ea quæ magna ex parte ita se habent, & refelli aut non possunt omnino, aut certe id facile quasi prima facie perspicere non potest, cum enim in rebus quibusdam non ita esse perspicere nequeunt, tum id quod propositum sumptumque est, quasi uerum sit solent concedere. Nunquam autem queri debet conclusio sine secus, cum alter eam negabit, ratiocinatio nunquam ad exitum perducitur poterit. Sæpe enim etiam cum nulla interrogatio & questio ponitur, sed ut consequens concluditur, id negatur effici. quod cum faciunt illi, certe ab ijs qui non uident quid ex concessis sequatur, minimè reprehendi uidentur. Cum igitur unus rogat, neque id autem ex ante positis effici, alter autem negat omnino, tum ratiocinationi nihil omnino loci relinqui uidentur. Neque uerò quicquid de toto genere dicitur, dialectica propositio est: ex quo genere illud est, Quid est homo; aut hoc, Quot modis bo-

num dicitur? Propositio enim dialectica est, ad quam respondere licet, etiam, aut non: quod non licet ad superiora res. ita non est dialectica questio, nisi is qui proponit, facta ante definitionem, diuisione hunc in modum roget: An bonum hoc uel illo modo dicatur? Quam quidem questionem licet uel negare, uel concedere. Quocirca eniterandum est, ut ita, ut dixi, omnes hæc ponantur questiones. Quin illud etiam par est ab illo requirere, quot sint bonorum genera, quando explicatione & diuisione adhibita à nobis, ille nullo modo concedet. Qui autem in una ratione interroganda multum temporis immoratur, is inscienter querit. Nam si is qui rogatur, ad rogatum respondere, profecto ille aut plura quam necesse est interroget, aut sepe idem querat necesse est, ita aut nugatur, nihilq; agit: aut ratiocinationem per quam argumentationem tractat, non habet: quãdoquidem ex paucis quibusdam omnis constat ratiocinatio. Quod si minus respondeat, cur eum aut non increpat, aut relinquit? Illud autem intelligendum est, omnia proposita, quæ argumentis per difficulter probantur, eadem facilia esse ad defendendum: cuius generis ea sunt quæ & prima sunt, & ultima ordine naturæ. Nam & prima ac perspicua definitionem requirunt, & ultima multis concludantur necesse est ab eo qui iam inde à perspicuis & primis continuatam seriem argumentorum persequi uelit. Aliter enim fallaces ac captiosæ argumentationes uidebuntur: præsertim cū aliquid doceri non possit, nec demonstrari, nisi à proprijs initijs & principijs capto exordio, usq; ad ultima perueniatur. Ac illi quidem qui respondent, nec rem ipsi uolunt definire: nec si qua proponatur ab interrogante deo

te definitio, facile admittunt. Sed profectò facilis non est differendi ratio, nisi quid sit id de quo instituitur disputatio, intelligatur. quod in principijs contingit maxime, quib. cætera probantur, ipsa alijs non possunt; definitio- neq; aperienda sunt, et cognoscenda necessariò. Difficilia etiã probatu ea sunt omnia, quæ principiorũ uicinitatẽ sequuntur, neq; enim multa, ad ea probãda, argumenta possunt suppetere, cũ pauca interiecta sint inter ipsa & initium, quib. necesse est consequentia omnia monstrari. Definitiones autem eæ ex omnibus eueri possunt diffici- limẽ, quæ uerbis eiusmodi explicatæ sunt, ut primũ du- bium sit, uno modo an pluribus dicãtur: deinde incertũ, utrũ proprie de re quæ definitur dicantur, an per trans- lationem. Nam quia dubiũ est illud, non perspicuũ, inde fit ut nulla argumentorum copia suppetat: hoc aut quia incertum est, an per translationem dicãtur, non possunt refelli qui definitionẽ posuerunt. omnino quæstio omnis si difficilis est probatu, uel definitionẽ requirit, uel in ijs est quæ multis modis, aut quæ per translationẽ dicuntur, aut non longè abest à principijs: aut eo certè difficilis est, quia non est prima facie perspicuũ, quo sit ex genere eorũ quæ exposita sunt, id quod affert dubitationẽ. nam si quo ex genere sit intelligatur, illud etiam intelligetur, aut definitione explicandum id esse, aut diuisionem adhi- bendam, aut inueniẽdas esse medias propositiones, quib. ultima probentur. Pleraq; etiam proposita, nisi rectè tradita & explicata definitione, neq; disputari facile, neq; probari argumentando possunt. quo ex genere il- lud est: Sitne unum uni contrarium, an multa? Quod si contraria definiantur, certè illud facile erit explicare:

sint necne sint plura eorundem contraria. Quod eodem modo iudicandum est de alijs quæ definitionem requirunt. Atq; etiam in mathematicis uidentur quædam non facile describi posse prætermisione definitionis. quale est illud: Eam lineam quæ ad latus planū secat, simili ratione & lineam secare, & locū: quod definitione adhibita facile intelligetur, quoniā & loco & lineæ eadem respōdet, quasi ex altera parte diuisio: quæ quidem illius de qua agitur orationis definitio est. Omnino autem prima elementa definitionibus expositis, ut quid sit lineæ, quid orbis, facile probari demonstrariq; possunt: uerū ad singula eorum probanda non multis argumentis uti possumus, propterea quod non multa sunt media quibus probetur. Definitionibus autem ineriorum prætermisis, uix, aut ne uix quidē, probari possunt. Quod idem fit in ijs elementis quæ differendo adhibentur. Hoc igitur intelligendum est, cum propositū aliquod difficile est probatu, id aliqua de causa earū quas exposui conuenire. Cum autem propositio et enūciatio quæ adhibetur ad aliquid probandum, difficiliorem habebit probationem quàm propositū, dubitare liceat, sit necne sit admittenda. Nam si eam non admittat, sed ei etiam probandæ adhiberi probationē uelit, maius alteri onus imponet, quàm quod erat à principio propositum. Sin eam admittat, ijs certè quæ minus ualent ad faciendam fidem, ipse adducetur ut credat. Ac si quæstio difficilior non reddenda sit, ponenda est: si non dubijs & perspicuis dubia concludenda erunt, non est admittenda. Aut ei qui se dat in disciplina nam, ponenda non est, nisi sit notior: ei autem qui exercitationis gratia disputat, ponenda, si modò uera esse uideatur,

deatu  
 cet, eod  
 qui int  
 rogand  
 tione r  
 officii,  
 dicamus  
 mentati  
 surdiora  
 quantu  
 ne quod  
 nionem  
 à se pro  
 nus pecc  
 bet, de  
 sunt aut  
 cia eorū  
 disputat  
 discipul  
 idem h  
 tiam om  
 semper p  
 nemo eod  
 tandi st  
 aliquid  
 in re ill  
 gressu d  
 tentand  
 adhuc d  
 inuestig

deatur. Ex quo perspicuū est, non esse æquum ut qui docet, eodem modo postulet sibi concedi quæ sumit, quo is qui interrogando disputat. Ac de ratione quidem interrogandi & collocandi satis ferè dictum est. Nunc de ratione respondendi differemus: ac primū, quod eius sit officiu, qui & rectè poscit, & rectè ponit quæstionem, dicamus. Est autem eius qui ponit quæstionem, ita argumentationē tractare, ut eum quicum disputet, cogat absurdiora concedere, quàm quæ ex re proposita consequuntur. Bius uerò qui quæstionem poscit, dare operam, ne quod incommodum sua culpa, aut quod sit contra opinionem omnium, effici uideatur, sed ex ipsa tantū re quæ à se proposita est ad differendū. Aliud enim fortasse genus peccati est, cum quis proponit primū quod non debet, deinde propositum illud defendere non potest. Non sunt autem explicata & constituta adhuc à quo quæ officia eorum, qui exercitationis & periculi faciendi gratia disputant. Neq; enim idem propositum est doctorib. aut discipulis, quod ijs qui certandi studio disputant: neque idem his ipsis, & ijs quorum ad cognitionem & scientiam omnis dirigitur exercitatio. Nam & discipulis ea semper ponenda sunt quæ probātur omnibus: quoniam nemo eò operam confert, ut falsa doceat, at eorū qui certandi studio disputant, is qui quæstionem ponit, semper aliquid facere uideri debet: & is quicum disputat, nulla in re illi cōcedere. Quoniam autem in conuentu & congressu dialecticorum, ijs qui non certandi studio, sed uel tentandi, uel cognitionis gratia inter se differunt, non est adhuc à quoquam, ut dixi, expositum & traditum: quid inuestigare, quid dare, aut non dare oporteat eum qui

poscit quaestionem, ut gnauiter, aut nō gnauiter ac praeclearē decreta sua defendat: nos hoc loco instituimus dicere. Qui igitur respondendi munere fungitur, is quaestionem defendat necesse est, uel probabile, uel non probabilem, uel neutram: ita tamē, ut aut probetur, aut non probetur omnino, uel cum adiunctione: ut huic, uel alij. Quo autem modo probabilis, uel non probabilis sit, nihil interest: quando quidem idem genus retinendum erit praeclearē respondendi ad rogatū, aut dandi aut non dandi rogatum. Ac nō probabile quidem si sit propositum, probabilem: sin probabile, non probabilem necesse est conclusionem effici. Contrarium enim propositi semper concludit is qui interrogat. Quod si id de quo agitur sit eiusmodi, ut nec probetur, nec improbetur, eiusdē generis efficietur cōclusio. Quoniam autem is qui scitē ratio cinatur & concludit, rebus non dubijs & perspicuis id quod dubium est aperit & ostendit, profectō si quando id quod interrogatur, nō sit probabile, omnino non debet is qui poscit quaestionem, neq; id dare quod non probetur omnino: neq; id quod illud quidem probetur, sed minus quā conclusionē: quippe cum propositum, si non probabile sit, conclusio probabilis sit futura. Ita fit, ut ea quae sumuntur, omnia probabilia esse debeant, ac magis probabilia quā id de quo quaeritur: si quidem magis perspicuis minus probabilia uelit concludere. Ita si non sit ex eo genere id quod interrogatur, non id debet qui respondet concedere. Sin autem probabile omnino sit propositum, improbabilis omnino cōclusio erit. Itaq; danda erunt, quae probantur omnia: & eorum quae non probantur, si qua magis probabilia sint conclusionē: sic  
 enim

enim recte disputatum fuisse uidebitur. Quod idem facium  
 dum erit, si nec minus sit probabilis questio, sic enim  
 quæ probantur, danda sunt omnia: & quæ non proban-  
 tur, si qua magis probabilia, quam conclusio, erunt. Sic  
 enim fiet, ut probetur magis disputatio. Ac si id de quo  
 agitur omnino probabile sit, aut non probabile, tum ha-  
 benda crit eorum ratio, quæ omnino probantur. Sin au-  
 tem non omnino probabile, aut non probabile, sed ei mo-  
 dō qui respondet, tum ex ijs quæ ei probantur, aut minus  
 probantur, iudicare debet, quid concedendum aut non con-  
 cedendum esse uideatur. Quod si alterius sententiã defen-  
 dat is qui respondet, certe eius mentem & sententiã spe-  
 ctare debebit, ut quid concedendum sit aut negandum, in-  
 telligat. Itaque qui alienas sententias introducunt, ut bonũ  
 & malum esse idem, ut placet Heraclito, ij non dant in  
 eodẽ simul non inesse contraria: non quod non probetur  
 hoc eis, sed quod Heracliti sententia ita dicendum est.  
 Quod etiam ij faciunt, qui alij ab alijs proposita accipiunt.  
 Exquirunt enim illi, quid sit responsurus is qui rem pro-  
 ponit. Hoc igitur perspicuum est, quæ exquirere is debeat  
 qui respondet, siue omnino probabile, siue alicui sit id  
 quod queritur. Quando autem necesse est omne rogatum  
 aut probabile esse, aut non probabile, aut neutrum, &  
 uel ad conclusionem efficiendam ualere, uel non ualere,  
 rogatum: si probetur, neq; ad conclusionem efficiendam  
 ualeat, id & dare, & probabile dicere debemus. Eo es-  
 nim posito & cõcesso, propositum primum non euertit-  
 tur. Si autem neq; probetur ipsum, neq; ad conclusionem  
 efficiendam ualeat, id quidem dandum est: sed ita tamen,  
 ut non probari id nobis significemus, uitandæ amentie  
 gratia.

gratia. Si uero & probabile sit, & ad rem pertineat, respondendum erit, id quidem uideri & probari: sed propositum adeo finitimum esse, ut eo concesso, propositum tollatur necessario. Si ad conclusionem efficiendam ualeat, & admodum sit improbabile, respondendum erit, conclusionem eo posito et concesso effici: sed stultum id esse quod afferatur. Cum autem nec probabile quid, nec minus probabile rogabitur, tum si ad conclusionem efficiendam nihil ualeat, id dandum erit nulla facta distinctione: sin ualeat, exponendum est, eo posito, sublatum iri id de quo agatur. Sic enim & nihil eius qui respondet culpa factum uidebitur, si quidem quid concedere et dare debebat, semper prouiderit: & is qui questionem ponit, quod uult efficiet, cum ei ea dabuntur omnia, quae magis quam conclusio probentur. Qui autem instituunt argumentationem tractare per ratiocinationem, sumptis ijs quae minus quam conclusio approbantur, ijs quoniam inscienter ratiocinantur, quae rogant dari concedi non debet. Eodem modo eis occurrendum erit, cum res dubias & obscuras, & quae multis modis dicuntur, afferent. nam quonia & qui poscit questionem, si minus intelligat, licet dicere, non intelligo: & quod multis modis dicitur, non necessario id aut concedere aut negare debet: profecto si quid afferatur quod obscurum sit, sine ulla dubitatione & mora se id non intelligere fatebitur. Saepe enim ex eo quod dant et concedunt, ijs quibus obscura nec aperta interrogatio proponitur, absurdum aliquid incidit. Cum autem cognitum apertumque erit id quod multis modis dicitur, si omni ex parte & omnino uerum sit aut falsum quod assertur, id omnino concedi negariue debebit: sin quadam ex parte falsum

falsum  
& in u  
posterio  
ne amb  
attenda  
si ad al  
non ips  
ret & a  
rationi  
rogatur  
respon  
let ad co  
quib. rat  
tur: per  
assumi, c  
per indu  
omnino  
sunt, si u  
obijci  
resistat  
spuand  
stant, ne  
queat, p  
ro si no  
tum m  
Quang  
extant,  
plicatio  
& stad  
traria m

falsum sit, & quadam ex parte uerum, id ambigūe dici,  
 & in illo uere & in hoc falso dici indicabit. nam si id  
 posterius distinguat, dubium erit, an in prima disputatio  
 ne ambigūe perspexerit. Quod si ambiguum uerbū non  
 attendat, idq; tum cum alterius habet rationem cōcedat;  
 si ad alterū impellatur, fateri debet se id concessisse, cum  
 non ipsum illud ad quod uocatur, sed alterum ipse specta  
 ret & attēderet. Cum enim plura eidem nomini & o-  
 rationi subiecta sunt, tum facile existit controuersia. Sin  
 rogatum & planum sit & simplex, aut etiam, aut non,  
 respondendū est. Quoniamq; omnis propositio quæ ua  
 let ad conclusionem efficiendā, aut aliqua earum est ex  
 quib; ratiocinatio conficitur, aut ad aliquā earum refer  
 tur: perspicuum est autem tum alterius probandæ gratia  
 assumi, cum multa similia interrogātur, quippe cum fere  
 per inductionē uel similitudinē id quod de toto genere et  
 omnino dicitur, concludatur: singula omnia concedenda  
 sunt, si uera sint & probabilia; contra uniuersum genus  
 obijciendū aliquid. Impedire enim cursum orationis, nisi  
 resistas uere, aut saltem uideare, hoc est iniquū se in di  
 sputando difficilemq; præbere. Ita si multa similia exi  
 stant, neq; det in toto genere dici tum, cum refellere ne  
 queat, profecto difficilē se proteruumq; præbebit. Iā ue  
 rò si non habeat cōtrarium argumentū ad refellendum,  
 tum multo etiam magis difficilis proteruusq; uidebitur.  
 Quanquā ne hoc quidem satis est. multæ enim rationes  
 extant, sentētij omnium contrariæ, quarū difficilis est ex  
 plicatio. cuius generis est Zenonis ratio, qua tollit motū,  
 & stadij traiectionem. nec uerò propterea eorum con  
 traria minus defendi concediq; debent. Ergo si quis nec  
 contra

contra ullam adferre rationem queat, nec aliquid oppo-  
 nere in quo non ita sit, & tamen non concedat, is profesa  
 Etò iniquum se præbebit in disputando, est enim in dispu-  
 tationibus iniquitas & proteruita, responsio quæ præter  
 modos quos exposuimus, uim habet ad interimendam tola-  
 lendamq; conclusionem. Defendere autè & propositū et  
 definitionē, ita par est, si antè argumēta ipsi in nos quasi  
 aduersariorum tela iaciamus. Quibus enim rationibus  
 infirmāt nostra decreta ij qui ponunt quæstionē, ijs ipsis  
 resistere debemus. Propositum autem non probabile ti-  
 midè defendendum est. Multis autem modis non proba-  
 bile esse potest. nam & id non probabile est, ex quo effi-  
 citur, ut incommoda et absurda quædam fateamur. ut si  
 quis uel omnia, uel nihil moueri dicat: & ea omnia quæ  
 deterior status & cōstitutio sequi solet, & quæ hominū  
 uoluntatibus repugnant. quale illud est: Voluptas est bo-  
 num, & Facere quàm accipere præstat iniuriā. nō enim  
 quasi disputationis gratia defendat: sed tanquā ea dicat  
 quæ probet & sentiat, ita eum oderunt. Argumenta autē  
 quibus falsum concluditur, dissoluenda sunt, infirmando  
 euertēdoq; eo ex quo falsum effectū est. Neq; enim quo-  
 uis sublato argumentū soluitur, ne si falsum quidem sit id  
 quod sit euersum. Multa enim falsa in argumentatione  
 contineri possunt. ut si quis sumat, cum qui sedeat scribe-  
 re, et Socratem sedere: ex his efficitur, scribere Socratē.  
 Euersa igitur hac enūciatione, Socrates sedet, non tamē  
 dissoluta & explicata argumentatio est. Et quanquam  
 falsa enūciatio est, non tamē falsa ob id est argumētatio:  
 Si quis enim sedeat, neq; scribat, non iā in hac tali causa  
 hæc ipsa accommodata dissolutio est. Non igitur hoc refel-  
 lendum

lendum est: sed illud, eum qui sedeat, scribere: cum præfertim non omnis scribat, qui sedet. Ita fit, ut dissoluatur argumentum is, qui falsi causam tollit: & explicationem argumenti intelligat is, qui causam argumentationis falsæ cognouerit, quemadmodum in ijs quæ falso & uitiose describuntur, contingit: neque enim satis est resistere, etiam si falsum sit quod refellitur: sed etiam cur falsum sit docendum est: Sic enim utrum occurrendo, ratione & consilio ductus sit necne, intelligitur.

## CAPVT II.

Impediri autem argumentatio potest, ne concludatur, quatuor modis. Primum, id ex quo falsum est refellendo. Secundò, occurrendo ei qui questionem ponit. sæpe enim non explicato & dissoluto argumento, tamē is qui rogat, progredi non potest longius. Tertio, refellendo rogatū. fit enim interdū, ut ex ijs quæ quærentur, non quod uolumus consequamur, propterea quod uitiose interrogatum est, quibusdā tamē appositis effici potest conclusio. ac si ultra progredi is qui rogat non potest, occursum erit roganti sine potest, rogato. Quartū genus resistendi et deterrimū id est, quod ad tēpus refertur. nonnulli enim in refellendo ea afferūt, quæ ad differendum plus temporis desiderāt, quam patitur disputandi consuetudo. Ac resistendi quædam quatuor, ut dixi, genera sunt: sed prima una ex omnibus explicatio est, cætera impedimenta sunt quedam conclusionū. Reprehensio autem argumentationis non eadem ex eius natura & ex interrogandi ratione nascitur. ferē enim fit culpa eorū qui rogantur, ut non recte tractetur argumentatio: quod non cōcedant ea quæ magnā facultatem suggerant ad id efficiendum quod queritur. Neque enim

enim in alterutro solum positum est, ut cōmunis res rectē ad finem exitumq; perducatur. Quapropter interdū qui aliquid respondet, refellendus est necessariō, & omittendum ipsum propositū: tum deniq; cum is qui quæstionem pōscit, instructus calumnijs, paratus uenit ad contradicendū. Ita iniquos se præbentes, disputationes non dialecticas, sed concertationū plenas instituunt & inuehunt. Et quoniam exercitationis & ueluti examinis causa, nō eruditionis, hæc tales disputationes comparatæ sunt, profectō non modō uera, sed etiam falsa concludenda sunt: nec ex ueris semper, sed interdum etiam ex falsis. Nā & plerunq; uero posito, is qui contrā disputat, refellere debet. ita fit necessariō, ut sint proponenda falsa: & falsum quod positum est, interdū falsis euertere tolliq; debet, cum præsertim nihil prohibeat falsa alicui magis quam uera probari. ita si ex ijs quæ illi probantur, progrediatur argumētatio, persuasus potius quam adiutus erit. Sed omnes debent, qui aliō disputationē rectē traducere & trahere uolunt, ut geometra geometricē, sic dialecticē, non pugnaciter traducere, siue falsum, siue uerum sit id quod concluditur. Quæ autem sint dialecticæ ratiocinationes, suprā expositū est. Ut autem in rebus usu uenit, ut socius iniquus & sceleratus sit is qui rem communem impedit: sic in disputationibus in quibus etiā cōmune quiddam propositum est utriq;, præterquam ijs qui certandi studio disputant. Neq; enim utriq; eorum licet eundem finem cōsequi, præsertim cū plures uno uincere non possint. Vtrum autē in respōdendo, an in rogando id efficiāt, nihil interest. Nam & qui certandi studio rogat, uitiose & præposterē differit: & qui respondendo non concedit,

dit, neq; dat quod uidetur probabile, neq; inducit in animum audire quid tandem uelit is qui ponit quæstionem. Ex quo perspicuum est, non eodem modo argumentationem, si per se consideretur, reprehendendam esse, & eum qui eam rogando tractat. Nihil enim prohibet, uitiiosam argumentationem esse: cum interim is qui quæstionem ponit, quam poterit accommodatissimè, cum eo qui respondet disputabit. Nam si res sit cum difficilibus & proteruis, non potest profectò statim quas quisq; uelit, sed quas possit, tractare per ratiocinationem argumentationes. Quoniam autem incertum est, quando contraria homines sumunt, & quando id quod à principio positum est in quæstione: (sæpe enim ipsi secum, et soli cum aliquid loquantur, repugnãtia dicunt; negatoq; eo quod prius est, concedunt posterius. itaq; cum rogantur, sæpe repugnantia, & quod primo loco propositum est, concedunt) eo uitiosas argumentationes necesse est effici. culpa est ista eorum qui respondent, qui quædam non concedunt, alia eiusdem generis concedunt. Ex quo etiam perspicuum est, non eodem modo reprehendendos esse eos qui quæstionem ponunt, & ipsam argumentationem. Argumentatio autem quinque modis reprehendi solet. Primo, cum ex ijs quæ rogata sunt, & quæsita, nihil concluditur omnino, nec quod ad rem pertineat, quod falsa sint, uel non probabilia omnia, aut certè plurima eorum ex quibus cõclusio efficitur: & quod nec detractis quibusdam, nec additis, nec alijs detractis, alijs additis, efficitur conclusio. Secundo, si tractetur per ratiocinationem, quæ ad rem non pertineat argumentatio, ex talibus & eo modo quo in superiori dictum est. Tertio, si additis quibusdam

quibusdam conficiatur ratio: inatio, sed quæ deteriora  
sint quàm quæ rogata sunt, minusq; probabilia conclu-  
sione. Quarto, si detractis quibusdam, idem contingat.  
interdum enim plura sumuntur quàm necesse est, ut non  
ex eo quia hæc concessa sunt, efficiatur conclusio. Postre-  
mo, si ex minus probabilibus & credibilibus efficiatur,  
quàm sit conclusio: aut si ex ueris, sed quæ difficilius &  
maiore negotio quàm id quod queritur, ostendi possunt.  
Neq; uerò id postulandum est, ut omnes quæ de proposi-  
to instituuntur, æquè probabiles sint ratiocinationes, &  
æquè ualeant ad faciendam fidem. Eorum enim quæ  
exquiruntur, partim prima facie faciliora sunt natura  
sua, partim difficiliora: ut si quibuscunq; probabilibus  
possint, concludetur, rectè conclusa uideantur. Perspicu-  
cum est igitur, non eodem modo argumentationem iu-  
dicandam esse uitiosam, cum ad quæstionem refertur, et  
cum per se exquiritur. Nihil enim prohibet, argumen-  
tationem per se uitiosam esse: quæ si ad quæstionem rea-  
feratur, uera erit: uicissimq; uera per se considerata, cum  
quæstione collata, uitiosa esse potest: cum facile ex mul-  
tis probabilibus & ueris, quæ illi quæstioni tractandæ  
sunt accommodata, effici potest quod uolamus. Fit au-  
tem interdum, ut argumentatio etiam quæ concludit, ea  
quæ non concludit sit deterior: cum illa ex ijs quæ minus  
probantur concludit, cum quæstio proposita in eo ge-  
nere non sit: hæc autem talia modò requirit, quæ proba-  
bilia & uera sint, nec ex ijs quæ assumpta sunt, argu-  
mentatio est. neque uerò ij qui ex falsis uerum conclu-  
dunt, iure reprehendi possunt, cum præsertim & neces-  
se sit semper falsum ex falsis, & liceat interdum uerum

ex falsis concludi. quod ex Analyticis perspicui potest. Cum autem argumentatio quæ exposita est, alicuius rei demonstratio erit, si qua sit alia propositio quæ cum conclusione nullam habeat coniunctionem, ex ea non efficietur conclusio. Sin speciem præ se ferat coniunctionis, fallax erit conclusio non necessaria. est etiam φιλοσόφου ratio necessaria: epicherema autem ratiocinatio probabilis. Sophisma autem ratiocinatio pugna. ἀμύγνα, ratio in utranq; partem differendi. Quod si ex utraq; propositione probabili aliquid ostendatur, neq; æque probentur, nihil prohibet id quod demonstratum est magis quam utranq; probari. At si una sit probabilis, altera neutro modo: aut si hæc probetur, illa nõ probetur, si id quidem similiter sit, tum ex æquo probabitur & non probabitur, quod demonstratione concluditur sin altera magis probetur, magis etiam probabitur. Atq; etiam in tractandis argumentationibus per ratiocinationem peccatur, cum aliquid pluribus ostēditur, quod paucioribus potest, quæ etiam in argumentatione reperiuntur. Cuius generis illud est quod sumitur ad probandum, opinione aliam alia uerius dici opinionem. Si quis poscat hanc enunciationē, quicquid appellatur cum accessione pronominis, ipsum illud est, quod in eo genere maxime est id ipsum quod est. Est autem opinabile aliquid: quod quia uere est opinabile, appellatur ipsum opinabile: ex quo sequitur, illud ipsum cum maxime sit, alijs quibusdā esse magis opinabile: porrò autem omne quod magis esse dicitur, alterius comparatione dicitur magis. Est uerò opinio etiā aliqua uera, quæ accessione pronominis, ipsa opinio appellari potest: quæ alijs quibusdam certior est.

Hic igitur sumptum est ueram esse aliquam opinionem, quæ accessione pronominis ipsa opinio uocaretur. Itēq; illud, in omni genere illud esse maxime tale quod per accessionem pronominis, ipsum nominatur: ex quibus sequitur, ipsam opinionem quæ maxime uerax est, eam esse quæ maxime & uerissime opinionis nomine uocatur. Sed quod uitium in hac est ratiocinatione? An ob eam causam, quod facit ut causa ex qua ratiocinatio conficitur, ignoretur? Argumentatio autem perspicua est uno modo, qui maxime in populi ore uersatur, cum ita conclusa est, ut iam nulla sit opus interrogatione. altero, qui etiā crebris usurpatur sermonibus, cum sumpta sunt ea, ex quibus esse necesse est quod cōcluditur. sunt autem ea ex alijs conclusionibus collecta. præterea si quid prætermisissimum sit quod ualde sit probabile. Falsa autem dicitur quatuor modis, & cum uidetur concludere, neque concludit, quod uocatur cōclusio, & ratiocinatio ad conuersiones spectans. Et cum efficit illa quidem aliquid, sed quod minus ad rem pertineat. quod hīs contingit maxime, quibus incommodo alij urgentur. aut aliquid concludit, quod ad id quod agitur pertinet, sed non propria accommodataq; ratione: id est, si ea quæ non est medicinæ propria, uideatur medicinæ esse, aut geometrarum quæ non est, aut dialecticorum quæ non est, siue uerum, siue falsum sit quod efficitur. Alio modo falsa est argumentatio, cum ex falsis concludit: cuius generis erit alia falsa, alia uera conclusio. nam & falsum semper ex falsis, & uerum interdum ex falsis, ut supra dixi, concluditur. Ac oratio quidem quod falsa sit, culpa est eius qui argumentationem tractat potius, quam argumentationis.

Nec

Nec uer  
cum f  
rat: (q  
siuione  
gis qu  
hīs quæ  
uera su  
disputa  
cludend  
tur: q  
esse de  
ualde  
certe d  
generis  
Perspic  
dat arg  
quibus  
bilis er  
non p  
bētur,  
agitur  
id quod  
ritatem  
opinio  
initio  
simum  
quod  
nymis  
idem d  
tim de

Nec uerò culpa est semper disputantis, sed tum denique cum falsam se aliquam argumentationem tractasse ignorat: (quando quidem sepe falsam orationem & propositionem, cum animo aliquid per nos ipsos tractamus, magis quam multas ueras approbamus) praesertim cum ex ijs quae maxime uidentur probabilia, aliquid eorum quae uera sunt, ipse refellit. nam quomodo ea sit semper culpa disputantis, cum sepe ad res ueras demonstratione concludendas huiusmodi ratiocinationes ex falsis adhibeantur? quippe cum aliquid eorum quae posita sunt, falsum esse debeat omnino, ut id demonstraretur. Si uerò falsis, & ualde absurdis uerum concludat argumentatio, multo certè deterior ijs futura est quae falsum concludunt. cuius generis argumentatio etiam falsum concludere potest. Perspicuum est igitur, primum uidendū esse, an concludat argumentatio: deinde, uerūne an falsum: tum, ex quibus. nam si ex falsis, sed quae probabilia sint, tolerabilis erit, & non aspernanda ratio: sin ex ueris, sed quae non probentur, uitiosa: si & falsa, & quae ualde improbeantur, profectò uitiosa erit aut omnino, aut in re de qua agitur. Quemadmodum autem is qui quaestionem ponit, id quod in initio propositum est, & contraria petat ad ueritatem, expositum est in Analyticis: quemadmodum ad opinionem, nunc dicendum est. Petendi autem id quod initio dictum est, quinque sunt genera. Primum & clarissimum, si quis id petat quod demonstrandum ipsi est: quod quidem in eadem re non facile ignoratur: in synonymis autem, ijsque omnibus quorum nomen & definitio idem declarant, magis. Alterum, cum id quod singillatim demonstrari debet, omnino & totum aliquis petit.

ut si quis probans, contrariorum quæ aduersa dicuntur, unam esse artem, petat contrariorum omnino unam esse. uidetur enim, quod per se probari debeat, id unâ cum alijs pluribus petere. Tertium, si quis singillatim petat, quod propositum est ad demonstrandum omnino. ut si omnium aduersorum esse propositum sit, aliquorum petat: nam uidetur hic etiam, quod cum multis erat docendum, id petere per se ac separatim. Rursus si quis adhibita diuisione, id de quo agitur petat, ut si demonstrandum sit, medicinam esse salubrium & contrariorum, separatim petat utrumq;. Aut si quis alterum petat eorum, quorum alia alijs consequuntur necessario: ut latus cum diametro componi non posse, cum probandum sit, diametrum cum latere non posse. Contraria etiam tot modis, quot ea quæ in initio dicta sunt, petuntur. Primum, si contraria petat, aientia & negantia. Secundò, si contraria eo modo quo sunt inter se repugnantia: ut bonum & malum esse idem. Tertio, si quis omnino & totum sumperit, & in parte petat, quod repugnat. ut si quis hoc sumpto, aduersorum unam esse artem, petat salubrium & insalubrium aliam artem: aut si hoc posteriore petito, de toto genere repugnantiam sumat. Rursus, si quis contrarium petat eius, quod ex positis & concessis efficitur necessario. item, si quis contraria ipsa non sumat: duo autem petat eiusmodi, ex quibus repugnantia sequitur. Sumere autem contraria, & petere id quod in initio positum est, hoc differunt, quod huius error in cõclusionem incidit. (illud enim spectantes, peti id dicimus quod in initio positum est) contraria autem in propositionibus cernuntur, quod inter se quodam modo affectæ sunt. Vt autem

autem  
eius  
tatione  
dum a  
argum  
eorum  
concluy  
si tollat  
esse est  
tionem  
in han  
luto ip  
rendo.  
alus si  
bis cer  
paran  
rimin  
refell  
rum c  
contr  
per se  
tur, no  
philos  
recte  
opus e  
fis uer  
ij qui  
est, p  
derun  
prat

autem exercitatio & meditatio in argumentationibus  
 eiusmodi paretur, primum assuescendum est argumen-  
 tationes conuertere. Sic enim maior nobis ad disputan-  
 dum argumentorum suppetet copia, & in paucis multas  
 argumentationes tenebimus. Conuertere enim est, unum  
 eorum quæ data sunt refellere, mutata in suam oppositâ  
 conclusione, eaq; cum altera sumptionum accepta. Nam  
 si tollatur conclusio, una aliqua propositio tollatur ne-  
 cesse est: siquidem positus ijs omnibus necesse sit conclu-  
 sionem effici. Ad omne uerò propositum multum ualeat,  
 in hanc & illam partem argumenta inuenire, quibus so-  
 lutio illico quæreda est. Sic enim fiet, ut simul et in quæ-  
 rendo, & in respondendo exercitati simus: & si nemo  
 alius sit quo cum disputemus conferamusq; hæc ipsa, no-  
 bis certe per nos, & nobiscum licebit. Sunt etiam com-  
 paranda inter se argumeta, quæ utramq; in partem plus  
 rimum ualent. Hoc enim & ad obfirmandum se, & ad  
 resellendū multum ualeat, cum alicui magna argumeto-  
 rum copia in utrâq; partem differendi suppetit. nam ad  
 contrarias partes fiet tutior. Possesq; ante perspicere, &  
 perspexisse, quid utrâq; quæstionem & causam sequa-  
 tur, non paruum adiumentum adfert ad cognitionem,  
 philosophiæq; rationem. Relinquetur enim, ut eorum  
 rectè alterum sequamur. Sed ad id efficiendum ingenio  
 opus est: uerumq; ingenium & indoles in eo est, ut pos-  
 sis uerum rectè sequi & declinare falsum, quod quidem  
 ij quibus acumen ingenij, & indolens natura largita  
 est, præclare efficere possunt. Cum enim amant, & o-  
 derunt quod affertur & proponitur, uerè de eo quod  
 præstantissimum est iudicant. cum uerò ad quæstiones,

quæ sæpiſſimè in diſputationem incidunt, parati & in-  
 ſtructi argumentorum copia uenire debemus, tum ma-  
 ximè ad eas quibus capita prima propoſita, & quæſtio-  
 nes generales diſputantur: quoniam in hiſ ferè ij qui re-  
 ſpondent, omnia ferè quæ uulgò recepta ſunt, reſpuere  
 ſolent. Iam definitionum nobis magna uis ſuppeterè de-  
 bet: eaq; in promptu habere debemus maximè, quibus  
 ea quæ probantur, & prima declarantur, cum præſer-  
 tim ex ijs ratiocinationes conſtent. Danda eſt etiam ope-  
 ra, ut ea in quæ alia argumenta incurrunt, teneamus. Vt  
 enim in geometria utile eſt elementa, exercitatione pa-  
 rata & meditata habere: & in numerorum ratione,  
 prima quaſi capita in præptu habere: magnaq; in hoc i-  
 pſo uis eſt, ut alium etiam numerum multiplicatum co-  
 gnoscant: ſic in argumentationibus, principia tenere, &  
 propoſitiones in ore habere. Quemadmodum enim in  
 memoriæ exercitatione loci collocati & diſpoſiti, ſtatim  
 faciunt ut redeant res nobis in memoriã: ita hæc ipſa  
 magnam nobis ad differendum copiam ſuggerent, quòd  
 loci ipſi certi ſint, quos ſpectemus. Sed locus communis  
 potius, quàm tota ratiocinatio, memoriæ mādandus eſt,  
 quippe cum difficile ſit, mediocrem principiorū et pro-  
 poſitorum uim ac numerum ſuppeterè. Præterea argu-  
 mentum unum in multa diſtribuere aſſueſcendum eſt no-  
 bis: ita tamen, ut id obſcuriſſimè facere uideamur. Quod  
 ita fiet, ſi quis longiſſimè aberrat à uicinitate eorum de  
 quibus agitur. Ea autem argumenta in hoc genere plu-  
 rimum ualebunt, quæ de toto genere id maximè efficere  
 poſſunt. Cuius generis illud eſt, Non eſſe unam multarū  
 rerum artem. Eadem enim ratio eſt eorum quæ cum aliis  
 quo

quo conferuntur, & contrariorum quæ aduersa dicuntur, & coniugatorum. Atq; etiam rationes quas ab alijs accepimus, quasi uniuersales accipere debemus, etiamsi in parte sint tractatæ. sic enim ex una multis etiam facere licebit. Quod fieri in arte rhetorica de enthymematibus eodem modo iudicandum est. Is uerò qui respondet, hoc quantum poterit declinabit, ne ad totum genus reuocetur disputatio: illiq; hoc uidendum est semper, an de pluribus rebus communibus tractetur facta ab alio argumentatio. Omnis enim quæ de parte est, in uniuerso genere continetur, inestq; in priuata & singulari causa uniuersi generis expositio & demonstratio: quòd sine uniuersi generis locis nihil concludi potest. Vfus autem argumentationum earum quæ per inductionem tractantur, ad rudes & ignaros: earum quæ per ratiocinationem, ad peritos transferri accommodariq; debet. Enitendumq; est, ut ab ijs qui argumentationes per ratiocinationem tractare possunt, propositiones: ab ijs qui per inductionem, similitudinum collationes comparationesque accipiamus, sunt enim utriq; in hoc genere exercitati. Omnino is qui exercitationis gratia disputat, conari debet utilitatem illam ex disputatione consequi, ut aliquam inde referat aut ratiocinationem ad aliquid probandum, aut propositionem, aut solutionem, aut oppositionem (quæ instantia uulgò appellatur.) Et ut notet, bene an perperam, aut ipse aut alius disputauerit: & qua ratione utrunque euenierit. Ex his enim tota hæc facultas consistat: exercitatio autem facultatis gratia suscipitur. Sed ex ijs omnibus quæ dixi, maxime querendæ sunt propositiones & oppositiones: hoc est, ut uocantur, instantiæ.

stantia. Dialectici enim uis maximè cernitur in proponendo, & resistendo. Est autem proponere, unum facere ex multis: quandoquidem unum omnino sumi debet, ad quod pertinet argumentatio: resistere uerò, est multa ex uno: aut enim distinguit, aut euertit, cum ex ijs quæ proposita sunt, hoc concedit, illud non concedit. Quoniam autem uitiosæ & iniquæ disputationes cum quibusdam futuræ sunt necessariæ, nec cum quouis disputationes instituire, nec quemlibet in societatem exercitationis recipere debemus. nam aduersus eum qui hoc unum agit, hoc conatur, ut alterius argumenta quacumque ratione eludat, æquum est omnino disputare, tamen non semper decet. Quocirca non temerè cum quibusuis exercitationis causa confidendum est. hinc enim maledicta, hinc contumelia, hinc iracundæ contentiones, concertationesque nascuntur. Neque enim fieri potest, ut qui unum in locum discendi exercendæque artis gratia conueniunt, sine concertationibus disputare desinant. Atque ut finem dicendi faciam, parata & meditata argumenta nobis esse debent ad eiusmodi quæstiones: quibus tractandis, quo minor copia suppetet, eo ad plura ualebunt. Quo ex genere sunt & ea quæ per uniuersi generis quæstionem fusa sunt, & ea quorum ex tempore difficilior suppeditatio & inuentio est.

F I N I S.

NICO

NICOLAUS GROVCHIVS O.  
 mnibus in regio Lusitaniæ gymnasio stu-  
 diosis philosophiæ auditoriis  
 bus S. P.

**A**lij libri, quos de ratione differendi ab Aristotele & Porphyrio transtulit Perionius, licet multis in locis à nobis emendati, sub illo tamen nomine excusi sunt: hic, De sophistarum reprehensionibus, eodem iure esse non potuit, quia nõ eadem huius atq; aliorum fuit causa. Cum enim ego id tantum spectarem, ut studiosis philosophiæ auditoribus non modo latinè, sed etiam planè ac dilucidè loquentè Aristotelèm audire posthac in hoc regio gymnasio liceret: in alijs libris, paucis admodum mutatis, ab ijs quæ latinè & elegatè scripserat Perionius, id quod instituerà facillè præstiti: in hoc tam multis in locis dilucidam orationem, ueramq; Aristotelis sententiã in Perionio (quod pace tamen tanti uiri dixerim) desideravi, ut satius esse duxerim totum à principio librum de Græco uertere, quàm tãtopere immutare, ut minimam à suo authore partem habere uideretur. Meum consiliũ, ut in omnium studiosorum philosophiæ utilitatem collatum est, ita omnibus, opinor, æquis iudicibus probabitur: eruntq; æquiores, si hæc nostram cum Perionij interpretatione conferant. Non quo homini eloquentissimo ulla me ex parte conferendũ esse prædicem: sed fidelius certè, ni fallor, & planius à nobis uersum esse hunc librum iudicabunt, qui utrumque legerint. Valere. Conimbricæ, ex regio gymnasio. X. Calend. Augusti,

M. D. X L I X.

A R I.

# ARISTOTELIS DE REPREHENSIONIBVS

Sophistarum Liber unus, Nic. Grouchio  
Rotomagensi interprete.



**D**e sophistarum autem reprehensionibus, & de ijs quæ speciem habent reprehensionum, reuera tamen fallaces ac uitiosæ conclusiones sunt, nunc dicendum. In quo ego naturam imitatus, ab ijs potissimum exordiar, quæ sunt huius disputationis prima ueluti elementa. Ac primum quidem alias esse ueras ratiocinationes: alias, quæ tantum uideantur, nec sint ratiocinationes, iam per se propemodum est perspicuum. Atque ut alijs in rebus, ita in argumentationibus propter quandam rerum inter se similitudinem id accidit. Sunt enim inter homines alij, quibus reuera inest bonus corporis habitus: in alijs, aut tumor quidam talis, qualis esse hostiarum solet in sacris curialibus per æmulationem curiarum, aut fictus ad eam rem ornatus bonam corporis habitudinẽ imitatur. Sunt item, qui sua ipsi forma pulchri sunt: alij autem, qui per fucum tantum tales uidentur. Nec dissimilis est in rebus inanimatis ratio, in quibus sunt nonnullæ, quæ ut uidentur, ita reuera sunt, aut argentum, aut aurum. aliæ cum non sint, falsa quadam specie iudicio sensuum uidentur: ut lithargyrina & stannea, uidentur esse argentea: quæ felle tincta sunt, aurea. Eodem planè modo ratiocinationes & reprehensiones huius sunt, aliæ propter imperitiã uidentur. Sunt enim imperiti homines ijs propemodum similes, qui procul res prospiciunt.

ciunt. Ac uera quidem tum ratiocinatio est, cum ex quibusdam positis, quippiam ab ijs quæ posita sunt, diuersum ob id necessario sequitur, quia illa sunt anteposita. Reprehensio autem, cum est ratiocinatio, per quam non modo conclusio, sed eius etiam disparatum conficitur. Fallaces autem in utroque genere orationes sunt, quæ idem quod illæ, efficere uidentur, nec tamen efficiunt. Id quod multis quidem ex causis euenit: sed unus est inter omnes uulgatissimus & latissime patens locus, ex rerum uocabulis. Quia enim ipsis per se rebus in medium prolatis, constare disputatio non potest, eoque uerbis, quasi notis quibusdam, pro rebus uti cogimur: propterea fit, ut idem ferè usuueniat, quod in subducendis per calculos rationibus, nempe ut uerborum ac rerum eadem omnino esse rationem existimemus. In quo nos longè lateque erramus: tantum enim inter illa interest, ut uerborum & orationum certus sit ac definitus numerus, rerum infinitus. Unde efficitur, ut una oratione aut nomine multas res significari sit necesse. Et quemadmodum in subducendis calculis qui rudes sunt, & quid suo quique loco ualeant calculi, nesciunt, ab ijs, qui sunt in eo genere periti, facile circūueniuntur: ita in sermonibus conferendis, qui ignorant quæ sit uerborum uis & significatio, facile, siue differant ipsi, siue aliorum audiant sermones, decipiuntur. Atque illa quidem una causa est, præter alias quæ postea explicabuntur, cur sæpe uideantur esse ratiocinationes aut reprehensiones, quæ non sunt. Quonia autem quibusdam illud est ingenium, ut se operæ præcitiū maius facturos existiment, si sapientes uideantur, nec sint, quam si essent, nec uiderentur (est enim Sophistice, simulata & non uera sapientia)

E 2

pientia: & Sophista is dicitur, qui ex ea quam præ fa-  
 fert, non uera, sed simulata sapientia, quæstū facit) illud  
 profectō ex ijs perspicuum est, tali ingenio natis homi-  
 nibus magis elaborandum esse, ut sapientis officii præ-  
 stare uideantur, quàm ut faciant, nec uideantur. Est autē  
 (ut singula cum singulis conferam) sapientis in re quaq;  
 officium, ut rogatus de ijs rebus quarum habet scientiā,  
 nil falsum dicat: et ut, si quem in errore uersari senserit,  
 illum coarguat, & de falsa opinione deducat. Quorum  
 prius in bene reddenda ratione de ijs quæ interrogātur,  
 positum est: posterius in bene interrogando, si quid sit de  
 quo reposcenda sit ab altero ratio, cernitur. Neesse igitur  
 est, ut qui sophistæ munus probè fungi uelit, illud fal-  
 lacium argumentorum genus, de quo paulo antè diximus,  
 in primis exquirat: quandoquidem in eo tantum est mo-  
 menti, ut hæc sit una ratio, qua sapientiæ opinionem, in  
 qua illi sunt omnia, consequi possit, si talium argumen-  
 torum facultate instructus sit. Ac esse quidem nonnulla hu-  
 ius generis argumenta, & huiusmodi facultatem ab ijs  
 quos Sophistas appellare solemus expeti, satis explicatū  
 est. Nunc quot sint rationum sophisticarum genera, &  
 quis sit numerus singularum facultatum, ex quibus con-  
 stat hæc tota facultas: & quot partes sint huius tracta-  
 tionis quam instituimus, & si qua sunt alia quæ ad hu-  
 ius artis perfectionem pertinent, dicamus. Sunt igitur  
 ad differendum quatuor omnino argumentorum gene-  
 ra. Vnum est, eorum quæ propriè ad docendum, sunt ac-  
 commodata: alterum, eorum quæ dialectica uocantur.  
 Tertio genere continentur, ea quæ ad probandum &  
 examinandum alterum adhibentur. In quarto genere  
 sunt,

sunt, quæ contentiosa appellantur. Atq; illa quidem ad  
 docendum sunt accommodata, quæ constant ex proprijs  
 cuiusq; disciplinæ principijs, nec uim habent ab eo quod  
 respondenti probatur. Credere enim, & indubitata[m] fi-  
 dem habere eum oportet, qui discere aliquid uelit. Diale-  
 ctica autem sunt, quibus utraq; pars cõtradictionis ex pro-  
 babilibus concluditur. Illa uerò ad tentandum & exa-  
 minandum alterum apta dicuntur, quæ ex ijs modò uim  
 habent, quæ ei probantur, quo cum disputamus: quæq;  
 et alia sunt, qualia ignorare non possit, qui sibi alicuius rei  
 scientiã tribuit & arrogat. Qua uerò ratione id sit fa-  
 ciendum, alijs in libris docuimus. Contentiosa autem sunt,  
 quæ ex ijs quæ probabilia uidentur, nec sunt, aut conclu-  
 dunt necessario, aut non concludunt, sed modò uidentur.  
 Ac de ijs quidem quæ ad docendum & demonstrandum  
 ualent, dictum est à nobis in Analyticis: de dialecticis  
 autem, & ijs quæ ad examinandum alterum adhiben-  
 tur, in superioribus libris. Nunc de contentiosis dicamus.  
Primum autem intelligendum est, quot & quæ sint ea  
 quæ differendo sibi proponunt, qui contentio[n]is modò  
 & uim & di causa disputant, quæ sunt quinque: Reprehen-  
 sio, falsum, incredibile, quodq; sit contra omnium opi-  
 nionem, solocismus: et quantum, cogere eum quicum di-  
 sputant, nugari: quod est eiusdem uerbi inepta & ina-  
 nis repetitio. Atq; illa quidem sibi proponunt, ut aut re-  
 uera assequantur, aut certè ut assequi uideantur. Hoc eo-  
 nim est quod primum & maxime contendunt huiusmo-  
 di homines, ut coarguere respondentem uideantur: se-  
 cundo loco, falsum aliquid uolunt concludere: tertio, du-  
 cere eò aduersarium, ut admirabile aliquid & contra  
 opinio-

opinionem hominum dicere cogatur: quarto, ut eum, si possint, cogant solœcismum committere, quod est, aduersarium uel rationis adductum uideri non posse effugere, quin barbare loquatur: postremo, ut ad ineptiam eiusdem uerbi iterationem adducant. Sunt autem reprehensionum generales duo modi: unus in uerbis, alter in rebus. Atque ille quidem modus in quo uis captionis ex uerbis oritur, in sex partes distribuitur, quæ sunt: Vocabuli multiplicitas, orationis ambiguitas, coniunctio, diuisio, accentus, forma dictionis. Esse autem tot, nec plures partes, non modo inductione doceri, sed etiam ratiocinatione, non una quidem fortasse, sed hac certe demonstrari apertissime potest: nempe quia non possit præter illos modus alius reperiri, quo non idem semper iisdem uerbis & orationibus dicamus. Ex nominis multiplicitate hæc omnes captiones ducuntur: Quæ memoriter ab alio recitantur, ea grammatici *μαρβάσι*: ergo qui docti sunt, *μαρβάσι*. Homonymum est *μαρβάσι*. interdum enim idem uallet quod intelligere rem aliquam, interdum significat idem quod discere. Quod quæque facere oportet, id bonum est: sæpe autem usuuenit, ut mala nos subire oportet: malum igitur aliquod bonum est. Oportere duobus modis accipi potest. uno modo, pro eo quod necessarium est: quæ significatio ad mala sæpe pertinet: sunt enim quæ, licet mala sint, nobis tamen necessario subeunda sunt. altero modo, quod bonum est, officioque consentaneum, hoc uerbo intelligitur. Qui surgebat, stat: & qui conualescebat, ualet: at qui surgebat sedens, et conualescebat ægrotans: stat igitur sedens, & ualet ægrotans. Aegrotantem facere aliquid, aut pati, non habet unam tantum significationem:

sed

DE  
sed inter  
nunc aut  
prius, au  
sebat, a  
est ægro  
ægotat  
referent  
quisq; co  
uel ad co  
Item illi  
autem u  
dicis, tu  
tur illud  
ambigu  
accipi po  
taceat: a  
Sunt au  
nymia  
oratio  
eat: ut  
tiplicit  
modis a  
fication  
cia non  
Eta ta  
cant ip  
rum co  
quibus  
quos ex  
hac pe

sed interdum huius generis participia significat eum qui nunc aut ægrotat, aut sedet: inter dū uerò, qui ægrotabat prius, aut sedebat. Illud tamen uerū est, eum qui conualescebat, ægrotantē etiamnum fuisse: qui autem ualet, non est ægrotans. nisi ita accipias, ut eum significet qui prius ægrotabat. Ad ambiguitatem orationis hæc omnia sunt referenda: Ego uelle me hostes capere. item illud: Quod quisq; cognoscit, illud ipsum cognoscit. hæc enim oratio uel ad cognoscētem, uel ad rem cognitam referri potest.

Item illud: Quod quis uidet, illud ipsum uidet: columnam autem uidet qui spīā: columna igitur uidet. \* Quod esse dicis, tu illud ipsum dicis: lapidem autem esse dicis: tu igitur illud ipsum, lapis scilicet, dicis. Postremò illud quoq; ambiguum est, οὐρανὸν proloqui: nam & hoc dupliciter accipi potest. uno modo, ut significet loqui aliquem qui taceat: altero, ut de rebus mutis loqui aliquem declaret. Sunt autem tres potissimum modi, quibus omnis homonymia & amphibolia continetur. unus est, quando aut oratio, aut uocabulum proprie ac per se multa significat: ut aquila, canis. alter est, quādo ex usu loquendi multiplicitas nascitur. tertius, cum uerba coniuncta multis modis accipi possunt, separata simplicem habent significationem: quale est illud, scire literas. ut enim multiplicia non sint singula hæc uerba, scire, & literas, coniuncta tamen multis modis accipi possunt. aut enim significanc ipsas literas scientiæ capaces esse, aut uerò literarum cognitionem habere alterum. Ac modi quidem, quibus homonymia aut amphibolia continetur, hi sunt, quos exposuimus. nunc de coniunctione dicamus, ad quā hæc pertinent omnia: Posse sedentem ambulare, posse

\* Exēplum  
hoc licet om  
nino non ex  
primat græ  
cum, tamen  
quantum pa  
titur latinus  
sermo, ad  
græcū proxī  
mē accedit.

non scribentem scribere. Etenim hæc duo non idem significant, cum est coniuncta, & cum est diuisa orationis sententia. Est autem huius orationis, posse non scribentem scribere, sententia coniuncta, cum significat eum qui non scribit, posse, cum non scribit, scribere: diuisa autem, cum eam uim habet, posse eum qui nunc non scribit, postea scribere. Est etiam illud ex coniunctione ductum: Quis scis literas, modò didicisti eas. Item illud: Quod unum solum potest ferre, multa potest ferre. Ex diuisione autem ista ducuntur: Quinq; sunt duo & tria, atq; ita paria & imparia. Item illud: Maius dicitur, quod tantum est quantum alterum, & aliquid amplius; ergo quod maius est, tantum erit, quantum alterum, itaq; æquale. Neq; enim idem ualet oratio, cum illius sententia modò diuisa, modò coniuncta accipitur. qualia sunt hæc: Ego te seruum feci liberum: Quinquaginta hominum centum heros liquit Achilles. Ex accentu autem uix oritur captio, nisi si de scripto sit controuersia. nam in scripto & potestate sepe locum habet. Quo modo liberatur eorum calunnia Homerus, qui apud illum dicunt absurde scriptum esse ἄνασσαν ἰδὲ τὰ δὲ τὰ ἰδὲ τὰ ἰδὲ τὰ. dicunt enim, malè accipi accentum illius particula ἰδὲ, quæ non circumflexo, sed acuto notari debet, hoc modo ἰδὲ. Item cum ille locus Homeri reprehenditur, ubi de somnio Agamemnonis agitur, ita occurrunt, ut dicant non esse illa accipienda quasi *Touis* uerba, *Διδοῦσθαι* ἢ *οὐδὲν* ἢ *ἀπὸ δαίμωνος*, sed ijs uerbis imperare louem somno, ut det ipse somnus Agamemnoni illud, ut fiat sui uoti compos Agamemnon, ita ut *Διδοῦσθαι* pro *Διδοῦσθαι* accipiatur. Ac de accentu quidē hæctenus. Ex forma autem dicendum duci intelliguntur captiones, quando

quando alterius uerbi specie falsi in ijs eandem esse rationem interpretamur, in quibus non est eadem ratio. ueluti cum masculinum ad foemininum genus transferimus, aut contra foemininum ad masculinum: aut uerò, cum neutrum genus malè accipimus: & cum ad qualitatem transferimus quantitatem: aut contra, ex qualitate facimus quantitatem: & cum id quod facere significat, in patiendi significatione accipimus. Denique, cum id quod certam quãdam affectionem declarat, pro actione sumitur. eodemq; modo in alijs omnibus categorijs, quomodo superioribus libris à nobis diuisæ sunt. Illud enim usuenire interdum, ut quod actionem non significat, si tantum speciem uocabuli spectes, ita accipiatur, quasi facere aliquid significet, uel hoc exemplo intelligi potest: Valere, dicendi forma simile est his uerbis, secare, ædificare: & tamen illud qualitatem & certam quandam affectionem significat, hæc actionem: nec dissimilis est in alijs ratio. Ac de locis quidem, ex quibus ductæ ex uerbo captiones eruuntur, satis. Sequitur, ut de fallacibus conclusionibus, quæ in rebus continentur, dicamus. quarum septem sunt genera. Primum est, ex accidente. secundum, ex eo quod simpliciter aliquid dicitur: uel non simpliciter, sed cum aliqua adiectione, aut partis, aut loci, aut temporis, aut affectionis ad alterum. tertium, est ex ignoratione reprehensionis. quartum, ex consequenti. quintum, ex eo quod sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in questione positum est. sextum, ex eo quod pro causa ponitur, quod minime est causa. septimum, ex eo quod quæ multæ sunt interrogaciones, pro una accipiuntur. Ac fallaces quidem

forma  
 mala compositio uocul  
 parit confusionem in  
 intellectu

CA

Fallacia in dictione

ex accidente conclusiones tum ducuntur, quando rei subiectæ & accidenti eadem omnia attribuuntur: quia enim multa sunt in eodẽ subiecto, quæ eius modò sunt accidentia, propterea nõ necesse est eadem omnia rei subiectæ conuenire, & omnibus rei subiectæ attributis, nisi uelinus fateri, omnia quæ sunt, esse eadem: quemadmodum sophistæ dicunt, in quo uel hac ratione utuntur: Si est diuersus ab homine Coriscus, est à seipso diuersus: Coriscus enim homo est, uel ista: Si est diuersus à Socrate Coriscus, sit autem Socrates homo, diuersum esse Coriscum ab homine necessariò fatendum est. Hæc autem est huius captionis occasio, quòd ita fortè accidit, ut is, à quo diuersus est Coriscus, homo esset. Ex eo autem, quod omnino ac simpliciter esse dicitur, id quod uerè dici potest hoc uel illud esse, aut quod ex parte modò aliqua non propriè, tum uitiosa nascitur conclusio, quando ita accipitur quod ex aliqua tantum parte uerum est, quæsi omnino ac simpliciter uerum esset, ueluti si quis aut ex eo quòd res quæ nõ est, opinabilis est, uellet concludere, esse rem quæ non est (neq; enim idem ualet rem esse omnino, quod esse aliquid tale) aut contrà, rem aliqua quæ sit, non esse, quia de illa negetur alia quædã res: uerbi gratia, quia uerum sit rem illam nõ esse hominem. Multum enim interest dicas, rem nõ esse simpliciter & sine ulla adiectione: an uerò, nõ esse hoc aut illud, sed quoniam, si uerba modò spectes, maxima est affinitas & cõiunctio inter ista, esse quidpiam, & esse: itemq; non esse quidpiam, & non esse: idcirco fit, ut distingui hæc inter se non uideantur. Quod autè dixi, in eo quod non omnino esse, sed cum adiectione tale aliquid esse dicitur: idem intelli-

DE  
intelligi  
& quod  
citer om  
dus aliq  
beat, eri  
una sit u  
in eodem  
ptionum  
postquam  
sit albus  
extremi  
ria concl  
gram. I  
explicati  
quando  
simplex  
altera, c  
spicere,  
fit: que  
aliqui i  
ter dici  
tius cui  
illud ni  
Captio  
tur, q  
tiocina  
nitione  
ctio un  
atq; ad  
ipsum.

intelligendum est, quando id quod in parte modo aliquo  
 & quodam modo uerum est, ita accipietur, quasi simpli-  
 citer omniq; ex parte uerum esset. exempli causa: Si In-  
 dus aliquis, cum sit toto corpore niger, dentes albos ha-  
 beat, erit igitur idem albus, & non albus. Item si pars  
 una sit uno colore tincta, alteraq; altero, inerunt igitur  
 in eodem subiecto duo aduersa. Porro autem, harum ca-  
 ptionum causa in quibusdam facile perspicitur: ueluti si,  
 postquam sumpseris nigrum esse Aethiopem, roges, num  
 sit albus dentes (ut poeta loquuntur) tum eo sumpto ad  
 extremum omni absoluta interrogatione, putes te necessa-  
 ria conclusione effecisse, nigrum esse eundem, & non ni-  
 grum. In alijs quibusdam saepe usuenit, ut sit difficilis  
 explicatio, idq; ex duabus potissimum causis. Prima est,  
 quando ex eo quod cum adiectione alicuius partis dicitur,  
 simplex & absoluta pronuntiatio recte sequi uidetur:  
 altera, cum ita alteri conueniunt alia, ut sit difficile per-  
 spicere, utrum ex illis simpliciter ac omnino dici iudicandum  
 sit: quemadmodum euenire solet, cum duo aduersa pariter  
 alicui insunt; tum enim aut utrunq;, aut neutrum simplici-  
 ter dici admittendum uidetur. uerbi gratia, si dimidium to-  
 tius cuiusdam album est, & alterum dimidium nigrum, sit ne  
 illud nigrum potius an album appellandum, incertum est.  
 Captiosa autem argumeta, quae ex eo uim habere uiden-  
 tur, quod non sit constitutum ac definitum quid sit ra-  
 tiocinatio aut reprehensio, omnia ex omissa aliqua defi-  
 nitionis parte oriuntur. Etenim reprehensio est, contradi-  
 ctio unius & eiusdem non nominis, sed rei & nominis:  
 atq; adeo eiusdem nominis, ut non synonymum sit, sed idem  
 ipsum. quae contradictio ex ijs quae sunt posita, ita sequi-

tur necessario, ut in sumptionibus non sit acceptum illud, de quo instituta est disputatio: quæ deniq; ita facta est, ut pars utraq; in eodem, ad idem eodem modo et eodem tempore sumatur. Quæ omnia, quo modo reprehensionem conueniunt, eodem possunt errori omnino ac deceptioni conuenire. Quoniam ergo horum aliquid, quæ in definitione posita sunt, prætermittitur: idcirco fit, ut reâprehendere alterum uideatur, qui tamen reuera non cogit: ut, duo ad unum sunt dupla, ad tria non sunt dupla: est igitur aliquid duplum, & non duplum. Item, si unum cum uno collatum in longitudine superet illud duplo, in latitudine autem non duplo, uidebitur idem, facta etiam ad idem comparatione, duplum esse, & non duplum: sed non in eadem certè re utrunq; dicitur. Postremo, si facta sit ad idem comparatio, cernaturq; in eadem re utrunq;, & eodem modo, ad idem autem tempus utrunq; non pertineat, erit etiam ex hoc loco ducta fallax & captiosa reprehensio. Verùm quæ ducta est ex hoc loco reprehensio, potest etiam pertinere ad aliquem ex ijs, quos in uerbis esse diximus. Captiones autem, in quibus id ipsum accipitur in sumptionibus, de quo est instituta disputatio, iisdem, & tot modis fiunt, quot, & quibus petitio principij committitur. Causa autem, cur speciem aliquam reprehensionum habere nobis uideatur, est, quia discernere interdum non possumus quid idem sit cum eo, quod à nobis ad disputandum propositum est, & quid diuersum. Fallaces autem ex consequentibus reprehensiones inde uim habent, quod retrò uerti consecutiones existimemus, quæ minimè retrò committunt. Quia enim ex hoc illud necessario sequitur, ideo uideatur

cisins

DE  
 asim ex  
 eodem bo  
 tur ex sen  
 est flauus  
 Et quom  
 si madid  
 men min  
 illa ferè o  
 Illi enim,  
 tia accip  
 nere orn  
 quæ tam  
 posit coi  
 quibus h  
 Quale est  
 hoc mod  
 Quam ex  
 principij  
 principij  
 Etò in s  
 uerum  
 principij  
 mne qu  
 magis  
 lecterg  
 non ca  
 omnes  
 uibus a  
 esse ca  
 st, cur

cisim ex illo hoc effici necessario opinamur. Atque ex eodem hoc genere sunt falsa illa opiniones, quæ gignuntur ex sensuum perceptione. Quia enim mellis consequens est flavus color, inde fit, ut sæpe fel pro melle accipitur. Et quoniam pluuie consequens est, madefieri terram: si madida sit terra, pluisse statim existimamus, quod tamen minime necesse est. Pertinent etiam ad hoc genus illa ferè oratorum argumenta, quæ ex signis ducuntur. Illi enim, ut probent adulterum esse aliquem, consequentia accipiunt: ut quòd accuratus comptus, & omni genere ornatus sit, aut quòd oberrare noctu conspiciatur: quæ tamen multis insunt, quibus attributum illud non possit cõuenire, nec dissimilis est in ijs argumentis ratio, quibus hi utuntur, qui syllogismis, non signis differunt. Quale est illud Melissi, quod infinitam esse uniuersitatem hoc modo ostendere conatur: Uniuersitas est ingenita (nam ex nihilo nihil gignitur) quod autem genitum est, principium habet, itaq; si ingenita est uniuersitas, omni principio careat necesse est: infinita igitur, quæ profecto infirma est, minimeq; necessaria conclusio. Nam ut uerum sit, omne quod generatum est, habere sua quædam principia: cur, quæso, uicissim id erit necessarium, ut omne quod principium habet, genitum sit? illud sanè non magis necessarium quam hoc: Si quis habet febrem, calet: ergo si quis calet, habet febrem. Sequitur locus, cum non causa tanquam causa accipitur: quò referendæ sunt omnes captiones, quæ ex ea nascuntur, quòd in sumptionibus aliquod tale accipitur, quale potissimum uideatur esse causa reprehensionis, cum reuera ea non sit causa, cur ad extremum illud efficiatur, quod concluditur.

Quod in ijs maxime ratiocinationibus usuuenit, quæ ad aduersarium urgent incommodo. Semper enim quod huiusmodi ratiocinationibus refellitur, est una ex summptionibus. Si igitur præter necessarias summptiones ante conclusionem acceperis illud unde incommodum sequi debeat, illa sæpe uidebitur esse causa, cur tu coarguas absurda conclusione aduersarium, quæ non erit. Exempli causa, si probare uelis, quod idem non sint uita & anima, & hac tu ratione utaris: Si aduersatur omnino ortus interitui, & quidam interitui aduersabitur quidam ortus: est autem mors, quæ uitæ est contraria, interitus quidam: erit igitur uita ortus quidam, & uiuere gigni ac oriri, quod fieri omnino nõ potest: quare uerum illud non fuit, uitam & animam idem esse. Hac tu profecto ratione non confecisti quod uolebas. nam ut illud nemo dicat, nil interesse inter animam & uitam: nihilominus idem illud incommodum sequitur, si illud modo admittat quispiam, cum mors interitus quidam sit, eam esse uitæ contrariam, interitui autem generationem. Ac huiusmodi quidem rationes non sunt ita uitiosæ, ut nil omnino necessariò efficiant: sed cum necessaria conclusiones sint, ad illud modo conficiendum quod propositum est, infirmæ ac minime necessaria dicuntur, neque his captionibus respondentes modo falluntur, sed etiam qui contra disputant, sæpenumero in conclusiones huius generis incurunt, cum se optimè argumentari existimant. Atque illa quidem sufficiant de captionibus, quæ tum ex consequenti, tum ex non causa ducuntur. Postremus locis superest, duas interrogationes quasi unam accipere: quò tum referendæ sunt captiones, cum non putat respondens mule

tas esse interrogationes: ob idq; quasi ad unam interrogationem, simplicem dat responſionem. Ac nonnullæ quidem interrogationes ſunt, quas facile uidemus multas eſſe, ideoq; non eſſe ad illas ſimpliciter reſpondendum, cuius generis eſt iſta: Sitne terra mare, an cœlum? In alijs quibusdam non ita facile perſpicitur: quas interrogationes ij qui reſpondent, perinde quaſi unum eſſet quod rogatū eſt, aut admittunt, quia nil habent quod rectè ad interrogatū reſpondeant, aut coargui reprehendiq; merito uidentur. exempli cauſa: Nunquid hic, & ille homo eſt? qui igitur hunc & illum cædit, hominē uerberat, nō homines. Item illud: Poſitis quibusdam, quorum partim bona ſunt, partim mala: Sunt' ne illa omnia bona, an mala? Hic enim, utrūmuis dixeris, uno modo habebit, qui contrā diſputat, unde te non ille quidem uerè coarguat, ſed uideatur certè reprehendere; aut unde eò te deducat, ut absurdum aliquid dicere uideare. nã in bonis aliquid numerare, quod minimè bonū eſt, aut contrā in non bonis, quod bonum, absurdum eſt. Alio modo, hoc eſt, ſi alia quædam præterea aſſumat, habebit unde te uera reprehensione coarguat: ueluti ſi quis iam antè conceſſiſſet, eadem ratione unū & multa dici alba, nuda, cæca. naniſi cæcum id appellatur, quod cum in genere eorū ſit quæ uidere poſſint, caret ſenſu oculorum: cæca illa dicentur, quæ non uident, cum in genere tamen earum rerū ſint, quæ oculorum ſenſu prædita eſſe poſſunt. Hic igitur ſi de duob; rogaueris, quorū unum uideat, alterū non uideat, & alius ſimpliciter reſpondeat, illud neceſſario efficitur, utraq; ſenſum oculorum habere, aut cæca eſſe. quod fieri omnino non poteſt. Aut igitur illa & tot fallacium

ratiocinationum & reprehensionum genera statuenda  
 sunt, quæ & quot modo exposuimus: aut si malimus unū  
 quasi omnium principium constituere, reuocanda sunt om-  
 nia ad ignorantem reprehensionis. Nam posse omnes  
 modos, quos paulo ante docuimus; referri ad definitionē  
 reprehensionis, potest his rationibus intelligi: Primum,  
 si infirma est conclusio, est enim hoc in definitione repre-  
 hensionis positum, ut ex ijs quæ posita sunt, conficiat id  
 quod uult; atq; ita conficiat, ut necessaria sit re ipsa con-  
 clusio, non tantum uideatur. Deinde uero, si singulas defi-  
 nitionis partes persequamur, idem illud planū fiet. nam  
 ex ijs captionibus quæ sunt in uerbis, nonnullæ ex eo du-  
 cuntur, quod dupliciter, non singulari significatione ali-  
 quid dicatur: ut quæ sunt ex homonymia, ambigua ora-  
 tione, & dictionis forma. solent enim ista omnia, quasi  
 unum quidpiā significarent, ita usurpari. Reliquæ autē,  
 ut quæ sunt à coniunctione, diuisione, & accentu, captio-  
 nis inde originē habent, quod non eadem semper oratio,  
 aut nomen sumatur. Atqui ut fiat reprehensio, aut omni-  
 no syllogismus, oportebat sicut eadem res est, ita eadem  
 esse nomina, & orationes, atq; ita eadem: ut si de tunica,  
 uerbi gratia, concludendum esset aliquid, non esset illud  
 sub nomine uestis concludendum, sed sub eodem ipso no-  
 mine tunicæ: nō quod illud in altero nomine non tam ue-  
 rum sit, quàm in hoc: sed quia sub illo altero nomine ad  
 huc non confectum est necessarium, quod propositū erat:  
 sed illa præterea interrogatio debet accedere, nōne idē  
 unum ualeat, atq; alterum? si modò uelis ei quæ causam  
 rogauerit, unde illud sequeretur quod concludis, iuxta ra-  
 tione satisfacere. Quod autē captiones, quæ ab accidente  
 ducuntur,

ducuntur, huc reuocari possint, ex definitione ratiocinationis statim fiet manifestum. Est enim eadem reprehensionis quæ syllogismi definitio, nisi quod præter syllogismi rationem adiungitur uerbum illud, contradictionis: Reprehensio enim nil aliud est, quam ratiocinatio, quæ ad conficiendam contradictionem pertinet. Si igitur quæ ex accidente captiones ducuntur, syllogismi non sunt, nec reprehensiones profectò erunt. Neque enim si ex illo anteceddente efficitur hoc consequens, hoc album sit: necessario conficitur, ut etiam illud antecedens album sit. Sed nec illud necessario concluditur, si triangulū habeat tres angulos pares duobus rectis, ei autem accidat, ut aut figura sit, aut primum, aut principium: ex ijs inquam non poterit necessario sequi, eandem illam proprietatem conuenire figuræ, primo, aut principio: quandoquidem huius rei demonstratio non fiat de figura aut primo, quia figura sit aut primum, sed de triangulo hoc ipso quod triangulū est. Quod idem in alijs eiusdem generis dicendum est. Quare si omnis reprehensio est ratiocinatio, nulla erit ex accidente captio, quæ possit reprehensionis nomine appellari. Veruntamen hoc maxime fallacium conclusionum genere falluntur, & coarguuntur ab imperitis hominibus ij etiam, qui uel arte aliqua, uel omnino scientia quædam sunt præditi. Ducunt enim illa ab accidentibus argumenta, quæ contra sapientes obijciant: quæ quoniam docti alioqui homines discernere ac distinguere rectè interdum non possunt, propterea ab illis interrogati aut concedunt: aut etiã quæ non admiserunt, ea se cõcessisse opinantur. Quæ uerò ex eo ducuntur, quod simpliciter et ex aliqua parte dicitur, in reprehensionis ignorationem

eo incurrunt, quòd in ijs affirmatio et negatio in eadem re non accipiuntur. Nam ei quod ex aliqua parte album est, id contradicit quod non est ex aliqua parte album: ei uerò quod omnino album est, id quod non est simpliciter album. Si igitur quod ex aliqua parte album esse dederit quispiam, ita alius accipiat, quasi omnino albū esse concessisset, eo modo nunquam illum uerè reprehendet: quòd autem reprehendere uideatur, ex eo proficiscitur, quòd ignoratur quid sit reprehensio. Iam autem aperitissime omnium ad hoc caput referuntur illæ captiones, quas supra ex definitione reprehensionis appellauimus: unde etiam factum est, ut illo nomine uocarentur. Causa enim cur illæ aliquam habeant speciem reprehensionis, in prætermissione alicuius partis definitionis posita est. Atq; si distribuantur singula in partes, eo modo quo iam aggressi sumus, communem esse omnibus captionibus hanc definitionis prætermissionem facile perspicietur. Quòd uerò huc etiam reuocentur captiones, quæ oriuntur ex eo, quòd illud ipsum, de quo instituta est disputatio, assumitur, aut in quibus nõ causa pro causa ponitur, uel ex ijs quæ nominatim in definitione posita sunt, perspicere potest. Illud enim in definitione erat, ut cõclusio necessario sequeretur propter illa quæ antè posita essent: quod non fit in captionibus quæ non causam pro causa accipiunt. Item illud in definitione ponebatur, ut non inter sumptiones acciperetur id, quod fuit à principio positum ad differendum: quod non obseruatur in captionibus quibus committitur petitio, ut uocatur à principij. Quæ uerò ex cõsequentibus ducuntur, quasi partes quædam in accidentium captionibus continentur, nam quod est

est alteri consequens, id in accidētium numero censetur. Illud tamen differt cōsequens ab accidente, quod in uno tantum cernitur tractatio accidentis: ueluti flauum & mel idem esse, aut album & cygnum. Consequentis autē uis et tractatio, non nisi in pluribus intelligi potest. nam si quæ sint, quæ idem quod unum aliquid ualent, ea etiā idem ualere inter se postulamus: ex quo proficiscitur reprehensio illa, quæ ex consequenti appellatur. Illud uerò pronunciatum non est ex omni parte uerū, ut si non per se, sed fortuitò & per accidens album sit utrunq;. in eo enim cygnus & nix idem sunt, quod utrunq; album sit. Aut si aliud exemplū malis, sumatur argumentatio Melissi, ubi ille accipit idem esse, principium habere, & generatum esse: aut illa, in qua pro eodem accipiuntur, æqualia fieri, & eandem recipere magnitudinem. Quia enim quod factum est, principium habet: idcirco uult Melissus uicissim effici, ut quod principium habet, factū sit: perinde quasi idē ualeant ista duo, propterea quod principium habeat quod generatum est, et quod est finitum. Quod idem in ijs quæ æqualia sunt, contingit. Nam si, quæ utram atq; eandem magnitudinem accipiunt, æqualia sunt: uicissim etiā quæ paria sunt, unam & eandem recipere magnitudinem postulatur: quo fit, ut ex consequenti ducta sit hæc uitiosa conclusio. Quoniam ergo ad reprehensionis ignorationem reducuntur captiones accidentis, profectò dubium iam esse non potest, quin eodē etiam referri possint quæ ex consequētibus eruiuntur. Sed illud certe, si modò diligentius attendas, alia etiam ratione melius doceri potest. Reliquæ sunt captiones, quæ ex eo nascuntur, quod multæ interrogationes pro una accipiuntur:

piuntur: quæ inde uim habent, quod à nobis uis & natura propositionis non satis explicatè animo cernitur, ac ueluti in suas partes tribuitur. Est enim propositionis natura in eo posita, ut unum de uno dicatur: nimirum quia non est alia definitio eius quod unum quidpiam huius generis est, quàm ipsius omnino generis: ut unius hominis eadem est quæ hominis definitio, & sic alia. Si igitur ea est una propositio, qua unum de uno pronuntiat, erit perfectò ipsius omnino propositionis natura in eo posita, ut sit talis aliqua interrogatio. Et quoniam ex propositionibus constat syllogismus: reprehensio autem syllogismus est: propterea necesse est, ut etiam reprehensio ex propositionibus constet. Quapropter si ea demum propositio est, in qua unum de uno pronuntiat, illud iam dubium esse non poterit, quin huiusmodi captiones ad ignorationem reprehensionis pertineant: utpote quæ non propositiones, sed quæ propositiones modò esse uidentur, accipiant. Ac si interrogatus quidem alius quæsi ad unam interrogationem respondeat, uera hinc nascetur reprehensio: sin ille non ita respondeat, sed uideatur modò respondere, fallax, non uera erit reprehensio. Quare omnes fallaciarum conclusionum modi in reprehensionis ignorationem incurrunt. Atq; illi quidem, qui in uerbis cernuntur, propterea huc pertinent, quia non uera contradictio, quod tamen est reprehensionis maximè proprium, sed falsa modò species contradictionis in eis existat: reliqui autem alij propter definitionem ratiocinationis. Causa autem cur nos decipiant captiones, in quibus inest aut nominis multiplicitas, aut orationis ambiguitas, est, quia distinguere non possumus ea quæ multis

c6

D  
 multis m  
 la, quor  
 iusmodi  
 Etione  
 nil put  
 oration  
 multum  
 tio: qui  
 interse  
 Quæ ex  
 borum  
 Difficil  
 quorū d  
 ut quid  
 hac pot  
 quia om  
 hoc aliq  
 nim sur  
 conseq  
 clam n  
 modus  
 quod pa  
 cimur  
 animo  
 uerbis  
 quod u  
 tam ad  
 rō, qua  
 tus apu  
 ex uer

multis modis dicuntur. Nam huius generis sunt nonnulla, quorum multipliciter explicare non est facile: cuiusmodi sunt, ens, unum, idem. In ijs uero quæ ex coniunctione & diuisione oriuntur, erroris causa est, eo quod nil putamus interesse inter coniunctam & distinctam orationem: sicut in plurimis nullum est discrimen. Nec multum absimilis est in ijs quæ ex accentu eruantur, ratio: quia scilicet aut nusquam, aut certè in plurimis nil interesse inter contentum & remissum uerbum uideatur. Quæ ex uerbi specie ducuntur, propter quandam uerborum inter se similitudinem, in errorem nos inducunt. Difficile est enim discernere, quorum sit eadem ratio, et quorum diuersa. Nam qui hoc præstare potest, propè est, ut quid in quaque re uerum sit, cognoscat: idemque scit, nos hac potissimum ratione sophistarum captionibus uincit quia omne quod alteri attribuitur, ita accipimus, quasi hoc aliquid, unamque numero naturam significet. Hæc enim sunt, quæ substantiam, & id quod unum est, maxime consequuntur, significare hoc aliquid, & unam quandam numero naturam. Vnde etiam fit, ut hic captionis modus inter eos numeretur, qui sunt in uerbis. Primum, quod per huiusmodi captionem in errorem potius inducimur, dum aliquid cum altero tractamus, quam cum animo eandem ipsam rem apud nos exagitamus. Atqui uerbis absoluitur omnis sermo, qui cum altero confertur: quod uero apud nos taciti cogitatione tractamus, non tam ad uerba, quam ad rem ipsam pertinet. Deinde uero, quando euenit quenquam hac captionem falli, dum tacitus apud se rem exquirat, ex eo semper oritur error, quod ex uerbis rem consideret. Postremo harum captionum

omnis

omnis error ex similitudine nascitur, quæ profectò simi-  
 litudo nusquam est nisi in uerbo. Captiones autem ex  
 accidente eo nos in errorem inducunt, quòd diiudicare  
 & distinguere rectè non possumus, quæ sint eadem, quæ  
 diuersa: quæ unum sint, quæ multa: quibus attributis con-  
 uenire oportet quæ rei insunt, & quibus minimè. Quod  
 idem in captionibus ex consequenti dicendum est: quan-  
 do quidem consequens pars quædam accidentis est. His  
 accedit, quòd, quoniam in multis uerum esse uidetur, si  
 hoc est illius ita consequens, ut seorsum ab illo esse non  
 possit, & uicissim illud ex hoc perpetua quadam coniun-  
 ctione consequi: idcirco quasi reuera ac semper ita esset,  
 suam argumentationem tractant qui his captionibus ut-  
 untur. Fallimur autè captionibus, quæ ex omiſsa aliqua  
 parte definitionis, quæq; ex eo quod aliquid omnino di-  
 citur, et quadam ex parte oriuntur, eo nomine, quòd res  
 parum inter se distantes non rectè distinguimus. Nam  
 quasi nil plus significet, esse quidpiam, aut quadam ex  
 parte, quàm esse omnino, aut uerò esse quodam modo,  
 aut hoc tantum tempore: ita in toto genere ac simplici-  
 ter concedimus. Nec diuersa est in ijs ratio, quæ aut illud  
 ipsum de quo est quæstio, assumunt, aut non causam pro  
 causa ponunt, aut unam faciunt interrogationem quæ  
 multæ sunt. Nam in ijs etiam erroris causa est, paruum  
 admodum rerum inter se discrimen: quia scilicet non sa-  
 tis subtiliter & accuratè perspicimus propositionis aut  
 ratiocinationis definitionem, ob eam, quam supra dixi-  
 mus, causam. Quoniam autem ex quot, quibusq; locis du-  
 cuntur uitiosæ ratiocinationes, quæq; uidètur modò, nec  
 sunt, iam tenemus: illud quoq; simul cõfectum est, qui &  
 quot

C 7

quot loci sunt, ex quibus eruuntur sophisticæ omnino ra-  
 tiocinationes & reprehensiones. Ego uerò sophisticas ra-  
 tiocinationes & reprehensiones hoc loco ita accipio, ut  
 nō modò cōplectantur eas quæ inani quadā et falsa spe-  
 cie ueras ratiocinationes aut reprehensiones præ se ferūt:  
 sed etiam eas quæ uera sunt ratiocinationes, habent ta-  
 men falsam quandam hac ex parte speciem, qua ad eam  
 rem, quam efficiunt, propriè accōmodata esse uidentur,  
 nec sunt tamē. cuius generis sunt, quæ illud non præstāt,  
 in quo potissimū munus pirastices, hoc est, quasi ratio-  
 nis examinandi (quæ pars quædam est dialecticæ) positū  
 est: quia scilicet non uerè coarguunt aduersariū, nec ma-  
 nifestam faciunt eius imperitiam. Atq; illa quidem pira-  
 stice falsum aliquid suis argumentis nonnunquā efficit:  
 sed illud euenit propter imperitiam eius, qui in re de qua  
 agitur, tales potius rationes admittit. Sophisticæ autem  
 reprehensiones, licet etiam necessariò concludant dispa-  
 rata, non tamē manifestò alterius imperitiā coarguente  
 quin etiam eis qui sciunt, tenebras offundunt. Sed quòd  
 eadem uia & ratione locos utriusq; generis reprehen-  
 sionum complexi sumus, hinc fiet manifestū. Nam quot,  
 quibusq; de causis solet uideri auditoribus, ex ijs quæ in-  
 terrogata sunt, bene ac necessariò rem confici: ijsdem et  
 tot respondententi idem illud uideri consentaneum est. Ex  
 illis igitur quos exposuimus locis, aut omnibus, aut certè  
 nonnullis, eruuntur falsæ ratiocinationes. Quod enim se  
 non interrogatus quispiā admisisse existimat, idem pro-  
 fectò interrogatus non diuersa erit sententia. Verum-  
 enim uero inter has ratiocinationes nōnullæ sunt, in qui-  
 bus simulac interrogantur ea quæ ad perfectam conclu-  
 sionem

sionem deerant, confestim falsitas apparet: cuius generis  
 captiones ferè sunt, quæ ex uerbis ducuntur, & quæ ad  
 solæcismum perducere aduersarium conantur. Si igitur  
 paralogismi, quibus disparata concluduntur, omnes ad  
 reprehensionem ita pertineant, ut eo peccent, quod spe-  
 ciem modò inanem reprehensionum præ se ferant: illud  
 profectò negari nõ potest, quin falsæ ratiocinationes ex  
 hisdem & tot locis ducantur, ex quibus reprehensiones  
 oriuntur, quæ fallaci specie ueras imitantur. Atqui falla-  
 ces istæ & fucatæ reprehensiones ex eo nascuntur, quòd  
 aliquam partem ex his quæ sunt in natura uera repre-  
 hensionis prætermittunt. Ut enim quæq; ex singulis partibus  
 omittitur, ita fallax & fucata fit reprehensio. uerbi gra-  
 tia, quando id quod concluditur, non sequitur ex his quæ  
 antè posita sunt, oritur illa captio, quam maxime in ar-  
 gumenta cadere diximus, quæ ad incommodum ducant.  
 Quæ uerò multas interrogationes accipit pro una, eo  
 peccat, quòd propositionis natura non rectè accipitur.  
 Quæ ex accidente ducitur, & altera, quæ huius pars est,  
 ex consequenti, hoc habet uitij, quòd pro eo quòd per se  
 debeat esse, illa accipiunt. Peccant etiam illæ manifestè  
 contra definitionem, quarum cõclusio non ad rem eandem,  
 sed ad uerba tantum eadem pertinet. Præterea aduersus  
 id quod diximus, oportere contradictionem in toto gene-  
 re ac simpliciter accipi, & in re eadem, & ad idem, &  
 eodem modo, omnes captiones peccant, quæ id quod ex  
 parte modò aliqua dicitur, sumunt, aut huius generis ali-  
 quid, cõtrà quam singule illæ particule significant. De-  
 niq; in eam partem definitionis, non accepto eo inter sum-  
 ptiones, quod à principio positum est in disputatione, in-

currunt

DE  
 currunt  
 re ex quo  
 hac uia p  
 & in eo  
 illud aut  
 sionem,  
 esse repre  
 do, uel illu  
 accipiat.  
 ne: & q  
 re, quæ s  
 in alijs: i  
 nationes  
 quidem q  
 cessum h  
 dentem,  
 apud om  
 id quod  
 do, &  
 Neq; u  
 quibus l  
 plectam  
 gnosci  
 una qu  
 de etia  
 eadē, u  
 ne con  
 posit,  
 tem po  
 diamet

currunt omnes, quib. petitio principij cōmittitur. Quare ex quot, quibusq; locis paralogismi eruantur, eadem hac uia perspicere poterit. Nam & ijs plures esse nequeūt, & in eos omnes quos enumerauimus, incurrere possunt. Illud autem hic intelligendum est, sophisticam reprehensionem, & syllogismum, non omnino, nec apud omnes esse reprehensionē, aut syllogismum: sed apud hunc modum, uel illum. Ac si quidem ab eo qui respondet, alius non accipiat, uerbum multiplex unam habere significationē: & quod simili forma uerbi profertur, rem declarare, quæ sit hoc aliquid, unumq; numero: eodemq; modo in alijs: illæ nullo modo aut reprehensiones, aut ratiocinationes erunt: hoc est, nec apud omnes, nec apud eum quidem qui interrogatur. Sin illud ab aduersario concessum habeat, erit illa quidem, quod attinet ad respondentem, reprehensio, & syllogismus: omnino autem, & apud omnes, non erit: quando quidem non sumptum sit, id quod reuera unū significaret, sed quod uideretur modo, & ab eo acceptum, qui talis, hoc est imperitus esset. Neq; uerò nobis hoc loco elaborandū est, ut ex quot, & quibus locis omnes ueræ reprehensiones ducuntur, complectamur: quando illud sine omnium rerum scientia cognosci non possit. Nulla autem ars est, quæ hoc prestare una queat. Sunt enim scientiæ propemodum infinite. unde etiam planum est, demonstrationes esse infinitas: quæ eadē, ueræ sunt reprehensiones. Nil enim demonstratione concluditur, quod idem reprehensione confici non possit, qua eum coarguis, qui contradictionis eam partem posuerit quæ falsa est. Exempli causa, si quis dixerit, diametrum esse cōparabilem cum latere: is coarguetur

Q 2 demon-

C 8

demōstratione, qua non esse comparabilem diametrum  
 ostenditur. Itaq; omnium rerum scientiam habeat neces  
 se est, qui omnes omnium reprehensionum locos sit ani  
 mo comprehensus. Aliæ enim reprehensiones ex geo  
 metria, aliæ ex medicina, aliæ ex aliarum cuiusq; gene  
 ris scientiarum initijs & conclusionibus ducuntur. At  
 uerò falsæ etiam reprehensiones non minus infinitæ sunt,  
 quam illæ. quandoquidem nulla sit ars, quæ suos nō ha  
 beat falsos syllogismos: ueluti in geometria geometrici,  
 in medicina medici. Quod autē dixi in quaq; arte falsos  
 esse syllogismos, sic accipi uolo, ut eō tantum artis esse di  
 cantur, quod principia accipiūt ipsius artis. Perspicuum  
 igitur est, non esse nobis hoc loco explicandos omnes om  
 nium reprehensionum locos: sed eos modò, ex quibus dia  
 lecticæ reprehensiones eruuntur. sunt enim illi cōmunes  
 omnibus artibus & facultatibus. Ac debet quidē quisq;  
 artifex, omnes quæ ad suam artem pertinent, represen  
 siones cōsiderare, siue sint illæ ueræ reprehensiones, siue  
 speciem tantum habeant uerarum: et quamobrem talis sit  
 unaquæq; explicare. Quæ uerò ex communibus, quæq;  
 nullius artis propriæ sunt, cōstant, hæ dialecticæ sunt con  
 siderandæ. nam si locos teneamus, unde ducuntur proba  
 biles ad disputandū de quaq; re syllogismi, simul ex qui  
 bus reprehensiones eruendæ sint intelligimus: cū præser  
 tim nil sit aliud reprehensio, quam syllogismus contradi  
 ctionis: ita ut tum sit reprehensio, quando aut uno syllo  
 gismo, aut duobus disparata conclusa sunt. Vnde igitur  
 omnes huiusmodi ex communibus factæ reprehensiones  
 proficiantur, ex superioribus libris intelligi potest: si  
 mulq; unde istarū reprehensionum dissolutiones accipi  
 possunt:

DE  
 possunt  
 ne aliqua  
 sunt. cog  
 ueræ rep  
 uis, sed c  
 persequi  
 hominib  
 hys ergo p  
 nes locos.  
 tes ducun  
 re, siue  
 siue dial  
 deantur.  
 nandam  
 tur. Non  
 tur aliqu  
 tinere. p  
 nomen  
 dem ess  
 tia. Qu  
 quam n  
 uocabul  
 sponder  
 contem  
 ad sent  
 dens, a  
 cet aliq  
 respon  
 sunt: ex  
 quoz q

possunt: quando eas soluere nil aliud sit, quàm exceptio-  
 ne aliqua eas refellere. Ex ijs uerò quæ paulo ante dicta  
 sunt, cognoscimus, quot, quibusq; ex locis oriuntur non  
 ueræ reprehensiones: sed quæ non illa quidē temerè cui-  
 us, sed certis quibusdam hominibus esse uideatur. Nam  
 persequi omnes causas, quibus uideri possint quibuslibet  
 hominibus reprehensiones, quæ non sunt, infinitū est. Ex  
 ijs ergo perspicuū est, dialectici esse, notatos habere om-  
 nes locos, unde reprehensiones ex communibus constan-  
 tes ducuntur, cuiuscunq; generis illæ sint: hoc est, siue ue-  
 ræ, siue in speciem tantūm reprehensiones sint; itemq;  
 siue dialecticæ reuera sint, siue dialecticæ tantūm esse ui-  
 deantur, aut uerò ex eo rationum genere, quæ ad exami-  
 nandam & excutiendam alterius eruditionem adhiben-  
 tur. Non est uera illa argumentorū distributio, qua utun-  
 tur aliqui, dicentes, alia ad nomen, alia ad sententiā per-  
 tinere. nam existimare diuersa esse argumenta, quæ ad  
 nomen & quæ ad sententiā pertinent, ac non potius ead-  
 dem esse quæ utroq; genere cōtinentur, magna est amen-  
 tia. Quid enim aliud est, non argumētari ad sententiam,  
 quàm nō uti eum qui se rectè putat interrogare, aliquo  
 uocabulo in ea significatione, in qua est concessum à re-  
 spondente? Quid uerò, nonne etiam hoc est de nomine  
 contendere? Iam uerò quid est conferre argumentum  
 ad sententiam, nisi cum intellexeris, quod dixit respon-  
 dens, ad id argumentum dirigere? Quod si plura signifi-  
 cet aliquod uerbum, putent autem qui interrogat et qui  
 respondet uno modo dici (ueluti ens & unū multiplicia  
 sunt: existimabant tamen Zeno qui interrogabat, & is  
 quoq; qui illi respōdebat, uno tantūm modo dici, ex quo

C9

factū est à Zenone argumentū, quo omnia esse unū concluderet illam certē eandem argumentationem, siue ad nomen pertinere dicas, siue ad sententiā eius qui respondet, utroq; modo non malē dixeris. Sin plura significare putent, non dubium est quin ad sententiā illa nō possit pertinere. Primum igitur in ijs argumentis quæ multipliciter aliquā habent, illud usuuenit, ut quæ sunt ad nomen, eadem ad sententiā pertinere cernantur. Deinde uerò nulla omnino argumentatio est, in quā illud, esse ad sententiā, cadere non possit: quandoquidē esse ad sententiā et mentem alterius, non sit in ipsa argumentatione positū, sed in eo, quod respondens hoc uel illo modo affectus est ad ea quæ concessit. Tum uerò nulla est contrā, cui non possit accidere ut sit ad nomen, præsertim cum hoc loco esse ad nomen idē ualeat, quod non esse ad mentē alterius. Nā si nō omnes illuc referri possint, erūt profectō aliquæ reprehensiones, quæ neq; ad nomen, neque ad sententiā erunt. Illi autem altero horum generum omnes cōtineri dicunt: atq; ita diuidunt, ut omnis generis reprehensiones aut ad uerba, aut ad sententiā pertinere fateantur. Atqui ex ijs quidem syllogismis, in quibus quædam inest multipliciter, nōnulli sunt qui ad nomen pertinent, (nam illud absurdum est, uelle omnes captiones quæ ex uerbis ducuntur, pertinere ad nomē) sed illud certē negari etiam nō potest, quin aliquæ sint in eodem illo genere captiosæ & fallaces ratiocinationes, quæ non ex se uim habent, quia si hoc uel illo modo affectus respondens: sed quoniā ipsa per se argumentatio cōtinet aliquā interrogationem, quæ multis modis dicatur. Iam uerò illud omnino absurdum est, habere illos qui sic diuidunt,

prius

DE REPREEN. SOPHIST. 613

prius rationem reprehensionis, quam syllogismi: et de illa prius quam de hoc differere. Cū enim reprehensio syllogismus quidam sit, necesse est ut prius respiciamus quid in syllogismo positum sit, quam quid in falsa reprehensione: quæ aliud nihil est, quam non uera, sed fallax & fucata ratiocinatio, adhibita ad concludendum disparata. Vnde etiã sit, ut omnis captionis uitium uel sit in syllogismo, uel in contradictione (nam ad syllogismū oportet contradictionem accedere, ut sit reprehensio) uel in utroq; ut autem singulorū exempla subiiciam, illa captio qua concluditur, *οὐκ ἔστιν* proloqui, uitium habet, non in syllogismo, sed in contradicendo: illa uerò, qua dare aliquem posse quod non habet, conficitur, utroq; modo uitiosa est. Illa postremò qua efficitur, Homeri poema esse figuram, quia circulus quidam sit, in syllogismo uitium habet. Quòd si qua erit argumētatio, quæ neutro modo uitiosa sit, uera ratiocinatio censebitur. Sed ut eò redeamus unde digressi sumus, illud hic rogo, an captiones quæ in disciplinis uersantur, ad sententiam pertineant, necne? Et si in ea quisquā opinione sit, ut triangulū putet esse uerbum multiplex, isq; interrogatus in alia significatione concedat, quam in qua de triangulo cōclusit alius, habere tres angulos pares duobus rectis, eritne illa ad mentem & sententiã alterius disputatio, an potius non erit? Præterea si multis modis dicatur uerbum aliquod, eamq; multipliciter nec intelligat alius, nec ullam omnino esse suspicetur: hic, quæso, quoniam pacto ad mentē & sententiã alterius collata est disputatio? Aut quo tandem modo, ut sit ad sententiã disputatio, interrogare alius debet: nisi forte adhibita simul ambigui distinctione

interrogandū sit, ut sit huiusmodi, uerbi gratia, interrogatio: sit ne uerū, *ἢ ἢ ἢ* proloqui, an falsum: an potius uno modo uerum, & altero falsum? At enim si nihilominus hic ita respondeas, ut nullo modo fieri illud posse dicas, contra autem alius disputet, nunquid erit ad sententiam tuam disputatum? Atqui ad nomen etiam quin huiusmodi argumentatio pertineat, negari non potest. non est igitur unum quoddam captionum genus ad mentem & sententiam pertinentium: sed illud modò uerum est, nonnullas esse quæ ad nomen sunt: nec huius generis omnes esse possunt, non dico quæ ueræ sunt reprehensiones, sed ne illæ quidem quæ falsa specie ueræ reprehensiones præ se ferunt: quando quidem multæ sint captiones, quæ ne ex uerbis quidem ducuntur: quales sunt, quæ ex accidente eruantur, & aliæ nonnullæ. Quòd si quis existimet, oportere eum qui interrogat, simul interrogando multipliciter uerbi indicare, & distinguere hunc in modum: quum dico *ἢ ἢ ἢ* proloqui, uolo intelligas, posse hoc uel illo modo accipi: illa quidem certè primùm erit ualde absurda & iniqua postulatio, præsertim cū illud sepe usuuenire uideatur, ut qui interrogat, nesciat omnino multis modis dici posse quod rogat. Quòd uerò multiplex esse non putes, illud ut distinguas fieri non potest. Deinde uerò quid, quæso, hoc aliud erit, quàm docere? Hoc enim modo res, ut est, illi explicatur & declaratur, qui nec animaduertit, nec scit, nec omnino suspicatur, posse id de quo interrogatur, alio atq; alio modo accipi. Nam quid uetat, quo minus huiusmodi distinctio etiam in istis argumentis locum habeat, in quibus nulla est ambiguitas? exēpli causa, nonne quatuor unitates sunt pares duobus

duobus binarijs, qui sunt in quaternario? ita tamen, ut  
 diuerso modo in quatuor insint duo binarij, & quatuor  
 unitates. Itemq; illa, est ne contrariorum eadem sciētia?  
 sed ita tamen, ut alia sint cognita, alia incognita. Qua-  
 propter qui ista distinctione utendum esse censent, igno-  
 rare uidentur, aliud esse docere, aliud disputare: et quod  
 oporteat docentem non interrogare, sed manifestum fa-  
 cere id de quo agitur: disputantem uero, cum modo, qui-  
 cum disputat, interrogare. Iam uero postulare, ut is quis  
 cum disputatur, aut dicat, aut neget, non est docentis ac  
 demonstrantis rem, sed eius qui te probare ac ueluti exa-  
 minare uelit. Est enim tentandi & examinandi ratio,  
 pars quaedam dialectica; ob eamq; causam tota in eo  
 posita est, ut quid de quaq; re sentiant, non illi qui uerē  
 docti sunt, sed qui rerum sibi irrogant cognitionē, cum  
 sint illarum imperiti, obseruet atq; exquirat. Atque ille  
 quidem, qui non in speciem modo, sed reuera communia  
 peruestigat & exquirat, dialecticus est; qui uerō id fa-  
 cere uidetur, nec facit, sophista. Ac ratiocinationum  
 quidem contentiosarum & sophisticarum unum genus  
 est, quo omnes continentur; quæ, cum ex ijs rebus con-  
 stent, in quibus uersatur tentandi ratio, speciem habent  
 syllogismorum, nil tamen necessario concludunt, etiam si  
 id uerum sit quod concluditur. Istarum enim uitium est  
 in uerbo medio, in quo uis consecutionis posita est. Altes-  
 rum genus est eorum paralogismorum, qui, cum proprie-  
 ad aliquam artem accommodati esse uideantur, ad cer-  
 tam tamen quandam artem reuera non pertinent. neq;  
 enim illi qui pseudographi appellantur (quandoquidem  
 illi sunt paralogismi de aliqua re facti, quæ cuiusdā artis

propria sit) contentio si sunt existimandi, ne si illi quidem  
 pseudographi uerū aliquid concludant: qualis erat Hipe-  
 pocratis ratio, qua circulum quadrare per lunulas cona-  
 batur. Sed erit certē contentiosa ratio, si talis sit qualis  
 erat Brysonis quadratura: qua quidem ratione tametsi  
 quadratum circulo æquale dari concluderetur, tamē co-  
 nomine sophistica est appellanda, quod non propriē est  
 ad illam rem accommodata. Quare quæcūq; ratio cina-  
 tio accommodata ad rem uidebitur, quæ non erit accom-  
 modata, etiamsi necessariā habeat conclusionem, sophi-  
 stica tamen & contentiosa erit appellanda: propterea  
 quod ea salit̄ ex parte, qua ad istam rem uidetur accom-  
 modata, fallacē habet quandam speciem, per quam deci-  
 pimur, ac ueluti iniuria quadā afficimur. Quemadmodū  
 enim inter certandū, quis aduersario facimus iniurias,  
 speciem quadā æquitatis præ se ferunt, & tamen reue-  
 ra est iniqua certandi ratio: sic in disputatione iniquum  
 certamen est, ubi ad nimiam contentionem res progred-  
 ditur. Nam ut in certaminibus, qui quauis ratione uicti  
 res esse uolunt, nil non mouent, nil non aggrediuntur: ita  
 hic in disputatione idem faciunt, qui sunt supra modum  
 litigiosi. Atq; ex his quidem, qui tantam adhibent conten-  
 tionem, quicūq; sibi uictoriam proponunt: illi sunt qui  
 propriē litigiosi & contōtionis amatores censentur. qui  
 uerō gloriam, ex qua quæstum faciant, aucupantur, so-  
 phistæ. Est enim sophisticæ, quemadmodum supra dixi-  
 mus, ratio quæstus faciendi ex sapientiæ simulatione,  
 Quo fit, ut demonstrationes etiam, quæ specię quadam  
 ueris imitentur, potissimum expetāt sophisticæ. Et ratio-  
 nes quidem nō sunt diuersæ, quibus litigiosi homines, &

quibus

quibus sophistæ utuntur, sed sine distinguuntur: & unâ eademq; probatio sophistica erit, & contentiosa: uerùm non eadem ratione. Nam qua ad opinionem uictoriæ adhibetur, contentiosa est: qua uerò ad opinionem sapientiæ confertur, sophistica. Etenim sophisticè est sapientiæ quædam simulata, non uera. Ferè autem contentiosæ argumentationes eodem modo affectæ sunt ad dialecticas, quo modo pseudographi ad geometricas demonstrationes. Ut enim nullæ sunt captiosæ cõclusiones, quæ in ipsa dem rebus cernuntur, in quibus uersatur dialectica: ita pseudographi iisdem de rebus fiunt, de quibus geometra suas facit demonstrationes. Verùm huiusmodi quidem certè pseudographi non sunt contentiosi, quoniã ex proprijs & conclusionibus alicuius artis proprijs conficiuntur. Quæ uerò ex ijs rebus cõstant, in quibus uersatur dialectica, si quasi accommodatæ ad aliã rem demonstrationes accipiuntur, erunt contentiosæ. quemadmodũ his exemplis perspicitur: illa ratio, qua per lunulas quadrari posse circulum demonstrabatur, non est contentiosa: Brysonis autè ratio est contentiosa. Atq; illa quidem prior ratio, cum ex proprijs geometriæ principijs cõficiatur, ad nullam aliam artem quàm ad geometriã transferri potest: hæc posterior apud eos etiã usurpari poterit, qui illius artis imperiti, omnino quid in quac; re fieri possit, & quid non possit, ignorant: atq; ita usurpari, ut ad singula, ad quæ adhibebitur, accommodata sit. Est etiam in hoc eodẽ genere ratio, qua Antiphon quadraturam circuli ostendere conabatur. Itemq; si quis, adhibita ratione Zenonis, uellet ostendere, non esse bonum post cœnam inambulare, non adferret propriam medicinæ rationem.

quans

quandoquidem illa sit communis maxime ratio. Si igitur eodem plane modo affectus est litigiosus homo ad dialecticum, quo ad geometram is qui pseudographos facit: non poterit profecto ex ijs quæ propria sunt, consistere contentiosa argumentatio. *Nunc autem dialecticus nullum certum genus habet, in quo quasi in subiecto sibi proprio uersetur: nec ulla in re demonstrationes adhibet: neque talis est artifex, qui omnium rerum considerationem suscipiat, neque enim possunt res omnes sub unum genus cadere: nec si possent, uere illud dici posset omnium eadem esse principia. Unde etiam fit, ut nulla earum artium quæ in tractanda certa quadam natura demonstrationibus utitur, percontando differat, & suas probationes ex interrogatione accipiat. Cum enim non possit ex utraque contradictionis parte accommodata ad rem docendam fieri ratiocinatio, non debet liberum esse, utramuis partem admittere. Dialectica autem percontatrix est, & totam uim habet ab interrogatione. Atqui si demonstrationes in differendo adhiberet dialectica, illam certe oporteret, si non omnia, at certe prima pronuntiata, & propria sua principia citra illam interrogationem accipere: alioqui si illa non admitteret alius, nil iam superesset, unde id euerteret quod esset ab altero oppositum. Plane autem generis eiusdem est pirastice cum dialectica. neque enim hæc tentandi & examinandi ratio talis quadam ars est, qualis est geometria: sed cuius munus præstare etiam indoctus alius quis possit. Quid enim est cur non possit, qui rei alicuius non habet scientiam, quasi tentandi causa cum eo disputare, qui etiam sit illius rei imperitus? præsertim cum eo*

conferatur disputatio, ut non ex ijs constet quæ illi qui doctus sit perspecta sunt, quæq; sunt rei propria: sed ex consentaneis quibusdam, & consequentibus rei: quæ consequentia huiusmodi ferè sunt, ut tametsi illa scias, nit tamen uetet te artem nescire: at si nescias, omnino artis cognitionem assequi non possis. Ex ijs ergo planum est, pirasticen non esse scientiam, quæ in certo quodam genere subiecto uersetur, ideoq; de omnibus disputationem suscipere. Habent enim omnes scientiæ communia quædam, quibus utuntur: ob eamq; causam fit, ut omnes homines, etiam idiotæ, quodam modo utantur arte dialectica, & pirastica: quædoquidem nemo sit, qui ad aliquem modum non uelit iudicium ferre de ijs qui aliquid profitentur. Porro autem ipsa communia omnibus sunt, & apud omnes eadem: quandoquidem non sint illa minus idiotis cognita, quam alijs: etiamsi minus aptè, & citra ullam artem tractare illa uideantur. Quo fit, ut nemo sit qui refellere & reprehendere argumentis alterum non conetur. Omnes enim nulla arte adiuti, sed duce tantum natura illius sunt muneris capaces: quod arte perfectum & politum, dialecticæ proprium est: illiusq; dialectici, qui adhibita diligenti differendi ratione ad tentandum & examinandum alterum suas disputationes confert. Quoniam autem hæc communia sunt permulta, & tam latè diffusa, ut nusquam non reperiantur: quæ tamen non sunt talia, ut unam quandam communem naturam faciant, & ad unum genus reuocentur, sed uagæ semper, & incertæ naturæ, perinde ut sunt negationes: præter hæc autem alia sunt, quæ non uagæ, sicut ista, sed propria sunt: ex ijs perfectò planum est nul-

51

lans

Stigi-  
homo ad  
graphos  
unt, cons  
dialecti-  
subiecto  
nes ad  
consis  
nnes sub  
ici possit  
ut nulla  
o natura  
& suas  
nim non  
modata  
liberum  
em per  
gatione.  
yret dia  
erie pri-  
quellam  
imittet  
od esset  
dem est  
andi &  
est geo-  
tus alie  
aliciuus  
o dispu  
cum eo  
6011-

lam esse rem, cuius disputationem ex talibus quibusdam  
 suscipere ac periclitari non posimus. Illud quoque perspi-  
 cuum est, quandam esse in earum rerum tractatione ar-  
 tem, quæ nil habeat simile cum scientiis demonstratiuis.  
 Quamobrem contentioni studiosi homines, multum dis-  
 similes sunt ijs qui pseudographos faciunt: ut qui non  
 ex principiis, quæ alicuius generis propria sint, fallaces  
 conclusiones efficiant, sed latè uagantes in omni rerum  
 genere uersentur. Ac modi quidem illi sunt, quos expo-  
 suimus, quibus sophistarum omnes reprehensiones confi-  
 ciuntur. Quod uerò sit dialectici hæc cōsiderare omnia,  
 quodque istarum rerum facultate ualere debeat, hinc per-  
 spici potest, quod quæ ars in propositionum, hoc est, com-  
 muniū locorum explicatione uersatur, eadem sibi uni-  
 uersam istam considerationē uendicat. Atque illa quidem  
 sufficiant de reprehensionibus fallacibus. Nunc de eo di-  
 camus, quem secundū finem sophistæ appellauimus, qui-  
 bus scilicet modis falsum aliquid sophistæ conficiant, et  
 qua ratione eò inducunt disputationem, ut incredibile  
 aliquid et præter omnium opinionem sequi uideatur.  
 Ac prima quidem ratio, ex percontandi quodam certo  
 genere sumitur, in primisque ad illud efficiendum ualet ra-  
 tio interrogandi. Qui enim ita aduersarium interrogat,  
 quasi nulla certa re proposita, de qua differatur, nil pro-  
 fectò aliud præter hoc inuestigant. Nam qui temerè re-  
 spondent, et parum accuratè quid dicant, facilius labun-  
 tur. Cum uerò nil uidemus esse propositum, de quo susce-  
 pta sit disputatio, tum minus cogitare solemus quid dica-  
 mus. Altera ratio est, quæ plurimum ualet ad deducens-  
 tum eò aduersarium, ut admirabile aliquid aut falsum  
 admit-

C 12

admittere uideatur: nempe cum multitudine interrogatio-  
 tionum eum oneramus, etiam cum est aliquid propositum  
 de quo disputetur: simulque postulamus, ut proferat, quid  
 de singulis ipse sentiat: atque ita, siue aliquid ex his affir-  
 met, siue neget, eodem loci eum perducimus, ubi argumento-  
 rum nobis copia suppetit. Verum enimvero hoc tempore  
 minus huic rationi fallendi locus datur, quam olim: nimirum  
 quod illud statim rogari solet hoc tempore, quorsum  
 haec, et quid ad id de quo instituta est disputatio pertine-  
 ant. Est autem communis locus ad eruendum tandem falsum aut  
 incredibile aliquid, nullum a principio constituere propo-  
 situm, de quo disseratur, sed profiteri se discendi studio  
 interrogare: dabit enim tandem occasione argumento huius-  
 iusmodi dissimulata rei consideratio. Ut autem falsum tuum  
 aliquid tandem concludas, proprius est hic sophisticus lo-  
 cus, eodem scilicet perducere aduersarium, ubi argumentorum  
 tibi sit copia. Sed illud certe interdum recte, interdum  
 uitiose fieri potest, quemadmodum nos supra diximus. Iam  
 uero ut admirabile quippiam contra omnium opinio-  
 nem elicias ab aduersario, uideendum est tibi, quam se-  
 ctam philosophorum sequatur is quicum disputas, ut illum  
 interroges quidpiam ex his quae contra omnium opinio-  
 nem dicunt huius sectae philosophi. Habent enim singulae  
 sectae suas quasdam huiusmodi sententias. Est autem  
 ad eam rem primum ueluti elementum, ut singularum sectarum  
 admirabiles sententias inter propositiones accipias. Verum in  
 promptu etiam est istarum captionum satis apta solutio, ut ad  
 extremum neges ex tuis uerbis se-  
 qui admirabilem illam conclusionem, quam colligit ad-  
 uersarius. Atque hoc ipsum genus dissoluendi argumenti,

non isto tantum loco accommodatum est: sed quicumque disputando altercationes modo et contentiones sibi proponit, eodem isto modo conatur aduersarij rationes eludere. Alius locus est ex hominum uoluntate, & sermonibus. Aliud enim ferè est tacitum hominum iudicium, aliud palam loquuntur. & sermones quidem sunt quam honestissimi: uoluntas autem & tacitum animi iudicium id semper spectat, quod maxime utile uidetur. Veluti nemo ferè est qui non ita loquatur, longè præstantiorem esse mortem gloriosam, quam uitam uoluptatibus affluètem: & melius esse, iuste per inopiam uiuere, quam in magna opum copia turpiter: at nemo etiam est qui non sequatur contraria. Ergo si defendat is quicumque disputas, quod homines potissimum sequuntur & uolunt, oppones contra usitatas uulgo sententias. Sin has uulgatas sententias proferat, adferenda contra erunt, quæ interim tacite homines uolunt & sequuntur. Vtrique enim ut admirabile aliquid efficiatur, necesse est: quando quidem futurum est, ut contradicat respondens, aut peruulgatis omnium sermone sententijs, aut tacito hominum iudicio. Alius locus est latissime patens, per quem cogimus aduersarium dicere aliquid admirabile (id quod Callicles in Gorgia commemorat, quodque omnes ueteres captionum unicam ferè causam existimabant) ex ijs quæ natura & quæ lege sunt constituta. naturam enim legi contrariam esse: & iusticiam quidem lege esse honestam, natura uerò non honestam. Sic igitur opus pugnandum est, qui, quod naturæ consentaneum sit, proferat, ut legem illi obijciamus: sin legem teneat, contra quæ sunt ex natura, proferenda erunt. Hæc enim effugere

gère non potest, quin utrinq; admirabile aliquid dicat. Vocabat autem illi naturam, id quod in quaq; re uerum est: legem uero, quod in multitudinis opinione positum est. Vnde perspicuum est, illius aetatis homines idem quod qui hodie sunt, fuisse conatos, ut respondentem aut reprehenderent, aut cogere tandem aliquid dicere contra omnium opinionem. Porro aut interrogaciones quaedam sunt sua sponte tales, quibus respondere non possis, quin utranq; in partem dicas admirabile quippiam: cuiusmodi sunt haec, Sitne sapientibus potius parendum, an patri? Sint ne honesta potius faciendae, an quae utilia sint? Vtrum optabilius, iniuriam pati, an facere? Iam uero perducendus est aduersarius ad ea, de quibus contraria est sapientum ac multitudinis opinio. Ac si ille quidem cum sapientibus sentiat, opponenda uulgi opinio: sin uulgi sequatur, quid sentiant sapientes contra adferendum. Hi enim eos qui beati sint, necessario iustos esse existimant: at multitudini incredibile uidetur, regem non esse beatum. Verum enim locus hic ab eo non est diuersus, qui ex legis & naturae repugnantia dictus est. nihil enim aliud lex est, quam multitudinis opinio: sapientes uero quod in rei natura positum est, & ueritatem sequuntur. Ac de locis quidem, ex quibus eruantur paradoxa, haec tenus. Sequitur, ut quomodo ad nugationem perducunt sophistae, dicamus. Ac primum quidem, quid illud sit quod appellamus nugari, supra diximus: modo exempla subiiciamus, quae sunt huiusmodi: Si nihil referat, nomen dicas an orationem. duplum ergo idem ualeat, quod simpli duplum: si quando igitur simpli duplum dicas, hoc dicis simpli simpli duplum: et si iterum pro hoc uerbo duplum, accipias

R

simpli

C13

simpli duplum, ter idem erit repetitum, simpli simpli simpli duplum. Eodem etiam pertinet hæc captio: Nunquid uoluptatis est cupiditas? definitur autem hæc, appetitio uoluptatis: est igitur cupiditas, appetitio uoluptatis uoluptatis. Cernuntur autem omnes istæ captiones, aut in ijs quæ non per sua tantum genera, sed etiam per se ipsa ad aliquid dicitur, cum interim una eademq; res sit, cum qua utraq; comparantur. ueluti, appetitio est alicuius appetitio, & cupiditas alicuius cupiditas: itemq; duplū alicuius duplū dicitur, & illud totum simpli duplum, alicuius etiā dicitur. Aut uerò in ijs quæ cum ex genere eorum quæ cum altero cōferuntur, non sint, ita sunt affecta ad substantiam, omninoq; ad sua subiecta, quorū ipsa sunt aut habitus, aut affectiones, aut simile aliquid, ut in definitione, qua quid illa sunt explicatur, ipsa subiecta accipiuntur. ut, impar definitur numerus medium habens, at enim semper in ipso impari inest numerus: cum igitur illud dicis, numerum dicis habentem medium numerū. Et hoc: Si simitas est nasi concauitas, simum autem intelligi nō possit quin nasum simul intelligas, profectò cum illud dicis, nasum, nasum concauum dicis. Porro autem interdum uidentur nugationē efficere istæ captiones, cum nūc tale reuera concludant: propterea quòd prætermittitur ab eo qui interrogat, necessaria ad eā rem interrogatio, nempe an duplum per se dictum significet aliquid, an nihil: & si quid significet, uerum idem quod coniur. Tum cum altero, an aliquid aliud: quia inquam ijs interrogationibus omisis, statim ad conclusionem acceditur: propterea nil reuera, sed in speciem tantum bis captionibus cōfiscitur: atq; in eo captionis causa est posita, quòd idem

uerbū cum sit illud ipsum quod oratio, per se tamen unū  
 quippiā significat. Solæcismus quid sit, paulo antè dictū  
 est: reliqua igitur dicamus. Sanè usuuenire potest, ut so-  
 læcismum facias, nec uideare: & ut uideare, cum non fa-  
 cias. Veluti si uerum est quod Protagoras dicebat, mascu-  
 lini generis esse hæc uerba *μῆνός* & *ἰσχυρός*, is certè sen-  
 tentia illius solæcismū cōmittit, qui dicit *μῆνός* *ἰσχυρός*:  
 at opinione aliorum non uidetur committere. qui uerò  
*ἰσχυρός* dicet, uidebitur ille quidem in hoc uitium incia-  
 disse, reuera autem non incidit. Perस्पicuū igitur est, ar-  
 tis sophisticae partem aliquam ad illud conficiendū posse  
 conferri: ob eamq; causam multæ sunt captiones, quibus  
 uidetur quasi syllogismo cōcludi aliquis solæcismus, cum  
 reuera nil tale necessariò conficiatur, non secus atque in  
 reprehensionib; accidere solet. Ducuntur aut̄ omnes ferè  
 fallaces conclusiones, quæ ad solæcismum pertinent, ex  
 neutro articulo, hoc est: quādo casus aliquis nominis, nec  
 masculinum genus, nec fœmininū significat, sed quod est  
 inter ista quoddā ueluti medium. Nam hic masculinum  
 declarat, hæc fœmininum: hoc autem propriam quidem  
 habet significationē, ut neutrum genus declarat, sed ta-  
 men sæpe ad illud utrunq; genus transfertur. ut ad istam  
 interrogationē, *Quid est hoc?* tria ista aptè respondeas,  
*Calliope, lignū, Coriscus*. Ac masculini quidē articuli &  
 fœminini omnes casus sunt diuersi: neutrius autē partim  
 idē, partim diuersi. Quo fit, ut sæpenumero quod in no-  
 minatiuo neutri articuli cōcessum est, ad masculini accu-  
 satiuū idē casus trāsferat, aut alia quadā simili ratione ca-  
 sum pro casu accipiat. fallax autē conclusio ex eo oritur,  
 quòd articulus neutri multis casibus cōmunis est: interdū

enim nominatiuum, interdum accusatiuum significat. At uerò si istos casus dignoscere uelis, uerbū uariè accipien- dum est. ut cum nominatiuo, Est coniungas, cum accusa- tiuo, Esse: ueluti, est Hipponicus, esse Hipponicum. Nec diuersa est in femininis nominibus ratio, & in omnibus quæ sub cōmuni nomine τὸ κοινὸν à Græcis comprehen- sa (nos uasa appellemus) masculinorū aut femininorum inflexionem habent: sola enim ea quæ desinant in ον, in- flexionē sequuntur τὸ κοινόν, hoc est, neutri generis sunt: ut ἔξωρον, οὐρανίου: quæ uerò non habent illam termina- tionē, masculina sunt, aut feminina. & illa tamen non- nunquam traducuntur ad genus neutrum, & sub nomine τὸ κοινὸν interrogantur: ut ἀνὴρ masculinum est, ἄλυσ femini- nū. Itaq; in ijs eodem modo quo in superioribus uerbum Est, & Esse, casuum inter se discrimina indica- bit. Est etiam solæcismus nō ualde ab similibus ijs reprehē- sionibus, quæ ex eo ducuntur: quod ut similia accipiun- tur, quæ non sunt similia, aut si ita uocare malis, quæ ex simili uerborum specie oriuntur. Vt enim illæ captiones sunt in rebus quidam ueluti solæcismi, ita hæ sunt in uer- bis ueri solæcismi. homo enim & album, & uerba sunt, & res. Ex ijs igitur quæ dicta sunt planum est, si quan- do solæcismum uelis concludere, ex illis casibus quos ex- posuimus sumendum tibi esse argumentum. Ac de gene- ribus quidem contentiosarum argumentationum, & partibus singulorum generum, & modis omnibus, ha- tēnus. Quoniam autem in collocazione eorum quæ in- terrogantur, non parum est momenti ut possit quemad- modum de dialecticis disputationibus paulo antè dixi- mus) celare conclusionem: propterea absoluta illa dispu- tatione,

C 14

ratione, primum omnium de ijs quæ ad dispositionem  
 pertinent agendum est. Ac primum ad reprehensionem  
 plurimum ualet longitudo orationis, quædoquidem mul-  
 ta simul providere difficile est. Loci autem unde amplifi-  
 candarum argumentationum rationes depromes, ex su-  
 perioribus sunt repetendi. Alter locus est, ut celeritatem  
 in interrogando adhibeas. Nam qui aliquanto tardio-  
 res te festinantem sequi non possunt, minus providere possunt  
 quid dicant. Tum illud iuuat plurimum, ut aduersa-  
 rium ad iram et altercationem prouoces. Qui enim sunt  
 in perturbatione, minus sunt cauti ad omnia. Rationes  
 autem quibus ad iracundiam impelles, hæ sunt: si palam  
 profitearis te iniquum alteri aduersarium, & si impuden-  
 tiam maximam præ te feras. Alius locus est, perturbate  
 interrogationes collocare, siue ad rem multas rationes ad-  
 hibeas, siue in utranque partem argumenta adferas. Fit  
 enim hac ratione, ut uno tempore des aduersario aut mul-  
 ta, aut etiam contraria cogitanda. Atque ut rem in pauca  
 conferam, omnes loci quos ad celendam conclusionem  
 supra posuimus, sunt etiam ad disputationem contentio-  
 sam accommodati. Pertinet enim eò occultatio, ut la-  
 teas: latere autem uis, ut fallas. Quod autem attinet ad  
 eos qui nil admittere solent quod ad rem facere existi-  
 ment, illa nobis aduersus eos cautione utendum est, ut aut  
 per disparatum interrogemus, quasi contrariam partem  
 uelinimus efficere: aut uero ex æquo utranque partem interro-  
 gando complectamur. Quando enim non uident huius-  
 modi homines, quid potissimum tibi concedi uelis, minus  
 difficiles ac proterui sunt. Iam uero postquam alius tibi  
 singulatim totius alicuius generis partes, interroganti, in

singulis ita esse concebit, ut uniuersum genus ad extre-  
 mum inductione colligas, non est ipsum totum genus in-  
 terrogandum, sed eo ut concesso utendum est. Ita enim fe-  
 re euenit, ut cum respondens se admisisse uniuersum ge-  
 nus putet, tum ita etiam auditoribus uideatur, quia ad-  
 huc meminerunt inductionis paulo ante factæ, nec illas  
 interrogationes frustra fuisse existimant. Et si quædo ge-  
 neri uniuerso nomen non est impositu, ipsa utendum est  
 similitudine, prout cõmodum uidebitur: nam sæpe simi-  
 litudo obscurior est. Ad sumẽdam autem propositionem  
 plurimum prodest, simul aduersa, ut illa quasi inter se  
 conferantur, interrogare. uerbi gratia, si uelis tibi conce-  
 di, omnibus in rebus parentibus esse obtemperandum,  
 hunc in modum interrogabis: Quid? putasne parẽtibus  
 esse parendum in omnibus, an potius in omnibus repu-  
 gnandum? Aut uerò si sæpius, parendum esse, sumere ab  
 aduersario uelis, sic interrogandum: utrum multa sint  
 parentibus cõcedenda, an pauca? Hic enim multo potius  
 (si modo parentibus obsequi necesse est) multa esse con-  
 cedenda uidebitur, quàm pauca: præsertim cum rerum  
 aduersarum compositio & collatio efficiat, ut rões maio-  
 res & magnæ hominibus uideantur, itemq; deteriores  
 & meliores. Est porro insignis & frequens, ut quis re-  
 prehensus uideatur, sophistarum hæc impostura, post-  
 quam nonnullas interrogationes proposueris, licet ex ijs  
 nil possis necessariò cõficere, ita extremum argumenta-  
 tionis subijcere, ut illud non interrogas, sed in modũ com-  
 plexionis ita proferas, sicut fieri solet in ueris ratiocina-  
 tionibus, nõ igitur hoc & hoc. Est etiam hoc uerè sophis-  
 ticũ, quando paradoxon aliquid accipis, urgere respon-  
 dentem,

dētem, ut quid sibi uideatur proferat, cum sit illud quod à principio positum est in quaestione, probabile: & hæc forma interrogare, utrum tibi uideatur? Neesse enim est, si talis sit interrogatio, ut ad consiciendam rem ualeat, in de nasci aut reprehensionem, aut admirabile aliquid, et contra hominū opinionem. Nam si admittat, reprehensio sequitur: si neget, & sibi non ita uideri dicat, incredibile aliquid dicere uidebitur: at si non planè cōcedat, uideri tamen sibi fateatur, si non uerè cōuictus, aliquo certè modo reprehensus uidebitur. Alius locus est, ut quod in disceptatione oratoria magno studio faciunt oratores, idē nos in reprehensionibus nostris facere contendamus: ut scilicet diligenter exquiramus, dicatne is quicum disputamus, aliquid repugnans, aut ijs quæ à se dicta sunt, aut eorum sententiæ quorum orationē & actiones maximè probet & sequatur: adde etiam, an aduersetur opinionioni eorū qui reuera tales, hoc est sapientes sunt: aut uerò qui non sint huiusmodi, similes tamen talibus sunt hominibus: postremò an contra dicat, quàm sentit hominum pars maxima, aut etiā quàm omnes homines. Iam autem sicut respondentes solent sæpenuerò cum urgentur, & uident se elabi uix posse quin coarguantur, fingere nescio quam multiplicatam, cuius distinctione euadant: ita etiam nobis interrogantibus eodem illo præsidio interdum utendum erit, maximè aduersus eos qui fortiter nobis resistunt: ita ut si quid uno modo uerum sit, altero non uerum, illo nos modo accepisse, non hoc dicamus. Qualiter fecit Cleophon in Mandrobulo. Opportet etiam traducta disputatione ad alia, quæ reliqua erant argumenta præcidere. Quo in loco hæerunt par-

tes respondentis, ut si hoc praesentiat uelle aduersarium, iam ante illi occurrat, & praedicat, ne rem propositam deserat. Interdum etiam ad aliud sunt argumenta dirigenda, quam quod a principio positum est in quaestione; sed illud ita accipiendum est, si modo nil habeas quod contra rem propositam obijcere possis. Quo praesidio usus est Lycophron, cum iussus esset laudare lyram. Quod uero atinet ad eos qui probari sibi aliquam propositionem, quam acceperis, postulat; quoniam aequum uidetur, ut subiecta probatione illius reddas rationem, acceptis quibusdam rebus singulis, tutius est, etiamsi de toto genere concludi possit, in ipsis singularibus aduersarium ita reprehendere, ut quod affirmauerit, negare: aut quod negauerit, dicere ostendamus, quam si uniuersum genus concluderemus. quale est illud; Rerum aduersarum eadem est disciplina, aut non eadem. Neque uero propositionis in modum interroganda est complexio: et quaedam sunt, quae ne interrogari quidem debent, sed ut perspicua & ab omnibus recepta sumi. Ac de locis quidem unde eruuntur argumenta in contentiosis disputationibus, & de ratione interrogandi, haec tenus. Sequitur nunc, ut de responsione agamus, & ut quomodo dissoluendae sint captiones, & ad quam potissimum rem conferendae solutiones, & quem ad usum ualeat huiusmodi captionum sophisticarum tractatio, doceamus. Ac primum quidem utilis est duabus de causis ad philosophiam. Vna est, quia cum maxima pars istarum captionum ex uerbis ducatur, hoc nobis praestat earum consideratio, ut uerborum ambiguitate facilius animaduertamus: & ut quae sint ea, in quibus rerum similitudo cum nominum similitudine conueniat, quaeque illa in quibus

B 2.

C. 1.

bis uer  
mus. Ad  
dus, uer  
le ab a  
idem s  
conclu  
utilitas  
uideare  
peritus  
quicun  
nitiu ip  
eilem s  
sed pro  
iusmod  
perspic  
siones  
menta  
bere se  
est, su  
tiu u  
te inte  
et trat  
in rel  
exer  
de ef  
quia  
nos i  
prop  
ption  
sioni

his uerborum similitudinē res non imitantur, intelligamus. Altera est, quia ad res per nos ipsos animo tractandas, ueriusq; exquirēdas plurimum ualet. Nam qui facile ab altero captiosa ratione decipitur, neq; id percipit idem si per se aliquid cōsideret, frequenter se ipse fallaci conclusionē impedit. Est autē & tertia præter illas duas utilitas ad gloriā consequendā: nempe quod hinc fiat, ut uideare omnibus in rebus exercitatus, & nullius esse imperitus. Qui enim cum altero sermonem confert, eiusq; quicum disputat, rationes aspernatur ac uituperat, cum uitū ipse indicare non possit, suspiciōē is præbet, difficilem se & iniquū alteri præstare non propter ueritatē, sed propter imperitiā. Quomodo autem respondens huiusmodi captionibus occurrere debeat, minimo negotio perspicere potest, siquidē omnes locos, unde fallaces conclusiones eruuntur, suprā rectē exposuimus: etsi omnia commenta, omnes fraudes, quas in interrogando solent adhibere sophistæ, satis explicatē docuimus. Neq; uerō idem est, sumpta aliqua captionē, illius uim perspicere, & uitū ubi sit indicare, quod celeriter posse ei occurrere, qui te interrogat. Sæpe enim accidit, ut quod scimus, mutatis et traiectis uerbis ignoremus. Porro quemadmodū alijs in rebus omnibus, celeritas & tarditas tota pendet ab exercitatione, ita planē in disputationibus usuuenit. Unde efficitur, ut, tametsi res nobis cognita sit, sæpe tamen quia desit meditatio exercitatioq; differendi, expedire nos in tempore, & ut decet, nō possimus. Sanē idem hinc propemodum euenit, quod in mathematicorum descriptionibus. Sicut enim plerunq; in conficiendis demonstracionibus accidit, ut postquam dissoluta res est, & ad sua

C2  
 principia reuocata, componere eam rursus nō possumus: ita in reprehensionibus usuuenit, ut sciamus quidem unde ducatur captio, eam tamen in partes digerere non ualeamus. Ac primum quidem, sicut probabiles nonnunquam rationes ad rem probandam potius quam ueræ adhibendæ sunt: ita in respondendo, interdum ad opinionem potius quam ad ueritatem conferendæ nobis sunt argumentorum dissolutiones. Contentiosis enim cum hominibus planè nobis pugnandum est, quasi cum ijs qui uideantur modò coarguere, ac non uerè coarguât. Nam cum istorum hominum rationibus nullam tribuamus concludendi necessitatem, non debet profectò aliò pertinere nostra solutio, quam ut ne cōuinci coarguiq; uideamur. Etenim si reprehensio est contradictio citra ullam multiplici-  
 tem, quæ necessariò ex quibusdam sumptionibus effici-  
 tur: nulla certè necessitas est, cur te oporteat captionē ex  
 multiplici nomine, aut oratione ambigua ductam, distin-  
 guere: quandoquidem nil possit necessariò concludere.  
 Sed hac tantum ratione utimur distinctione, quia specie  
 quandam conclusionum, quæ ad conuincendum alterum  
 ualeant, huiusmodi captiones præ se ferant. Nobis igitur  
 cauendum non est, ne coarguamur, sed ne uideamur re-  
 prehendi: quandoquidē interrogationes multiplices, &  
 ambigua, & huius generis aliæ captiones, ueram repre-  
 hensionē obscurant, & si tandem conuictus quis,  
 an non conuictus, incertum reddunt. Quia enim hic licet  
 ad extremum facta conclusione dicere aduersario, non  
 eum conclusisse negationem eius quod affirmaueras, sed  
 in multiplici aliquo nomine, aut ambigua oratione uer-  
 sari argumentum illius, etiam si quàm maximè fieri po-  
 tuit,

tuit, ad id ipsum, quod dixeris, pertinuerit argumentatio: quia in quâ id semper huiusmodi captionibus opponi potest, projecto necesse est, ut hac de causa semper incertum sit, reprehensus sit necne is quicum disputatur. Nam uerum dicat, necne, qui illud dicit, intelligi plane non potest. Quod si adhibita ante multiplicis uerbi, aut ambiguae orationis distinctione, tum interrogaret, ad extremum non dubium esset, quin tu esses reprehensus: atque etiam illud fieret, quod his quidem temporibus postulari minus solet, superioribus autem exigi sedulo solebat, nepe ut respondens ad interrogatum, aut etiam, aut non, et nil amplius responderet. At his temporibus propter uitiosam, qua omnes ferè utuntur, interrogandi rationem, necesse est, ut qui respondent, aliquid amplius addant, quo uitiu interrogacionis corrigant. Nam si ipsi satis multiplicitate interrogando distinguerent, necesse esset, ut aut etiam, aut non, responderetur. Porro autem si quis ueram esse reprehensionem existimet, qua sub multiplici nomine aliquid concluditur, is nullam respondenti rationem relinquet, qua reprehensionem effugiat: cum praesertim in ijs etiam quae sub oculos subiecta sunt, necesse aliquando sit, quantum quidem ad nomen attinet, quod affirmaueris negare, & quod negaueris affirmare. Nam quod ijs captionibus dissoluendis & quasi emendandis, adferre solent aliqui, nil plane diuauat. Aiunt enim non esse Coriscum musicum & non musicum: sed hunc quidem Coriscum esse musicum, illum uero Coriscum esse non musicum. Quasi uero non eadem sit oratio, siue hoc modo dicas, non adiecto articulo, Coriscum esse musicum, siue illo, hunc Coriscum esse musicum: quod illi tamè affirmare simul & negare cogitur.

At non idem fortasse semper pars utraq; significat, quādo ne nomen quidem ex quo constant, Coriscus scilicet, idem semper significet. Quare ad hanc captionē eludendam, nil omnino illud habet momenti. Quod si quis uim captionis in eo ponat, quod primū omnino Coriscum aduersarius diceret, deinde adiecto articulo, hunc Coriscum dixerit, is absurdē faciet. Nam quid causæ est, cur id uni potius quā alteri conueniat? præsertim cum utrius addiderit articulum, non minus procedat captio. At uerò quoniam qui non distinxit ambiguitatem, efficit ut ad extremum auditoribus dubium sit, an sit conuictus, an non: cum præsertim concessum sit, in medio cursu argumentationis multiplex distinguere, si quod subsit: hinc profectò planum est, culpa eum non carere, qui multiplīcem interrogationem simpliciter & citra ullam distinctionē admittit. Hinc enim efficitur, si minus ipse reprehensus sit, at certè ut illius oratio pro cōuicta & refutata habeatur. Fit autem plerunq;, ut qui ambiguitatē perspicunt, eam tamen distinguere propterea minus curēt, quod frequenter huius generis interrogationes ab aduersario proponantur, ne scilicet uideātur se ad omniē molestos & iniquos aduersario præbere: aut certè, quia non existimant ex eo posse captionem uim ullam accipere. Sæpe autē ad extremum nescio quid præter illorum opinionem occurrit. Itaq; quoniam ita licet, nunquam tardi aut negligentes esse debemus in distinguendo: quemadmodum paulo antè diximus. Quod si quæ multæ sunt interrogationes, nō quasi una acciperentur, nānquā fallax & captiosa ratiocinatio ex homonymia aut ambiguitate nascitur: sed aut uerā semper, aut nulla omnino fieret

fieret reprehensio. Quid enim interest, sub duobus nomi-  
 nibus diuersis hoc modo interrogas, sunt ne Callias &  
 Themistocles musici, an sub uno nomine rebus diuersis  
 communi? Nam si plura uerbum significet, qui illud in-  
 terrogabit, plura interroget, non unum, necesse est. Si igitur  
 haud recte is facit, qui ad duas interrogationes unam  
 poscit, simplicemque responsionem: dubium profecto esse  
 non potest, quin ad ambiguam interrogationem nunquam  
 oporteat simplicem dare responsionem: ne si uera quidem  
 sit in omnibus significatis interrogatio, quemadmodum  
 aliqui existimant. Illud enim idem ualet, ac si interroga-  
 retur, utrum domi sint, an non sint, Callias & Coriscus?  
 qui siue ambo sint domi, siue non sint, non minus sunt ut-  
 troque modo plures propositiones. Neque enim par est unam  
 propterea fieri interrogationem, quod utrunque uerum  
 sit: quandoquidem usuuenire possit, ut uel sexcentas hu-  
 ius generis interrogationes coniugas, ad quas omnes ue-  
 rum sit dicere etiam, aut non: ueruntamen non est ad illas  
 omnes una danda responsio, quippe cum id aliud nihil  
 sit quam disputationis leges tollere, & omnem differen-  
 di rationem euertere. Atqui istae multae interrogationes  
 perinde sunt, ac si multis rebus diuersis unum nomen esset  
 impositum. Ut igitur ad duas interrogationes non est dan-  
 da una responsio: ita ad interrogatum ambiguum nun-  
 quam est simpliciter dicendum aut etiam aut non. nam  
 qui secus fecerit, is dixerit quidem aliquid, at certe non  
 responderit. In disputationibus tamen quodammodo id  
 probari solet, quia quid inde sequatur incertum sit. Quem  
 admodum igitur (quod etiam nos paulo ante diximus) re-  
 prehensiones quaedam uidentur quae non sunt: ita solutio-  
 nes

nes nonnullæ erunt, quæ in speciem modo, non etiam ueræ solutiones erunt; quas scilicet diximus interdum potius adhibendas esse quam ueras, in disputatione contentiosa, et cum occurrere uolumus interrogatis multiplicibus. Porro autem in respondendo adhibenda nobis est hæc cautio, ut ad ea quæ uera nobis esse uidebuntur, dicamus, Esto. sic enim fiet, ut minimè nos conuincere alius uideatur. Quod si cogere nos uelit admirabile aliquid dicere, tum maxime uti debemus uerbo, uideri. Hac enim ratione fiet, ut nec reprehensio, nec admirabilis conclusio confecta esse uideatur. Id uerò cum perspicuum illud sit, quomodo fiat petitio principij: tum omnes ita existimant, respondentem negandum esse quicquid proxime ad id accedit, de quo queritur: nec ullam ex eo genere interrogationem esse admittendam, quasi illo modo id ipsum, de quo instituta est disputatio, petatur. Cum uerò tale aliquid sibi concedi postulat alius, quod incredibile quidem aut falsum sit, ex re tamen proposita consequatur: tum idem illud esse cum eo de quo agitur dicendum est. Nam quæ necessario ex re proposita consequuntur, pro ipso proposito sunt habenda. Præterea quando genus uniuersum sub nomine proprio non est sumptum ab aduersario, sed sub similitudine, dicendum est, non rectè eum accipere, quando non ita sumit, quemadmodum concessum est, nec quo modo interrogando sumebatur. Hinc enim plerumque nascitur reprehensio. Quod inde exclusis, illis cautionibus uti non possis, proximum est ut rectè ad id, ut non rectè rem demonstraſſe aduersarium contendis. In quo utendum est tibi definitione reprehensionis, quam posuimus, ut eam argumentis aduersarij opponas. Ac si proprijs quidem nominibus & aperte interrogauerit,

gauerit, necesse est, ut aut simpliciter respondeas, aut ad  
 hibita distinctione. Quæ uerò suppressis quibusdam uer  
 bis breuiter admittimus, qualia sunt quæ non aperte, sed  
 truncatim & imperfecta locutione interrogantur, ea  
 maxime dant reprehensionem occasionem. exempli gratia,  
 Nonne quod est Atheniensium, id est eorum possessio? cer  
 te, nec dissimilis est in alijs ratio. At enim nonne τῶν  
 ἰσῶν  
 homo esse dicitur? certe. Est igitur homo animalium pos  
 sessio. Sanè hominem dicimus esse τῶν ἰσῶν, quia sit ani  
 mal: & Lysandrum τῶν Λακωνῶν, quia Lacedæmonius  
 sit. Planum igitur est, non oportere, ubi obscurum est &  
 inuolutum quod ab aduersario proponitur, simpliciter  
 rem cōcedere. Quando uerò sic sunt affecta duo inter se,  
 ut uno posito alterum esse necesse sit, nec cōtrā, si hoc sit,  
 illud esse oportet: uidentū est ei qui respondet, ut cum ro  
 gabitur, utrum eorum esse putet, illud potius ponat quod  
 minus late patet. nam ex multis singulis difficilius est ali  
 quid tandem necessariò concludere. Quòd si ad aliquid  
 probandum ex eo ducat argumentum, quòd huic nil sit  
 contrarium, illi aliquid aduersetur: et si hoc uerum di  
 cat, nos tamen contrā aliquid illi esse contrarium dicere  
 debemus, sed nullum esse illi nomen impositum. Sunt au  
 tem ex ijs quæ uulgò feruntur quædā, quæ si non conce  
 dās, falsum dicere uidebere: alia uerò, quæ ut non admit  
 tas, falli tamen te nemo putabit. cuius generis sunt du  
 bia & utramq; partem probabiles sententiæ. Nam  
 sit mortalis an immortalis animantium anima, nō est a  
 pud uulgum cōstitutum. In quibus igitur manifestum non  
 est, utrum potius asserendum sit eorum quæ alius interro  
 gat: cuiusmodi sunt quæ sententiæ appellantur (nam &  
 ueræ

uera de singulis rebus opiniones, & uniuersae negatio-  
 nes, ut diameter non est comparabilis cum latere, senten-  
 tiarum nomine appellari solent) & praeterea in quibus  
 uera ex aequo pars utraq; esse uidetur: in illis inquam us-  
 triusq; generis interrogationibus, si respondendo ad u-  
 sum nostrum uerba interrogationum commutauerimus  
 in alia, commentum nostrum minimè apparebit. Nam  
 quia incertum est, utrum uerum sit, sophisticè nil agere  
 uidebimur: & quia utranq; in partem ex aequo proba-  
 bile est, falli nos existimabit: at interim illa nostra  
 uerborum commutatio efficiet, ut reprehendere nos nul-  
 lo modo possit aduersarius. Iam uerò ut singulas tu interro-  
 gationes praesenseris, ita illae tibi sunt anteuertendae, &  
 multo antè oratione refutandae. Ista enim ratione aduer-  
 sarium tuum maxime impedies, ne ad extremum quod uult  
 efficiat. Quoniam autem illa est uera solutio, falsitatem  
 syllogismi indicare, docendo ex qua potissimum interro-  
 gatione pendeat falsa conclusio: fallaces autem syllogis-  
 mi duobus modis dicuntur: uno, si falsum aliquid conclu-  
 sum est: altero, si necessaria consecutio esse uideatur, re-  
 uera autem syllogismus non sit: hinc sanè perspicuum est,  
 praeter illam quam modò dixi solutionem, esse etiam al-  
 teram, quae proprie accommodata est ad eos qui speciem  
 syllogismorum praeseferunt, cum reuera nil necessario  
 concludant: quae solutio est interrogationum correctio,  
 ad docendum cur ex ijs non sequatur, sed modò uiuatur  
 sequi. Unde illud efficitur, captiones, quarum non est ui-  
 tiosus concludendi modus, soluendas esse negatio: in quibus  
 uitiosa est conclusio, in ijs distinctionem esse adhiben-  
 dam. Rursus inter eas rationes, quarum est necessaria con-  
 conclusio,

C3

clusio, aliæ sunt quæ uerâ, aliæ quæ falsam habent complexionem. Atq; illæ quidem, quibus falsa est conclusio, dupliciter dissolui possunt, refutando scilicet, ac negando unam aut alteram sumptionum: & indicando talem, hoc est falsam esse conclusionem. Quæ uerò propositiones modò falsas habent, non etiam conclusionem, hac tantum ratione dissoluentur, si quam sumptionum falsam esse conspicias, eam respicis, quippe cum uera sit conclusio. Itaq; argumenta qui uolet rectè dissoluere, hoc primum spectabit, habeantne uim concludendi necessariam, an minus necessariam: tum deinde, utrum uera an falsa sit complexio: idq; eò faciet, ut ea dissoluat uel distinguendo, uel negando: & negando quidē aut hoc, aut illo quo paulo antè diximus modo. Multum autem interest, utrū dissoluatur argumentum, cum tibi ab alio obijcitur: an cum per se, nulloq; interrogante, uis illius exquiratur. Nā statim & in promptu occurrere captioni difficile est: per ocium autem, & cum datur tibi cogitandi spacium, facile. Reprehensionum quæ aut ex uerbi multiplicitate, aut ex orationis ambiguitate ducuntur, duo sunt genera, unum, earum quæ in altera sumptionū eam habent ambiguitatem, unde oritur captio. alterum, earum quib. in cōclusionē inest multiplicitas. Exempli causa, captio qua *στυγντα* proloqui concluditur, ambiguitatem habet conclusionem: illa autem, qua efficitur, eum qui sciat, nescire tamen, quæ est huiusmodi: Quod quisq; scit dicere aut facere, id ipsum ille scit, atq; intelligit: atqui iste scit dicere, hoc est, recitare carmina iambica: iste igitur intelligit scitq; iambica: illa in quā captio habet in altera sumptionum ambiguitatem. Ac duplex quidem uerbum in ijs captionibus

ptionibus interdum inest reuera ac per se, interdum uero non est reuera duplex, sed ipsa modo oratio est, quæ dupliciter accipi potest, et partim uera, partim falsa est. In quibus igitur est in cōclusionē multiplicitas, in ijs nulla omnino est reprehensio, nisi iam antè qui interrogat, ab aduersario acceperit cōtradicientem eius quam cōcludit. ueluti in ea captione, qua cæcum uidere cōcluditur, quid quæso, nisi contrarium huius dixerit respondens, cōcludere possit, quod ad reprehensionem ualeat? Quæ uerò ambiguis habent interrogationes, in ijs non necesse est ipsius multiplicis disparatū antè acceptū esse: quando quidē nō ad multiplex efficiendum pertineat argumētatio, sed ex ipso multiplici ducitur. Est igitur iā inde à principio multiplici aut nomini aut orationi ita occurrendū, ut partim id uerū esse quod interrogatur, partim falsum respondeamus: ueluti *συνετα* proloqui, utro quidē modo sumptū, uerū est, altero nō uerū. Itemq̄, id faciendū esse quod facere oportet, una significatione uerum est, altera falsum. oportere enim multiplex est. Quod si id nos à principio latuerit, hæc nobis ratio erit reliqua, ut ad extremū argumentationis, cōclusioni ab aduersario factæ præter simplicem responsionē aliquid addamus, quo uirtū captiois indicemus. Verbi gratia, concludit aduersarius, Accidit igitur *συνετα* proloqui: tu contra dicito, Accidit uerò τὰ *συνετα* proloqui, sed τὸν δὲ *συνετα* nō accidit. Quod idē erit in ijs faciendum, quæ multiplicitatē habent in imptionibus. exempli causa, cum ad extremū concludetur. Non igitur intelligimus quod scimus: certè, respondebis, ueruntamen non cōclusisti, quæ nos hoc modo scimus, eos nos non intelligere, neq; enim idē ualeat dicere, nō intelligere

gere omnino scientem, quod intelligere eum qui hoc modo scit. Vtq; ego unam quandam generalem rationem eludendi istis captiones subijciam, illud semper nos contendere debemus, etiamsi reuera cōcluserit aduersarius, quod oportuit: illum tamē non eā rem, quam asserimus, sed uerba modō refutasse. Ex ijs uerō quæ modō exposuimus, iam propemodum perspicuum est quæ sit ratio soluendarum captionum, quæ ex coniunctione & distinctione ducuntur. Cum enim aliud coniuncta, aliud distincta oratio significet, ad extremum quando unum concludet aduersarius, contrarium tibi erit subijciendum. Sunt autem omnes istæ captiones ex compositione & distinctione: Nunquid quo tu illū percussus uidisti, eo ille percussus est? & nunquid quo is percussus est, id ipsum tu uidisti? Atq; istæ quidem captiones habent nescio quid ambiguitatis, sed tamen ad locū ex coniunctione referendæ sunt. Neq; enim duplex appellari potest, quod modō coniunctam, modō diuisam habet sententiam: quando quidē oratio non maneat eadem, cum distincta accipitur, quæ antē erat coniuncta. Nisi forte dicamus ὅς & ὅς & ὅς, cū sic accentibus distincta proferuntur, adhuc retinere multipliciter: quæ tamen, quod attinet ad scripturā, sunt unum idemq; uocabulum, cum & elementis eiusdem, & eodem modo scribantur: ceterum notæ accentuum illic appositæ efficiunt, ne cum pronunciantur, eadem sint. Quocirca multiplex oratio non erit, quæ modō coniuncta, modō diuisim accipi potest. Vnde etiam planū est, non ueram esse, quod aliqui uoluerunt omnes reprehensiones pertinere posse ad locum ex multiplici. Est igitur ad soluendū istis captiones respōdenti adhibēda distinctio,

Etio, nō idem scilicet ualere, si dicas uidisse te oculis, percussum: ac si diceres uidisse te, oculis percussum. Quod idē in captione Euthydemī faciendū, quæ est huiusmodi: Nunquid triremes, quæ in Piræo sunt, nunc scis, cum in Sicilia sis? Itemq; in hac, Putasne malum sutorē bonum esse? atqui fieri potest, ut quis malus sit, & bonus sutor sit: quidam igitur malus sutor, bonus erit. Item in hac: Nōne quorum bonæ sunt scientiæ, ea sunt bona *μαθήματα* malorū autem bonæ sunt scientiæ, mala igitur sunt bona *μαθήματα*: atqui mala & *μαθήματα* sunt, & sunt mala: quare necesse est, ut sint mala *μαθήματα*. Et, putasne uerum esse dicere, modō te natum esse: tu igitur modō natus es. An aliud coniuncta, aliud distincta significat hæc oratio? Certē, uerum enim est nūc, te natum esse: sed falsum est, te nunc natū esse. Quæ tu facere potes, & uti potes, ea nōne tu & eo modo reddere effecta possis? tu uerō non pulsans citharam, pulsare illam potes: tu igitur hoc efficere poteris, ut nō pulsans citharā pulses tamen. At enim quod posse se alius dicit, non sic accipiendū est, quasi nō pulsans possit pulsare: sed quasi possit, cum desinet unum facere, alterum statim effectū reddere. Porro autem aliter hanc captionem dissoluere aliqui conantur, dicentes, quanquam id concessum sit, posse me quomodo possum aliquid, eo modo illud effectum reddere, non tamen rectē concludi, posse me non pulsando citharam pulsare: quia non sit concessum, omni modo quo possum, sed incertē quomodo possum, ita me facturum. nunc autē certum est, idem nō ualere, quomodo possum, ita faciam: & quocunq; modo possum, illo omni modo faciam. Verū quā illi malē soluant, hinc potest facile intelligi,

intelligi, quod cum necesse sit omnes captiones ex eodem loco ductas uno eodemq; modo dissolui, ista dissolutio non possit ad omnes huius generis accommodari: quia etiam illo modo occurri non possit omnibus, qui eandem istam captionem alio quouis modo proponerent: sed ad eum modum qui ita proponit hanc captionem, non etiam ad ipsam argumentationem, est accommodata hæc solutio. Ab accentu captiones nullæ sunt, nec in scripto, nec in uoce: aut certe admodum paucae sunt, qualis est ista: Nonne *ov* habitas, domus est? certe. at nonne illud, *ov* habitas, est negatio huius uerbi habitas? dixisti autem, *ov* habitas domum esse: domus igitur negatio quædam est. Quæ captio quomodo sit dissoluenda, non est difficile uidere. Non enim idem significat illud *ov* tono acuto prolatum *ov*, & circumflexo *ov*. Nosse etiam rationem occurrendi captionibus, quæ ducuntur ex eo quod uerborum specie falsi pro *isdem* accipimus quæ non sunt eadem, non est difficile, quando genera categoriarum quot & quæ sint intelligimus. Nam quod iste interrogatus negauit in uerbo quid est substantiamq; significante, id alius ut affirmet, tradidit ad id quod in genere quantorum continetur, aut eorum quæ ad aliquid dicuntur; quæ tamen, si formam uerborum spectes, speciem quandam præ se ferunt eorum quæ quid, hoc est substantiã, significant. ueluti in hac captionem. Putasne fieri posse, ut tu eandem rem simul facias, & feceris? At uidere tu idem potes & uidisse, idq; eadem ratione. Et illa: Putasne fieri posse, ut aliquid sit actio et passio? Quid uero? nūquid secari, cremari, operari, genere dicendi conueniunt, & pati omnia significant? illa uero, dicere, currere, uidere, nunquid eodem modo dicuntur?

Atqui uidere, est operari: quare pati significat, quod tu tamen idem actionē significare dixisti. Quod si quis fieri non posse dixerit, ut idem simul facias & feceris, idq; postea admittat, posse euenire, ut idē uideas & uideris: nondū erit hac ratione reprehensus, modō non dixerit, uidere, actionē significare, sed potius pati. nam ut reprehensio fieret, id quoq; fuit præter illa interrogandū. illud tamen uidetur auditoribus iam esse concessum, quia admissum est, secare, esse agere, & secuisse, egisse, & huius generis alia, quæ genere dicendi illis sunt similia. Nam quod deest argumento, ipse per se auditor supplet: quasi dicendi genere hoc non differat ab illis. Reuera autē hæc eodem genere dicendi non continentur, sed propter uerbi similitudinem ita secus quàm est uidetur. Atq; ita in ijs captionibus idem usuenit, quod in ijs quæ ducuntur ex homonymia: in quibus si quis uerborum uim ignorat, putat respondentē non modō in nomine, sed etiam in re eadem quod affirmauerat negare: cū tamen ei qui contrā disputat, necesse sit ut aduersariū coarguat, interrogare præterea, an eadem semper significatione accipiat, quod dicit. quo certē cōcesso, uera sequitur reprehensio. Sunt autē, & quæ sequuntur captiones superioribus similes, ex eodemq; loco ductæ: Si quis quod habuit, iam nō habet, nonne illud amisit? Atenim qui unum modō ex decem calculis amisit, iam non habet decem calculos. At si unum est eum amisisse, qui non habet quod habuit: illud autem non uerum, si tantum non habet, quantum prius, aut tot quot antē habuit, propterea tantū aut tot amisisset. Ergo quod primum in substantia interrogauerat, id transfert in conclusione ad numerū: decem enim non substantiam,

hiam, sed numerum significant. Quod si initio ita interrogauisset: Si quis modo non habet tot calculos quot ante habuit, nonne tot omnino amisit quot habuit? nemo id concessisset: sed dixisset, uel ex ijs aliquot, uel illa omnia amisisse. Huius quoque generis est captio, qua concluditur dare aliquem quod non habet: quia cum non habeat unum solum calculum, unum solum det alteri. At qui hoc non est dare quod non habes, sed quatenus tu unum solum non habes. Nam hoc uerbum, Solum, non substantiam aut qualitatem aut quantitatem significat, sed in comparatione ad alterum cernitur, ut significet non habere te illud cum alio. Habet igitur illa captio eadem uim, ac si quisquam ita interrogaret, numquid dare quisquam potest quod non habet? idque negate altero, subijceret: Quid uero, numquid dare cito potest quod cito non habuit? quo ab aduersario concessio, concluderet: Potest igitur dare quisquam quod non habet. Nam quid apertius est, quam eum qui ita sit arguemetatus, nil necessario concessisse? Etenim cito dare, non est quippiam dare, sed hoc modo. Illud uero nemo negauerit fieri posse, ut alio modo des quippiam quam habeas: ueluti quod cum uoluptate habes, id egeris & cum molestia dederis. Ad hunc eundem locum istae quoque superioribus persimiles captiones pertinent: Potestne aliquis ferire alterum manu, quam non habet? aut uidere oculo, quem non habet? neque enim unum tantum oculum habet. Huiusmodi autem captionibus ita occurrunt quidam, ut eum dicant unum modo aut oculum, aut aliud quiduis habere, qui plura habet. Alij uero dicunt, id ipsum omnino hunc accipere, quod alius dat: quippe cum unum modo det iste calculum, aliusque non plusquam unum ab altero accipiat.

Alij item aiunt fieri posse, ut quis id habeat quod nō accepit, ueluti si quis dulce uinū accipiat, eo inter accipiente dum corrupto, acetum quod non accepit habere. At illi quidem certē omnes illo modo captionē non dissolunt, sed (quod etiam paulo antē diximus) homini, non argumento occurrunt, nam si esset hęc uera solutio, qui contrarium eius quod illi uolunt faceret, non posset omnino istas captiones (quod idem profectō in alijs omnibus uisuenit) dissoluere. Ut si uera solutio est in distinctione multiplici, dicendo in una quidem significatione uerum esse, in altera non uerū, quicumq; simpliciter dici concessit, is necessariō conuincetur, eritq; id necessariō confectum quod uoluit aduersarius. Sin qui hoc fecerit, non conuincatur necessaria conclusione, non erat profectō uera illa solutio. Atqui in ijs de quibus agitur captionibus, concessis omnibus contrā quā illi uolunt, nil necessariō cōcluditur. Præter illas autem, quas proposuimus, istæ etiam quas modō subiiciam, ex eodem loco ducuntur. Nōne quod scriptum est, id scripsit aliquis? scripta autem est hęc oratio, quæ te ait sedere, nunc falsa, quæ tamen erat uera quando scribebatur; ergo simul & uera & falsa scribebatur. Etenim ueram & falsam dicere orationem aut opinionem, non hoc, id est substantiam, sed tale aliquid, id est qualitatem declarat. Dixi autem opinionem, quia eadem est ratio illius, atq; orationis. Ad hoc etiam genus ista pertinent; Nōne quod quisq; discit, illud uerum est esse quod discit? discit autem quispiã celerius, quod tardius est. Hic enim non assumptum est, quod discit quispiã, sed quo modo discit. Item ista: Quod quisq; perambulat, nōne id pedib; calcat? perambulat

autem

autem  
est, quo  
temq;  
quod b  
gener  
dicit, a  
unum  
eorum  
bus pri  
multis  
tertium  
mines.  
sed tale  
aut aff  
neris si  
qua qu  
an uer  
signifi  
tio. N  
esse ad  
conces  
esse bo  
aut id  
esse b  
ficam  
quippe  
dixerit  
illud q  
quale  
dum,

autem aliquis totum diem. Profecto hic non assumptum  
 est, quod quis perambulat, sed tempus in quo ambulat. I-  
 temq; cum calicem bibisse alterum dicimus, hoc ipsum  
 quod bibit non dicimus, sed unde bibit. Est etiam in hoc  
 genere ista: Nonne quod scit quisq;, id aut ab altero di-  
 dicit, aut ipse per se inuenit? At duobus sumptis, quorum  
 unum didiceris, alterum inueneris, in illa ambo neutrum  
 eorum cadere potest. Nam quod singulatim sumptis re-  
 bus prius interrogabatur, id paulo post coniunctis simul  
 multis accipitur, illa etiam, qua ostenditur esse aliquem  
 tertium hominem, præter ideam, & præter singulos ho-  
 mines. homo enim, & omne uniuersale, nõ hoc aliquid,  
 sed tale aliquid, aut comparationem quandam ad aliud,  
 aut affectionem quandam & modũ, aut aliud huius ge-  
 neris significat. Eadem autem est huius ratio atq; illius,  
 qua quæritur, an Coriscus, & Coriscus musicus, idẽ sint,  
 an uerò diuersi, nam ille hoc aliquid, hic quale aliquid  
 significat. Itaq; non est eadem unius atq; alterius exposi-  
 tio. Neq; uerò ab expositione uim habet ista captio, qua  
 esse aliquem tertium hominẽ concluditur: sed ex eo quod  
 concebitur, esse id ipsum quod illud, idem ualere, quod  
 esse hoc aliquid. Neq; enim esse id ipsum quod Callias,  
 aut id ipsum quod homo, idem semper significabit, quod  
 esse hoc aliquid. Quod si in exponendo dicas, non signi-  
 ficari hoc esse id ipsum quod illud, sed potius esse tale  
 quippiam, omnino nil intererit: quandoquidem ut hoc  
 dixeris, nihilominus relinquatur uniuersale quoddã, non  
 illud quidem separatum, sed in singulis rebus coherens,  
 quale est homo. Perspicuum igitur est, non esse admitten-  
 dum, uerba quæ de multis dicuntur, hoc aliquid signifi-

care, sed aut quantum, aut quale, aut relatum quippiam, aut aliud quidvis huius generis. Omnibus autem captio- nibus, quæ in uerbo sunt (ut rem semel complectar) hoc commune est, ut per contrarium eius, unde ducitur captio, semper dissoluantur. Verbi gratia, si ex coniunctione ca- ptio existat, dissoluetur per diuisionem: sin ex distinctio- ne, per coniunctionem. Rursum si in accentu acuto posi- ta sit captio, per grauem dissoluitur: sin ex graui orta sit, per acutum. Si uero multiplex nomen eam effecerit, ita dissoluitur, si contrarium illius nominis, quod concludit alius, ponas: ueluti si ita eueniat, ut tu interrogatus, de a- nimato dixeris, ille contra negationem concludere cone- tur: tibi ad extremum dicendum erit, de animato te in- tellexisse. Sin dederis, esse inanimatum aliquid, contra- autem ille inanimatum aliquid concludat: tibi dicendum erit, in re inanimata te intellexisse. Eademque est ratio in amphibolia. Si autem ducta sit ex uerborum simili for- ma, à contrario petenda est solutio. ueluti ad illam ca- ptionem, Nonne dare quisquam potest quod non habet? dicendum est, non dare quidem eum quod non habet, sed alio modo quam habet: nepe quia non habet unum solum calculum. Ad istam quoque: Nunquid quod scit quisque, id didicit, aut per se ipse excogitauit? responden- dum est, uerum quidem esse, quod scit, horum altero mo- do id accepisse: sed non esse necesse, multis simul. Etis, quæ scit, ea altero modo assecutum fuisse. Huic quoque, Nonne quod perambulus, id pedibus calcas? sic occur- rendum, id quidem quod perambulo, me calcare, sed non tempus quo perambulo, & sic alia. Captiones autem acci- dentis, omnes una ratione dissolui possunt. Quia enim

CA

incera

incertum est, quando rei attribuenda sunt quæ accidentibus conueniunt, atq; illud quidem in quibusdam uerum uidetur: idq; ita fieri interdum necessarium esse aiunt, in alijs uerò negant id esse necessarium: illud profectò nobis statuendum est, atq; ita debemus aduersus huius generis omnes captiones esse confirmati, ut omnino illas ullã habere necessitatem negemus. In quo uidendum est, ut paratã nos semper habeamus apertè captiosam ex hoc genere conclusionem, cui similem esse dicamus eam quam adfert aduersarius. Sunt autem ex accidente omnes quæ sequuntur captiones: Scisne quid ego te rogaturus sum? Nostin cū qui huc ad nos uenit, aut eum qui hic abscondus est? Est'ne hæc statua opus tuũ, aut hic canis tuus pater? Nūquid haud multoties pauca, sunt pauca? Perspicuum enim est, in ijs omnibus non esse necesse, ut eadem quæ accidentibus conueniunt, rebus subiectis attribuantur. Nam in ijs solis quæ natura & substãtia non differunt, sed unum quippiã sunt, id usuuenit, ut quæ uni attribuuntur, eadẽ alteri omnia conueniant. Iam autem non idem est bonum esse bonum, et esse id quod ego te uolo interrogare: neq; idem ualet, uenientem aut abscondum, esse uenientem aut abscondum, atq; esse Coriscum. Itaq; non rectè efficitur, si Coriscum nouerim, aduenientem autem non nouerim, eundem me nosse, & non nosse. Neq; ualet conclusio: Hoc opus quoddam est, idq; meum est, hoc igitur est meum opus. sed concludendum est, meam esse hanc possessionem, aut rem, aut aliud quippiam huiusmodi. Nec dissimilis est in alijs ratio. Ceterum istas captiones dissoluere nonnulli conantur, adhibita distinctione ad postremam interrogationem. aiunt enim fieri posse,

posse, ut idem nos cognoscamus, & non cognoscamus, sed non eadem ratione. Eum igitur qui uenit, se fatentur non nosse, Coriscum autem se nosse aiunt: & conclusionem, qua efficitur eundem illos nosse, & non nosse, ad extremū concedunt, sed tamen non eadem ratione. Atque illud primum ut uera sit dissolutio, necesse est (quod etiā nos paulo antē diximus) ut ad omnes eiusdem generis captiones diluendus sit accommodata, quod in hanc cadere non potest: quandoquidem si non ex uerbo nosse, sed ex uerbo esse, aut certo quodam modo affectū esse, pronuntiatum illud constaret, non haberet locum illa solutio. uerbi gratia, in illa captionē: Hic pater est, & est tuus: quid quæso loci habeat illa solutio? Vt enim in quibusdam id uerum sit, fieri posse ut idem tu scias & nescias: at certē hęc captio nil habet cum illa commune. Porro autem nil uetat, quo minus multis modis sit uitiosa & fallax eadē captio; attamen non omnis uitij explicatio est uera captionis illius solutio: quippe cum fieri possit, ut falsum esse, id quod concluditur, dicas: & tamē unde oriatur falsa illa conclusio, non ostendas. Qualiter uisuenire potest in argumentatione Zenonis, quæ nil posse moueri, ostendere conabatur. Quapropter si quis respondens contrā argumētari conetur, ut id absurdum esse doceat quod alius conclusit, absurdē faciet, tametsi uerē ac necessariō id conficiat. Neque enim hoc argumentum dissoluere, præsertim cum ueram solutionem appellauerimus, talem falsi syllogismi explicationem, ut quare sit uitiosus ostendatur. Itaque si quando argumentum nil necessariō concludit, huius ipsius rei declaratio erit solutio: id quod dico, siue uerum, siue falsum aliquid illud

D  
 lud aron  
 quidem  
 in his cer  
 posse ui  
 Coriscu  
 dem &  
 tu quod  
 tem mu  
 ignorar  
 utrumq  
 nientem  
 dō dixi  
 esse mul  
 se. Cu  
 prater  
 nem di  
 cum eff  
 centes m  
 aut filii  
 uent. I  
 prehen  
 oratio,  
 lium, p  
 ne sign  
 filius:  
 factam  
 in hun  
 filius:  
 cidit, u  
 sed ali

lud argumentum concludat. His accedit, quod possit illa  
 quidem fortasse solutio ad quasdam captiones ualere: at  
 in ijs certè ad quas modò adhibetur, uix locum habere  
 posse uideatur. Nouit enim ille Coriscum hoc ipso quod  
 Coriscus, & uenientem hoc ipso quod uenit: at nosse i-  
 dem & non nosse, est tale aliquid, quale usuueniret, si  
 tu quod albus quidem sit quispiam, nosses, eundem au-  
 tem musicum esse ignorares: sic enim tu idem scires &  
 ignorares, sed non habita ratione eiusdem rei. Hic uerò  
 utrunque nouit, & Coriscum quod sit Coriscus, & ue-  
 nientem quod ueniat. In eodè errore, in quo ij quos mo-  
 dò diximus, uersantur, qui cōcedendo omnem numerum  
 esse multum & paucum, captionem se putant dissolui-  
 se. Cum enim nil necessariò ista captio concludat, hoc  
 pratermissio, ad id se conferunt, ut ueram esse conclusio-  
 nem dicant. omnem enim numerum & multum & pau-  
 cum esse, magno suo errore fatentur. Sunt etiam, qui di-  
 centes multiplicatam inesse in ijs uerbis, Est pater tuus,  
 aut filius, aut seruus, captiosas illas conclusiones dissol-  
 uunt. Atqui ut dicatur ad multiplicatam pertinere re-  
 prehensio, perspicuum est oportere, ut aut nomen, aut  
 oratio, multa propriè significet: hunc uerò huius esse fi-  
 lium, propriè dici nemo affirmare audeat. si hac oratio-  
 ne significetur, hunc esse dominum huius qui alicuius est  
 filius: sed fortè temerè & (ut sic dicam) per accidens  
 factum est, ut ista ad extremum coniuncta sumerentur,  
 in hunc modum: Nonne hic tuus est? etiam. At iste est  
 filius: est igitur hic filius tuus. quia scilicet ita fortè ac-  
 cidit, ut idem & tuus esset, & filius, non quidem tuus,  
 sed alicuius. Quod idem dicendum de captione qua è  
 genere

genere τῶν καλῶν esse aliquod bonum concluditur, quia  
 prudentia sit malorum scientia. Nam aliquid esse ali-  
 quorū non dicitur multipliciter: sed possessionem modò  
 hoc significat: aut si fortè multipliciter dicatur (ut certè  
 uidetur dici, quandoquidem homo τῶν ζώων esse dicitur,  
 nec tamen hic possessio ulla significatur) nil tamen ad  
 istam captionem pertinet. Etenim si ita aliquid ad mala  
 affectū sit, ut illa affectio in genitiuo casu exprimatur,  
 dicitur quidem illud cum aliqua adiectione, & hac ex  
 parte esse τῶν κακῶν: omnino autem & simpliciter non  
 dicitur esse τῶν καλῶν. Vnde efficitur, ut potius illa ca-  
 ptio sit referenda ad locum ex eo quòd quadam ex par-  
 te & simpliciter dicitur, quàm ad locum ex multiplici.  
 Quamquam illud fortasse possit accidere, ut illa oratio,  
 aliquod bonum esse τῶν καλῶν, dupliciter accipiatur, li-  
 cet in ea de qua agitur captionem non sit multiplex. Ver-  
 bi gratia, si seruus aliquis bonus, sit mali domini. Nisi for-  
 tè ne hac quidem ratione possit illa multiplex appellari:  
 neq; enim si separatim uerum sit, hoc esse bonum, idq;  
 esse illius, rectè coniunctim efficitur, hoc esse bonum  
 illius. Quin ne illud quidem, hominem esse τῶν ζώων,  
 multiplex est: quando ne alibi quidem, si quid dicamus  
 suppressa aliqua particula, quæ ad plenam sententiã de-  
 sideretur, rectè diximus multiplicem esse orationem: quip-  
 pe cum rectè ac sine ulla multiplicitate dari mihi illi-  
 dem iussero, si pronūciato dimidio uersu ita dixerim, da  
 mihi μὲν ἄρα δὲ δὲ δὲ. Captiones etiam quæ ducuntur ex  
 eo quod quasi omnino ac simpliciter uerum sit tale quip-  
 piã esse dicitur, aut ex aliqua parte, aut alicubi, aut quo-  
 dammodo, aut facta ad aliquid collatione, non autè sim-  
 pliciter

pliciter ac citra ullam adiectionem) captiones inquam il  
 lę hac demum ratione rectę dissoluentur, si ad cōclusio  
 nem diligenter aduertas, num cōtradictio horū aliquid  
 uitiiū habeat. Aduersa enim, omninoq; cōtraria, & aien  
 tia et negātia, omnino quidē ac simpliciter in re una dici  
 non possunt: at quadā ex parte, aut facta ad aliquid cō  
 paratione, aut quodammodo, si pars utraq; sumatur, in  
 re una dici possunt: aut etiā, si pars una citra ullam adie  
 ctionem, altera cum adiectione alicuius partis sumatur.  
 Itaq; si pars una simpliciter dicat, pars altera quadā ex  
 parte neget, non poterit esse ista ratione reprehensio: id  
 quod in cōtradictione, quę ad extremū quasi repren  
 sionis causa concluditur, nobis est spectandū. Ad hoc au  
 tem genus captionum omnes pertinent quę sequuntur:  
 Fierine potest ut sit aliquid quod non est: at uerum est di  
 cere, rem quę non est, tale aliquid esse. Nec dissimili mo  
 do, non esse aliquid quod est, ostendetur: quia de re quę  
 sit, uerū sit dicere nō esse hoc uel illud: Fierine potest, ut  
 sanctē iuret quispiā simul, & peieret: Fierine potest, ut  
 idē eidē simul credat, & nō credat? At illę certē eō sunt  
 captiosę, quia plurimū interest inter esse omnino, et esse  
 hoc uel illud: quo fit, ut malē efficiatur, si res aliqua quę  
 nō sit, est hoc uel illud, omnino illam ac simpliciter esse.  
 Itemq;, licet hęc quidem rē, & illa ex parte, sanctē iuret  
 quispiā: nō tamē rectē cōcluditur, omni ex parte sanctē  
 iura. nā qui se peieraturū iurauit, & peierat, is sanctē  
 quidem quod ad hoc pertinet, & hac modō ex parte, iu  
 rauit: omnino autē ac simpliciter non rectē. Is quoq; qui  
 nō credit alteri, non simul illi omnino credit, sed quadā  
 credit. Similis etiā ijs est illa captio, qua simul aliquem  
 posse

posse mentiri & uerum dicere ostenditur. Verum quia difficile est statuerè, utrum ei quod est ueracem esse, tribuendum sit illud simpliciter, an ei quod est esse mendacem, propterea difficilis uidetur huius captionis explicatio. Atqui nil incommodi est, si dicamus eundem hominè simpliciter quidem mentiri, ex aliqua tamen parte uerum dicere: aut ex parte aliqua uerum dicere, qui omnino tamen mentiatur. Nec secus profectò iudicandum est de ijs, in quibus quod dicitur, facta modò ad aliquid comparatione uerum sit, aut ex aliqua parte insit, aut ad certum quoddam tempus. Nam ex hac eadem causa omnes huiusmodi captiones proficiscuntur. Nónne sanitas bona, aut diuitia bona? At ijs qui parum prudentes sunt, quiq; ijs uti rectè non possunt, non sunt bonæ: sunt igitur hæc bona, & non bona. Nunquid bene ualere, aut in sua ciuitate potentem esse, bonum est? atqui euenire tempus potest, cum id non sit bonum: idem igitur eidem bonum, & non bonum. At hoc certè non est incommodum, quod omnino ac simpliciter bonum est, huic aut illi id non esse bonum. Nónne id malum est, quod non uult sibi uir prudēs? bonum autem uir prudens non uult amittere: bonum igitur est malum, non rectè efficitur. Plurimum enim interest dicas, bonum esse malum, an bonum amittere esse malum. Huic similis est captio, quæ de fure fieri solet. Neque enim si fur est malus, propterea oportet, ut eum capere sit malum: non igitur qui eum uult capere, malum uult, sed potius bonum, quippe cum bonum sit illum capere. nam morbus quæque malum est: sed eo liberari non est malum. Nónne iusta iniustus, & quæ iure fiunt, ijs quæ iniuria, optabiliora sunt?

fari: at optabilius est iniuria mori, quam iure. Nonne æ-  
 quum est sua quemq; habere? quæ uerò tibi adiudicata  
 sunt falso iudicio, sed tamen ut putauit iudex esse æquisi-  
 mum, ea legibus rata esse debent. est igitur idem æquum  
 & iniquum. Est ne is condemnandus qui æqua profert  
 in iudicio, an qui iniqua? at qui æquum est, eum cui facta  
 est iniuria, omnia proferre, quæ suo cum damno pertu-  
 lit: erant autem illa iniusta. Hæc omnia sunt captiosa &  
 fallacia argumenta. Neque enim si iniuria pati aliquid  
 optabile est, statim existimandum est, omnino id magis  
 expetendum esse quod cum iniuria cōiunctum est, quam  
 quod iuri consentaneum. Sed omnino quidem ac simpli-  
 citer ius est iniuria optabilius: nil tamen uetat, quo mi-  
 nus iniuria, quod ad hoc uel illud attinet, sit magis expe-  
 tendā. Itemq; sua quemq; habere æquum est, aliena ini-  
 quum: & tamen iudicium hoc iustum esse nil prohibet,  
 nimirum quia ut æquisimum esse existimauit iudex, ita  
 iudicauit. neque enim oportet, si quid quod ad hanc qui-  
 dem rem attinet, aut hoc modo iustum est, omnino esse  
 iustū. Simili modo, ut sint aliqua per se iniusta, fieri tamē  
 potest, ut illa recitare & in iudicio edere iustum sit. neq;  
 enim recte efficies, iustum esse quippiam, si illud expone-  
 re iustum sit: sicuti non est necesse, id esse utile, cuius nar-  
 ratio utilis est. quod idem de rebus iustis sentiendum est.  
 illud itaq; non recte concludebatur, quia iniqua erant  
 quæ protulit is qui passus est iniuriam, propterea eum uin-  
 cere qui iniqua in iudicio protulit: nam illa protulit quæ  
 edere quæ æquum erat, simpliciter autem, & ad fe-  
 rendum iniqua. Captioſibus autem quæ ex definitione  
 reprehensionis existunt, ea ratione occurrendum est,

quam in superiore loco subicimus, exquirendo, an contradicatio quæ ad extremum in conclusione proponitur, iisdem omnino uerbis rebusq; constet, an in eadem re pars utraq; sumatur, & ad idem, & eodem modo, & in eodem tempore. Quod si iam inde à principio disparata interroget alius, non est fatendū, fieri non posse ut idem sit duplum & non duplū: quin potius concedendū est fieri posse, non eadem tamen ratione. Id enim esset, sine ulla controuersia reprehendi & conuinci. Ducuntur autē omnes istæ captiones ex hoc loco: Nunquid quanq; rem nouit aut ignorat, qui nouit aut ignorat quæ nā & qualis sit res quæq;? Atqui idem qui nouit Coriscū quod Coriscus sit, eundem quod sit musicus ignorat: eandem itaq; rem scit quispiam, & ignorat. Et rursus, nonne maius est quod quatuor cubitorum magnitudinē habet, quam quod trium? At fieri potest, ut ex tricubito fiat magnitudo quatuor cubitos in longū producta. Et necesse est ut omne quod maius est, minore sit maius. potest igitur fieri, ut idem seipso sit maius & minus. His uerò quæ ducuntur ex eo quod id ipsum, de quo à principio suscepta est disputatio, sumitur, ita occurrendum est, ut ille quidem qui respondet, si talia sumere aduersariū perspiciat, nil eorum admittat, ne si illa quidem sint probabilia: ita tamen, ut interim uera esse dicat illa quæ non admittit. Sin ille non perspiciat à principio talia esse quæ sumit aduersariū, ignorationem suam in aduersarium propter huiusmodi argumentorū uitium rejiciet: dicens nil eum tantum confecisse, nec bene disputasse. Debet enim, ut sit reprehensio, abesse petitio principij. Deinde uerò dicet respondens, se illa admisisse, nō ut ijs aduersarius contra se uteretur.

iteretur: sed ut aduersus illa disputaret, eiusq; contrariū  
 concluderet, quod captiosa sua reprehensione confecit.  
 Quod uerò attinet ad eas quæ ex consequentibus eruun-  
 tur, in eo ipso unde uim habere argumentū uidetur, uitiū  
 indicandum est. Cum enim duplex sit argumentū à con-  
 sequentibus unum, in quo ex parte uniuersum genus con-  
 cluditur, ut ex homine animal; alterum, in quo inter con-  
 traria tractatur cōsecutio: in priore genere dicendū no-  
 bis est, eo aduersarium peccare, quia uelit, ut ex hoc illud  
 sequitur, ita uicissim ex illo hoc cōcludi, quod minimè ne-  
 cesse est: in posteriore aut, quia uelit, si ex hoc antecedens  
 te illud consequens efficitur, ex cōtrario antecedentis om-  
 nino ac semper confici contrarium cōsequentis. Cuius  
 generis est argumentatio Melisi, nam si quod generatū  
 est, principium habet: ex eo cōfici rectè existimat, quod  
 non est generatū, non habere principium, itaq; si ingeni-  
 tum est cœlum, non habere principium, adeoq; esse infini-  
 tum. Atqui non ita res habet: quandoquidem inter dispa-  
 rata cōsecutio conuerso ordine tractanda sit. In ijs au-  
 tem captionibus quæ oriuntur ex eo, quod amplius ali-  
 quid adiectū est, quàm ex quo ducendum fuit argumen-  
 tum ad conuincendum alterum, uidendum est, si eo quod  
 dixisti sublato, nihilominus sequatur idem incommodū.  
 quod ubi ita esse compereris, tum id tibi est planum fa-  
 ciendum, dicendumq; omnes propositiones te non eò ad  
 nisi, quod ueras illas esse putares, sed ut uideres quid  
 tandem ad rem facerent: iam aut omnino ad rem nil per-  
 tinere, quæ ipse sumperat. Captionibus uerò, quæ plures  
 interrogaciones quasi unam accipiūt, iam inde ab initio  
 occurrendū est, idq; adhibita distinctione. Est enim una

interrogatio, ad quam simplex rectè adhibetur responsio. Itaq; nec plura de uno, nec unum de pluribus affirmandum est, aut negandum. Porro autem, sicut in hominibus interdum euenit ut utraq; interdum ut neutra significacione uerum sit quod interrogatur, eoq; accidit, ut qui quasi ad simplicem interrogationem unam dedit responsionem, nullo inde possit urgeri incommo: ita in ijs de quibus agitur usuenit, ut quando plura de uno, aut unum de pluribus uerè affirmatur, aut negatur, qui simplicem ad illa dederit responsionem, quanquam in eo, uitio non careat, nulla tamen hinc ducta ratione conuinci reprehendiq; possit. Quando uerò illa partim uerè, partim falso dicuntur, aut etiam quando plura de pluribus ita enunciantur, ut uno quodam modo utraque utrisque conueniant, alio quodam modo non conueniant, tum uerò maxime nobis cauendum est. Exempli causa: Acceptis duobus, quorum unum bonum sit, alterum malum, nonne illa uerum est uno modo dicere esse bona & mala, et rursus altero nec bona nec mala? neque enim utraq; attributa utrisq; subiectis inesse possunt: idem igitur bonum & malum est: & rursus nec bonum nec malum. Item si quæq; res secum est eadem, & ab alijs diuersa, sumptis duobus diuersis, in hunc modum fiet captio. Hæc ad se comparata, non ad alia, sunt eadem: hæc eadem ad se comparata sunt diuersa: sunt igitur eadem res, à se inuicem diuersæ, & eadem tamè. Item, si bonus quispiam malus fiat, & malus quispiam bonus, hic etiã ex simplici responsione efficietur, unum ex ijs duobus, simul duo contraria, effici. Item acceptis duobus inter se inæqualibus, uerum est dicere illa ad seipsa comparata esse æqualia:

erunt

erūt igitur eadem aliqua inter se æqualia & inæqualia. Neq; uerò ego illud negauerim, posse in has captiones aliam solutionē cadere: præsertim cum illud uerbū Vtraque, itemq; illud Omnia, multis modis dicatur. Vnde fit, ut non idem affirmetur & negetur nisi nomine tenus: quam ueram esse reprehensionem supra negauimus. Cæterum illud planū est, nunquam illa incōmoda sequi potuisse, nisi ex multis interrogationibus una facta esset: et si unum uni attributum fuisset affirmando aut negando. Quod uerò attinet ad eas captiones, quæ eò spectāt, ut ad ineptam eiusdem uerbi repetitionem aduersarium perducant, hac ratione perspicuū est omnes dissolui posse, si negemus attributa quæ ad aliquid sunt, separatim sumpta, præter se quicquam significare. Exempli causa, si solum ac per se duplum dicas, sine adiectione simplicis: tametsi uerum sit in duplo simplicum quodammodo appellari. Etenim in hac oratione, Vno minus decem, uerbum illud Decem acceptum est, nec decem tamē illa oratione significantur. Itemq; in hac negatione, Non facere, inest uerbum facere, atq; adeo in omni negatione inest affirmatio: neq; tamen uerum est, eum qui dicit hoc non esse album, significare albū esse. Duplum igitur nil quicquā fortasse præter se significat, sicut nec simplicum significat id quod in ipso intelligitur: aut si significat, non eodē certē modo separatim atq; coniunctim significat. Neq; etiā scientia in specie sumpta; ueluti si medicina est scientia, id ipsum significat quod cum in genere sumitur, quod quidem erat scientia, ad id quod sub scientiam cadit comparata. De ijs autem attributis quæ per ea subiecta definiuntur, de quibus ipsa dicuntur, illud primū no-

his dicendum est, non idem significare uerbum aliquod  
 seorsum, atq; in oratione acceptum. Curuum enim si cō-  
 muniter ac per se sumatur, idem significat in simo &  
 in uaro: at coniunctum illac cum naso, hac cum cruri-  
 bus, nil prohibet aliud atq; aliud significare: præsertim  
 cum idem sit, nasum curuum & nasum simum appella-  
 re. Deinde uerò non est permittendum aduersario, ut in  
 recto casu subiectum, cum ista uerba definit, accipiat:  
 quandoquidem falsa illo modo fiat oratio, neq; enim ue-  
 rum est in recto, Simum est nasus curuus: sed in obliquo  
 dicendum, Simum est nasi talis affectio. Quocirca nil ab-  
 surdum sequitur, si in alio casu uerbum illud nasus repe-  
 tatur, dicendo nasum simum esse, nasum habentem nasi  
 curuitatem. Quod autem ad sollecismos attinet, unde illi  
 quidem ducantur, supra exposuimus: quomodo autem his  
 occurrendum sit, ex ipsis captionibus intelligemus. Nam  
 istæ quæ subijciam, ad sollecismum efficiendum omnes  
 pertinet. Nōne quod uerè dicis, hoc reuera est dicis au-  
 tem aliquid esse lapidem: est igitur aliquid lapidem. At  
 enim qui lapidem dicit, non neutrum, sed masculinum:  
 non nominatiuum, sed accusatiuum dicit. Quocirca si hūc  
 in modum interrogasset alius, Nōne quem tu esse uerè  
 dicis, est illud? statim apparuisset illum non latine loqui:  
 quemadmodum ne is quidem latine loqueretur, qui ma-  
 terrogaret, nōne hic est quæ tu esse dicis? *Lig. 2. 2. 2.*  
 & alia quæuis nomina, quæ nec masculina nec femini-  
 na sunt, an in illo modo mutatis casibus interrogares, nil re-  
 ferret, unde etiā fit, ut si illam captionem ad neutrum accom-  
 modes, non fiat sollecismus: Nōne quod tu esse dicis, il-  
 lud est lignum autem tu esse dicis, lignū igitur est. Lapis  
 autem,

autem, & articulus Hic, masculinorum habet inflexio-  
nem. At uerò si interrogauerit quispiam, sit ne iste illa-  
tum subiecerit, nonne iste est Coriscus? & ad extremum  
concluserit, est igitur iste illa: non erit profecto hoc mo-  
do conclusus solæcismus: ne si Coriscus quidem reuera ie-  
dem significet cum aliqua re quæ est feminini generis,  
illud autem ita esse non admiserit respondens. Nam ut ali-  
quid tandem cõficiatur, illud præterea ad superiores in-  
terrogationes adijci debet. Quòd si neq; ita est, neque ita  
esse admiserit respondens, omnino nulla fiet ratiocina-  
tio, nec reuera, nec quòd ad hunc quidem attinet qui in-  
terrogatur. Simili igitur modo & hic quoq; oportere  
uerbũ illud, lapidẽ, nominatiuũ significare. Quòd si nec  
ita sit, neq; ita esse dederit respondens, omnino illi con-  
clusioni nullus est locus: speciem autem aliquã ex eo ac-  
cipit, quòd qui sunt re ipsa dißimiles nominis casus, simi-  
les esse uidentur. Quid nonne hæc uerè dicitur esse illud  
ipsum, quòd tu eam esse dicis? atqui tu hanc parmam es-  
se dicis: est igitur hæc parmam. An hoc modo nil conse-  
ctum est? Certè, nam hæc, non parmam, in accusatiuo  
sibi iungit, sed in nominatiuo parmam: hanc autem, par-  
mam indicat, in accusatiuo. In hac quoq; simile uitiu-  
m est: Nonne hic est illud ipsum quòd tu eum esse dicis; tu  
autem Cleonem esse dicis: est igitur hic Cleonem. Neq;  
enim articulus hic, Cleonem in accusatiuo sibi iungere  
debet: quippe cum in prima interrogatione dictum sit,  
quem tu esse dicis, hic est, non autem, hunc est, neq; enim  
qui hoc modo dixisset, latinè fuisset locutus, Nonne scis  
tu illud? est autem illud lapis, scis dicitur lapis. An pro-  
ponere illud, non eodem modo sumitur in priore propo-  
sitione,

sitione, Scisne illud atq; in posteriori, Est autem illud la-  
 pis? profecto in priore accusatiuus erat, in posteriore no-  
 minatiuus: Nonne hoc scis cuius tu habes scientiam? ha-  
 bes autem lapidis scientiam, scis igitur lapidis. An illud,  
 hoc, demonstrat lapidem in accusatiuo, huius autem lapi-  
 dis in genitiuo? At qui concessum est, cuius habes scientiã,  
 hoc te scire, in accusatiuo, non huius in genitiuo. Quare  
 concludendum fuit, Scis igitur lapidẽ, non lapidis. Quod  
 igitur huiusmodi captionibus non concludatur sollicitus  
 mus, sed uideatur modò concludi, & quomodo ijs occur-  
 rendum sit, ex ijs quæ sunt à nobis exposita, planè intelli-  
 gi potest. Illud autem hoc loco nobis intelligendum est,  
 non esse unius generis omnes captiones, sed nonnullas es-  
 se in quibus facile sit causam captionis perspicere, non-  
 nullas in quibus difficile: idq; dico usuenire etiam in ijs  
 quæ sunt eiusdem generis: nam eiusdẽ generis appellan-  
 dæ sunt, quæ ex eodem loco ducuntur. Ac eadem quidem  
 captio alijs ex genere earum esse uidetur quæ ex uerbis  
 ducuntur, alijs ex alio genere. Id quod propterea fit, quia  
 ut quæq; res uariè commutatur, ita non æquè semper so-  
 let esse perspicua. Quemadmodum igitur inter eas quæ  
 ex homonymia ducuntur (qui certè locus est omnium, un-  
 de oriuntur fallaces cõclusiones, uulgatissimus) quædam  
 sunt quæ cuius etiam imperito sunt aperta, ad quosq; rudi-  
 culæ & leues captiones ex uerbo propemodum omnes  
 eruuntur, cuiusmodi sunt istæ: Vir ferebat per scalas di-  
 ggor; & quò properatis? & pēs rlio nsp xix. Et uera boum  
 ante pariet: neutra, sed retrò utraq;. Nunquid purus est  
 Boreas non, sed impurus, qui medicos æquè & mercato-  
 res interficit. Nūquid & vax & ille est? nō, sed Apolloni-  
 des.

C7

des. Eodem planè modo ex alijs locis huiusmodi nonnullæ perfaciles ducuntur conclusiunculae. Sed etiam sunt aliæ, quæ uel doctissimos quosq; impediūt. Id quod eo argumento intelligi potest, quòd inter se de nominū significationibus sæpe dissentire docti homines conspiciuntur, uerbi gratia, utrum eodem semper modo accipiantur unum & ens, an alio atq; alio, parum inter doctos conuenit. Quibusdam enim uisum est nullam inesse in ijs uerbis, unum & ens, ambiguitatem. Alij ex eo dissolunt rationes Parmenidis & Zenonis, quòd ens & unum multipliciter dicuntur. Nec secus fit in captionibus quæ ex accidente alijsq; locis eruantur: nam in ijs quoq; aliæ facile, aliæ difficile perspiciuntur. Atq; nosse ex quo genere sit quæq; & utrum reprehensionis uim habeat an minus, non est pariter in omnibus manifestum. Porrò autè acuta argutaq; captio appellari solet, quæ multum in animo relinquit dubitationis. Ea enim est quæ acrius pungit, mordetq;. Ambigendi autem duplex est causa: Vna, quæ locum habet in ijs quæ concludendi uim necessariã habent, cum dubitatur utra sumptionum neganda sit: Altera, quæ propria est fallaciarum contentiosarumq; conclusionū, cum de ratione indicandi uitij, eiusq; quod plus acceptum est quàm oportuit ad necessariam conclusionem, ambigitur. Itaq; inter eas quæ necessario concluduntur, quæq; est acutissima, ita plurimum adfert dubitationis. Est autem illa acutissima ratiocinatio, quæ ex ijs quæ sunt quàm maximè probabilia, aliquid aut probat, aut refutat, quod est maximè probabile. Nam cum illa una sit ratiocinatio, accepto disparato conclusionis cum altera sumptionū, semper necessario quod uolet concludet,

det, quando quidem necesse sit, ut ex æquè probabilibus, hac ratione, semper quod æquè probabile est, aut confirmetur, aut refutetur: qua ratione efficitur, ut ambigere hoc in loco necesse sit. Est igitur illa in primis & maxime arguta, quæ pariter à conclusione & à sumptionibus adfert dubitationem. Secundo loco, quæ ab utrisque sumptionibus æqualem relinquit, utra neganda sit, dubitationem. Cum enim sit altera neganda, utra tandè ea sit, nõ est facile decernere. Inter eas aut quæ fallaces & contentiosæ sunt, illa primo loco acuta censenda est, in qua nõ statim apparet, sit ne consecutio necessaria necne: et utrũ sit ea dissoluenda negando falsam aliquã quæ sumpta sit propositionem, an distinguendo. Secundo loco numerabitur, quæ id quidem minimè habet dubiũ, utrum sit negando an distinguendo soluenda: sed tamen quæ nõ ex omnibus interrogationibus sit neganda, & quæ distinguenda, an scilicet quæ cõplexionis loco accipitur, an ex sumptionibus aliqua, non satis intelligitur. Interdũ igitur argumentatio forma vitiosa, inepta est ac ridicula, nimirum quando sumptiones ualde incredibiles sunt, aut falsæ: interdum minimè contemnenda est. Quando enim in argumentatione desideratur talis aliqua interrogatio, ex qua potissimum argumẽti uis duci debuit, qui illã non sumpsit, rem tamen quasi ratiocinatione concludit, is ineptam omnino ratiocinationem facit. Sin quod prætermissum est, ex genere est eorum quæ extrinsecus ad rem ualent, non continuò illa argumentatio aspernanda est: quin argumentatio bona est, culpa autem omnis est penes eum qui non rectè interrogauit. Sicut autem argumenta uarijs modis dissoluntur: uno modo, ut ad ipsam argumentationem

men  
tem, a  
ad neu  
interr  
propo  
sponda  
habeat  
tepori  
aduer  
sputan  
expo  
ptio sa  
re: dei  
et qui  
dicere  
sollec  
esset i  
usus t  
post  
quom  
sent  
mus i  
huic  
ximus  
du  
essen  
nim  
tum e  
quon  
Cne q

mentationem pertineat solutio: altero, ut ad interrogan-  
 tem, atq; ad eò ad ipsam interrogã di rationem: tertio, ut  
 ad neutrum conferatur ita etiam tribus modis tractatur  
 interrogationibus argumenta: uno modo, ut ad id quod  
 propositum est, omnes tuas rationes conferas: altero, ut rea-  
 spondentem persequaris: tertio, ut disputando rationem  
 habeas temporis, quod postremum tum euenit, cum plus  
 tēporis desideratur ad refutandã solutionē, quam dedit  
 aduersarius, quam patitur spaciū temporis, quod ad di-  
 sputando concessum est. Atq; illa quidē omnia hactenus  
 exposita sunt, ex quot, quibusq; locis ducuntur omnes ca-  
 ptiose conclusiones, quæ solent inter disputandū incide-  
 re: deinde quo modo sit mendaciū arguēdus aduersarius,  
 et quibus rationib. eò perducendus, ut paradoxa aliqua  
 dicere uideatur: tum quibus ex causis potissimū nascatur  
 solocisimus: mox, quo modo interrogandum esset, quæq;  
 esset interrogationum collocatio: deinde, quis nam esset  
 usus tractationis huiusmodi sophisticarum captionum:  
 postremò, quæ in uniuersum esset ratio respondendi, &  
 quomodo singule rationes & syllogismi dissoluendi es-  
 sent. Tunc reliquum est, ut postquam à capite repetiero  
 institutum nostrum, de eoq; pauca dixerimus, finem  
 huic disputationi imponamus. Hoc igitur à principio di-  
 ximus, fuisse nostrū institutum, ut inueniremus facultatē  
 differendi de quacunq; re proposita, ex ijs quæ  
 essent in re proposita quàm maximè probabilia. Est e-  
 nim hoc officium dialectices, tum eius quæ per se dicitur,  
 tum eius quæ in tentando & experiundo cernitur. Sed  
 quoniam par est, sic esse hac arte instructū dialecticum  
 (ne qua in re hæc ars Sophistica, cui finitima est, cedat)

ut non modò experiendi causa probabiliter alterum in-  
 terrogare possit, sed etiam ut scientiam rei præ se ferat:  
 propterea non tantùm illud quod modò dictum est, po-  
 sumus huius artis officium, quod in exigenda ab altero  
 ratione cernitur, sed etiam in eo, ut si quando à nobis exi-  
 gatur ratio de eo quod defendendũ in disputatione susce-  
 pinus, constantissimè ac sine ulla repugnantia tueamur:  
 idq; ex ijs quæ sunt quàm maximè probabilia. Cur autè  
 id etiam partem muneris dialectici fecerim, paulò antè  
 rationem subieci: ob quam etiam causam Socrates inter-  
 rogabat semper, respondebat nunquam: quia se nil quic-  
 quam scire profitebatur. Illud porrò in superioribus li-  
 bris explicatum est, quæ & quot sint quæstionum ge-  
 nera, in quibus hæc ars uersatur: & quæ essent, & in  
 quo numero, ea ex quibus ipsa cõstaret disputatio: tum,  
 quomodo earum rerum magna copia nobis suppetere  
 posset: postremò, de ratione interrogandi, omninoq; de  
 collocaione, quæ sit interroganti obseruanda: itemq; de  
 responsione, & ratione dissoluendorum argumentorum  
 diximus: omninoq; exposuimus cætera omnia, quæ uisa  
 sunt ad illam differendi rationem pertinere. Post hæc au-  
 tem docuimus de fallacibus & captiosis conclusionibus,  
 quemadmodum etiam paulò antè dictum est. Quæ cum  
 ita sint, profectò iam dubitari non potest, quin scias com-  
 modè ad exitum à nobis id perductum sit, quod uisue-  
 ramus. Iam uerò ne quis ignoret, quid nobis in explica-  
 tione huius artis usuenerit, illud intelligendũ est, eorum  
 omnium quæ inueniuntur, aliqua esse, quæ iam antè ab  
 alijs aliqua ex parte comprehensa, subtilius postea, &  
 quasi particulatim elaborata, opera tandem eorum qui  
 illa

illa postea accipiunt, longius progrediuntur, magnumque incrementum capiunt. alia autem à prima origine inuenta, non ita multum à principio progrediuntur: sed tamen multo plus utilitatis habent illa initia, quam reliqua omnis quæ ex ijs proficitur accessio. Est enim (ut dici solet) principium maximam partem totius, ideoque difficilimum. Quanto enim vi & facultate maiore est, tanto minore est magnitudine: eaque de causa difficilime perspicitur. eo autem inuento, non est difficile conferre & adicere reliqua. Porro autem illud quod dixi, cum in alijs fere omnibus artibus, tum in arte oratoria usuuente maxime conspicitur. Qui enim huius artis principia inuenerunt, parum admodum progressi sunt: qui autem nunc sunt in eo genere illustres & probati, acceptis ijs quæ à multis tractata quasi per successionem paulatim processerant, in eos fines quos nunc habet, artem protulerunt. Tisias quidem primus addere cepit ijs initijs, quæ à primis inuentoribus profecta erant. Hunc Thrasymachus secutus est: cui deinde successit Theodorus, alijque permulti, qui singuli suas quasdam particulas adiecerunt: ut iam non sit mirum, in tantam magnitudinem eam tandem excreuisse. At uero huius artis, in cuius explanatione uersamur, non pars quaedam iam antea inuenta & elaborata erat, pars altera minus explanata: sed omnino nil in eo genere adhuc ab alijs tractatum extabat. Nam qui adhuc mercede conducti, natam ad contentiones differendi rationem docuerunt, idem fere quod Gorgias sequuti sunt in docendo institutum. Ut enim hic ad dicendum, ita illi ad disputandum, orationes ediscendas discipulis tradebant de ijs rebus, in quas sapiens suos utriusque sermones inducebant. Unde effici-

ciebatuꝛ, ut discipuli celeriter illi quidem, sed citra ullam  
 artem, qua ab illis tradebantur, discerent. Illi enim ita  
 demuꝛ se recte docere existimabant, si omiſſa arte, ipsum  
 artis opus proponerent. ut si quis se profiteatur artem  
 traditurum, qua ne pedes postea ullus offendat, effectur  
 us sit: ac postea non sutoriam ille quidem doceat, neque  
 unde parari possint quæ ad eam rem sunt necessaria o  
 stendat, sed magnam calceorum omnis generis multitu  
 dinem proferat: sanè qui hoc fecerit, ad usum quideꝛ pro  
 fuit, artem autem non attigit. Ac de arte quidem rheto  
 rica satis multa à ueteribus tradita habuimus: de hac au  
 tem differendi ratione nil plane habuimus, quod alijs ac  
 ceptum referamus: sed nos longo usu singula inquiren  
 do, multum temporis magno cum labore consumpsimus.  
 Si igitur uobis ea considerantibus uideatur hæc ars illis,  
 quæ nos tradidimus, in itijs satis accuratè explicata, præ  
 alijs disciplinis, quæ ex longa successione in tantam ex  
 creuerunt amplitudinem: hæc profectò uestræ sunt, audie  
 torum uè partes, ut si qua prætermiſſa sint in tractatio  
 ne huius artis, ea nobis bona cum uenia condon  
 netis: & si qua rectè inuenta, magnis  
 eo nomine nobis gratias  
 habeatis.

F I N E S.

BASILEAE, EX OFFICINA  
Oporiniana, Anno Christi 1585.  
Mense Augusto.

7

11.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0023436

7.

—





18